THOMÆ CAMPANELLÆ

STYL. ORD. PRÆD.

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS

PARTES QVINQVE.

Videlicet:

GRAMMATICA, DIALECTICA, RHETORICA, POETICA, HISTORIOGRAPHIA, iuxta propria principia.

SVORVM OPERVM TOMVS I.



PARISIS,
Apud IOANNEM DV BRAY, via Iacobæâ, ſub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVIII.

Cum Priuilegio Regis.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
D. FRANCISCO
COMITI DE NOAILLES,

vtriusque Ordinis Regij Equiti Torquato, Rhutenorum ac Superioris Aruerniæ Præfecto, Regisque Christianissimi, apud Summum Pontificem Oratori.

ET ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
CAR. DE NOAILLES,
EPISCOPO SANFLORENSI,

interioris Consilij Regij Assessori: Fratribus optimis, mei seruatoribus. S. P.

LEX *gratitudinis ita me tibi deuincit* (Excellentissime Comes) *vt magis tuus quam meus esse debeam atque velim. Et cum tuorum erga me beneficiorum magnitudinem, nec recompensare nec metiri*

queam; hoc mihi restat quod possunt Musæ, vt nullis temporibus testimonium virtutum ac meritorum tuorum taceatur; nullaque obliuione deleantur. Libertatem, *honorem, & vitam tibi debeo. Cum enim synagoga Potentium [non Deum neque jus, neque fas, verentes, sed venantes gratiam falsis hamis falsisque venabulis à* Catholico *Rege, postquam in prima persecutione me innocentem per Ducem Albæ declarauerat, tanquam iterum zelantes pro Regno ipsius, quo possent Regno ipsius longo tempore ad diuitias & honores laruatos comparandum abuti] perque vim perque dolos, in partem prædæ inuidis falsis etiam fratribus illectis, dum moror in* Ciuitate *sancta, conarentur innocentissimum ad necem trahere: Tu* (Generose Heros) *me, quem tota ferè Roma, summusq; Pontifex scientijs & virtutibus cunctis nedum iustitia ornatissimus, innocentiæ custos, sapientiæ amator, diffisi essent à violentia & insidijs posse tueri, incolumem seruasti: & cum explorarent hostes me in tuis ædibus refugientem; tu illorũ eludebas intereà technas, dum tuo curru noctu sub aliena veste per aliã portam vectum, tuisq; literis ad* Principes *&* Consules, *obuios futuros commendatũ, ad* Christianissimũ *vsq;* Regem, *innocentum* Refugium, *Philosophorum ac piorum hominum Tutelam, Meßiæ Regis Regum brachium, nauis* Petri *sacrã anchoram, me transmitteres. Non sufficit* Calamus *animi tui robur, sagacitatem, industriam, & insignia in hoc euentu facta, dictaque describere. Ad illustrissimum ac Reuerendissimum Episcopum Sanflorensem Parisios, te iubente, tandem applicui.* Frater *est* tuus *id est* ferè alter tu *iuxta Gellij Ethimologiam & naturæ legem. Ideo prorsus vt tu mihi affuit. Nunc ad te sermo meus, magnanime* Carole, *qui huma-*

nißimè recepisti me peregrinantem, refocillasti lassum, & penè defunctum ad vitam reuocasti, & tandem inuictißimo Regi, regijs fauoribus cumulandū, me exhibuisti. Inueni quid quid de pietate Gallorum historici narrant, & Poetæ canunt, & spes Christianæ reipublicæ præsumit expectatq;. Viuo & tutus à miseriis & securus à calumnijs. Gratias Deo & Clementißimo Regi ac Ministris heroicis, nempe fratribus nobilißimis Noallijs. Haud equidē audeo Antistitis piißimi, Doctißimi compositos mores ac Præstantiam enarrare, quam & Roma & Gallia admirantur, & quos euulgauit libros de Imperio iusti & de Triumpho virtutis, eruditione ac sapientia plenos, vbique ipsum longè magis, quam musarum posset Chorus, prædicant. Generosi Comitis & iam dicere laudes vereor, cum nec stylus sit par, ac per se in historiis commendentur; à superioribus enim seculis præfulsere. Neque enim recens est gloria vestra, sed ab exordio Regni Francorū splendebat. Ast ab anno millesimo post Christum natum certa serie post Guitrandum, qui primus cognominatus est de Noailles, vsque ad nostra tempora innumeri de vestra prosapia connumerantur heroes, quorum alij cum Domi in Aquitania præcipuè, tum foris in Asia vnà cum Ludouico *Rege sancto, pugnando contra Saracenos fortiter, obierunt; & in Italia, in Anglia, Polonia, Thracia, totumque adeò ferè Orbem terrarum honorificentißimis legationibus peruagati, ea in locis illis pro patria perfecére sua; eamque Regibus Gallis nauauerunt operā fidelem sedulamque, vt semper meruerint & laudari à bonis, & ab ipsis Regibus multis decorari honoribus. Inter quos eminet magnus ille tuus Antonius quatuor Regibus ob facinora illustria carißimus:* Cuius cor Burdegala ob

benefacta tenet honorifice: corpus Noaillia. Omitto quæ in bello Terra Mariq; iidem præclara gesserũt, Omitto Cathalogum heroum atque gestorum & dignitatum perpetua serie splendentiun; quoniam tua modestia & aliorum forsan inuidia mihi mirificam narrationem abradere iussit, quoniam fortasse nec laudibus augeri, nec obtrectationibus vestra minui potest gloria. Venio ad te nobilissime Comes: cujus virtus bellica apud Rupellam aduersus Anglos enituit, & in Montealbano, dum oppugnatur virtute Regis, coruscauit; & quæ apud Taurinos cõtra Hispanos hostes egeris, historia non tacet; & tres inclyti filij tui nunc imitantur. Mox autem in legatione Romana tanta prudentia te gessisti, vt summo Pontifici & Romanis Principibus carus, gratusque semper esses, ac simul Regi tuo fidelissimus vtilissimusque: quæ duo vix coire in Oratoribus cæteris posse videmus. Ex hoc per prouidentiam Dei salus mea affulsit: & cum seruator desinis non desiturus, Conseruator Carolus frater tuus me Parisijs recepit. Ex hoc debitum perenniter laudandi vos, Præclarissimi fratres, animi & corporis sublimitate antiquorum Gallorum præstantiam redolentes, in me resultat: cumque non possim perenniter cum sim mortalis, vos immortalitati Verbi æterni committere studeo. Scientiarũ omnium reformatarum per me in ergastulis nutu Dei, tomum primum, qui est Philosophia rationalis, splendor Rationis diuinæ, teste August. vestro nomini consecro. Est in hoc volumine Grammatica non vulgaris sed Philosophica, continens semina scientiarum, & nationum sermocinia: & modum grammaticandi secundum naturam & artem. Hanc de manibus sophistarum nugacium liberatam, tibi Liberatori, atque Orarori præstantissimo, dedico. Adiacet illi Logica non

truncata nec inanis; contra quam Tertull. & Epiphanius inuehuntur, ad directionem cognoscitiuæ facultatis humanæ instaurata. Huic addidi Rhetoricam, & Poëticam, quas in prostibulo fucatas conspicatus, in templum ad castas Musas reduxi. Tandem apponitur Historiographia, ab Adulatoribus, Osoribus, & Loquacibus denigrata, nunc in suam restituta puritatem: Vt quæ Ego de vestris meritis dicere non valeo, qui sequentur intelligant Noallios meos hac methodo esse dicendos. Suscipite ergo eo quo exhibentur animo (Præstantissimi Domini) non ingratum fortè munus non ingrati serui vestri, eaque, qua soletis me beneuolentia honorare; in quo Campanula mea per totum Orbem vestram testificetur beneficientiam, inque vestram resonet gloriam. Valete. Parisiis die 15. Martij 1635.

F. T. CAMPANELLA.

APPROBATIONES Romanæ.

EX Commiſſione Reuerendiſſimi Patris Fratris Nicolai Rodulfij S. P. A. Magiſtri, & totius Ordinis noſtri Prædicatorum Vicarij Generalis Apoſtolici, vidi Tomum primum operum R. P. M. Fr. THOMÆ CAMPANELLÆ, noſtri Ordinis, Complectentem Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, Poëſim, & Hiſtoriographiam. & nihil in eo contra Catholicam Fidem inueni, imò omnia ſuo Autore digna, & quamplurima ad Theologiam capeſſendam eſſe iudicaui. Quapropter manu propria me ſubſcripſi hac die 7. Nouemb. 1628.

Fr. Antoninus Cellius, S. Theologiæ ac Philoſophiæ Lector, necnon Collegij S. Thomæ, S. M. ſtudentium Magiſter.

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſimo P. M. S. Palatij.
A. Epiſcopus Bell.

IVbente Reuer. P. Nicolao Riccardo, ſac. Pal. Apoſt. Magiſtro primum volumen operum R. P. Mag. Thom. Campanellæ, Ord. Præd. Grammatica, Logica, Rethorica, Poëſi, & Hiſtoriographia cōtextum, non minore diligentia quam voluptate perlegi: nihilque quod Catholicam lędat Fidem, aut Chriſtianos offendat mores occurrit; quare publicis dignum typis conſtanter aſſeuero, quò dulciſonæ huius Campanulæ mirificus tinnitus ab omnium auribus ſtudioſorum exaudiatur. In fidem &c. Datum Romæ in Collegio ſancti Bonauenturæ die 10. Auguſti. 1630.

Fr. Franciſcus Antonius à ſancto Sen. Ord. Min. Con. Collegij S. Bonauenturæ in vrbe Regens & Lector.

EGO Fr. Vincentius Bartolus ſac. Theolog. Magiſter Ord. Præd. Viſis ſupradictis atteſtationibus, concedo facultatem ex ordine & commiſſione Reuerendiſſimi P. F. Nicolai Rodulfij noſtri Ord. Gen. Magiſtri, R. P. M. F. Thomæ Campanellæ, eiuſdem Ordinis: Vt librum attitulatum Rationalis Philoſophiæ partes quinque, typis mandare poſſit. In quorum fidem his meo ſigillo munitis manum propriam appoſui. Datum Romæ in Conuentu S. M. ſuper Mineruam. Die 14. Auguſti 1630.

Locus ſigilli, *Fr. Vincentius Bartolus, qui ſuprà manu propria.*

IMPRIMATVR. *Fr. Nicolaus Riccardius, ſacri Apoſtolici Palatij Magiſter.*

THOMÆ CAMPANELLÆ
STYL. ORD. PRÆD.

PHILOSOPHIÆ RATIONALIS
PARS PRIMA.

Continens

GRAMMATICALIVM
LIBROS TRES.

PARISIIS,
Apud IOANNEM DV BRAY, viâ Iacobæâ, sub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVIII.

Cum Priuilegio Regis.

Correctio Erratorum in Grammatica.

PAG. *verſ. vltimo*, ex ra, *lege*, &, *Pag.* 90. *verſ.* 3. dictiones distinguitur, *lege*, dictiones non distinguitur. *Pag.* 91. *verſ.* 6. perei, *lege*, per ει, Pag. 62. *verſ.* 14. ſicut, *lege*, ſunt. *Pag.* 5. *verſ.* 20. verebimur. *Pag.* 32. *verſ.* ad res, *lege*, ad rei. *Pag.* 89. *verſ. vltimo*, amatum *lege*, amatu. *Pag* 60. poſt *verſ.* 11. *ponatur.* Notandum: quod poteſtas imperatiua eſt quando loquitur maior, qua maiorem, vt *fac cultros lapideos.* Sed eadem vox eſt deprecatiua; cum minor ad maiorem, vt *ſaluum me fac Deus.* Cum ad æqualem, eſt conſultiua aut hortatiua, vt *fuge crudeles terras.* Et maior enim induit vocem æqualis, & minoris, & è conuerſo per accidens.

Correctio erratorum in Logica.

Pag. 2. *verſ.* 32. factum, *lege* fractum. *Pag.* 5. *verſ.* 14. voces, *lege* vocet. *pag.* 8. *verſ.* 4. quid *lege* quod. *pag.* 12. *verſ.* 2. vt *lege* aut. *pag.* 14. *verſ.* 8. interiectione, *lege* interiectiones. *In eodem verſ. ſequenti*, expreſſa, *lege* expreſſe. *In eodem verſ.* 28. ſynchathegoricus, *lege* ſyncathegorematicus. *Pag.* 21. *verſ.* 17. denominatus, *lege* denominans. *Pag.* 45. *verſ.* 27. rec, *lege* vel. *Pag* 50. *verſ.* 18. prædicatum, *lege* prædicatio. *pag.* 51. *verſ.* 4. ſentit, *lege* ſenſitiuum. *pag.* 54. *ver.* 29. primo, *lege* videlicet. *pag.* 434. *verſ.* 11. arentæ, *lege* arenæ. *In eodem verſu*, ouctas, *lege* guttas.

Correctio Erratorum in Poetica.

Pag. 89. *verſ.* 10. rerum, *lege* verum. *pag.* 90. *verſ.* 13. ſimplici verum, *lege* ſimplici ſermone verum. *In eodem verſ.* 29. ſicuti contra, *lege* ſicuti è contra. *In eodem verſ.* 36. profundit, *lege* perfundit. *pag.* 91. *verſ.* 30. deuntionem, *lege* deuotionem. *pag.* 49. *verſ.* 5. ſometro, *lege* ſolo metro, *pag.* 95. *verſ.* 20. quantumque, *lege* quamcumque.

Cætera diſcretioni Lectorum committimus.

THOMÆ CAMPANELLÆ GRAMMATICALIVM, LIBER PRIMVS.

De Grammatica in communi. Cap. I.

Definitio Grammaticæ.

Grammatica est ars instrumentalis Politiæ humanæ congruè, rationabiliter & simpliciter dicendi, atque consequenter scribendi, & legendi quidquid animo quacunque notitia percepimus.

DECLARATIO. ART. I.

DICITVR *Ars instrumentalis* ex suo genere, quo conuenit cum Logica, Poëtica & Rhetorica & Historiographia, quæ omnes sunt artes non mechanicæ, sed speculatiuæ: at instrumentales, quoniam non per se, sed propter principales, & propter aliud sunt. Plato in Cratilo dixit, *Nomen est instrumentum indicans substantiam.* Tota ergo Grammatica

instrumentum est, vt suæ partes. Dicitur, *politiæ humanæ*, ad differentiam prædictarum artium: nam Logica est instrumentum Metaphysici: Rhetorica & Poëtica sunt instrumenta Legislatoris: Grammatica verò totius communitatis humanæ. Siquidem naturale est cunctis animantibus in societate viuentibus ea, quæ concipiunt animo, significare conuiuentibus, per mutua officia copulatis, siue propter bonum proprium, siue alienum, siue commune: propterea factæ sunt voces, & orationes, literæque vocum particulæ, ad exprimendum ore vel scripto, quæ proferri opus erunt. Grammatica ergo naturalis est hominis, quatenus politicus est, artificialis insuper quatenus voces & orationes ad rectum vsum considerat.

Dicitur *Grammatica esse ars dicendi.* Dicimus enim quidquid animo concipimus.

Et quia illud idem scribimus, additum est, *& scribendi*: & quia legimus scriptum, ponendum erat *& legendi.* At quoniam potest esse Grammaticus, qui nescit scribere nec legere, vt cæcus, videtur Grammatica esse instrumentum dicendi per essentiam, & scribendi & legendi consequenter & ad vsum.

Dicitur *congruè* propter concordiam partium orationis: & *rationabiliter*, ad differentiã sermonis ac brutorum mutuò colloquentium naturaliter, item ad differentiam peritiæ Grãmaticorum à vulgari forma.

Additur *simpliciter*, iterum ad differentiam Rhetoricæ & Poëticæ, quæ ad humanam etiam politiam pertinent: sed addunt figurationes super simplicem sermonem.

Subditur, *quidquid animo quacumque notitia percepimus*, ad differentiam Historiographiæ, quæ supponit Grammaticã loquentem de omnibus: & habet pro obiecto solum acta & dicta notabilia, siue naturæ, siue politiæ: Grammatica verò omnem sermonem, siue familiarem, siue epistolarem, siue historicum, siue scientificum, rectificat ad congruitatem naturalem, & artificialem, vt infrà patebit. Primæ ergo notiones vocabulis, & oratione Grammaticali notificantur: scientias verò Logicali deinde sermone tractamus.

In Grammatica ergo continentur semina scientiarum. Vo-

ces enim aliquid faciunt ſcire vulgari modo de cunctis rebus, & ex his, quæ voce ſignificamus, ad ſcientias altiores erigimur. Quippe quæ omnes ex præexiſtenti fiunt cognitione vocabulorum in doctrinis: ſed in inuentione ex inſpectionibus, & ſenſationibus cognoſcentis per ſenſoria animæ: & notantis, & exprimentis per literas vocales, & conſonantes, tanquam per elementa ſua, res prænotatas: ideoque dicitur Grammatica Græcè, quod literaria eſt Latinè, & ideò in doctrinalibus ex impoſitorum vocabulorum declaratione exordimur: in inuentiuis verò ex imponendorum ſcrutatione.

Diſtinctio Grammaticæ. Art. 2.

Duplex Grammatica, alia Ciuilis, alia Philoſophica.

DECLARATIO.

Ciuilis, peritia eſt, non ſcientia: Conſtat enim ex autoritate vſuque clarorum ſcriptorum. Hanc ſequitur Scioppius, Turnebus, Lypſius; qui tunc ſe doctos putant, cum Ciceronem aut Virgilium callent; & vocabula & phraſes, plerunque naturali rationi aduerſa, ex principum & vulgi vſu percepta. Philoſophica verò, ratione conſtat; & hæc ſcientiam olet. Eſt enim inueſtigantis intellectus & notantis inueſtigata, copulantiſque & dirimentis res, prout in natura reperiuntur, methodus. Notat enim eſſentias, actuſque, & habitudines, vt infrà videbimus.

Hanc Grammatici vulgares damnant; vt, ſi dixeris, virtuoſus, rideant, quoniam Cicero dicit, ſtudioſus: & cum vocabula ex rebus, non ex autoribus decerpimus, exſibilant. Scotum, ſanctum Thomam, alioſque, qui magis ex rei natura loquuntur, damnant iſti, profectò damnati ignorantiæ, & modicitatis ergaſtulo. Vndè S. Greg. maieſtatem verbi Dei ſe regulis Donati includere non debere declarauit. Quid non obloquũtur cum nouas res inuenimus, vocabulis Ciceronis in-

dicibiles: proptereaque nouas voces excogitamus? Nobis inuenta vocabula hæc, primalitas, essentia, essentiare, materiare, &c. huiusmodi Ciceroni neque displicerent, licet ignota olim. Itemque & ipse ait: *Beatitudo & beatitas, vtrunque durum: sed vsu mollienda sunt vocabula*: est vbi & *mulierositas* dixit, & *essentia*. At scioli nobis leges præscribunt: ergo & scientiam coarctant, quam Cicero ipse ampliasset, si occasio & scientia non defuissent: & Horatius licere dixit semper.

Horat. in Lett.

Ego cur acquirere pauca,
Si possum, inuideor, cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit. Licuit semperque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Plato primus dixit, Idea: & Aristoteles, Enthelechia: cur non ego primalitas, & quidditas? vide primam partem Met. libr. 1.

Differentia inter Ciuilem & Philosophicam.

DIffert Grammatica ciuilis à Philosophica, in vocibus, & phrasi. In vocibus illa sectatur autoritatem & vsum: à quo adeò discedere timet, vt nec nouarum rerum vocabula noua admittat. Vndè nolunt dicere, bombardam, sed tormentum bellicum; quod nomen commune est omnibus machinis: errant ergo primò trahentes proprium ad commune. Secundò vniuocum ad æquiuocum: cum enim brodium non habeat vocabulum in Latino, sed dicitur ius, quod & legē significat: confundūt ergò sensum. Philosophus verò vocabulum inueniet proprium in sua Grāmatica. Tertiò, quoniam illi vocabula adiectiua non trahunt à substantiuo, sicut oportet: Virtus enim effundit virtuosum, hoc non vtuntur; sed studiosum dicunt; quæ vox longè abest à significatione vera. & cum rei essentiam notare volunt, dicunt, Quod est, & quod

quid erat esse, ludicro quidem modo: cum vocabulum quidditas, & essentia, sint significantiora, & breuiora. Bembus, ne dicat Rex Turcarum, dicit Rex Traciæ, tam ridiculosè, quàm superstitiosè.

Philosophica ergò sectatur commoditatem, & rationem; vt vocabula significent ex natura rei, & non confundant sensum Metaphora æquiuocatione analogia. Nec tempus significationis frustrà expendant (quòd maximum est detrimentum:) sicuti faciunt Grammatici, descriptione pro vocabulo vtentes.

Differunt etiam in phrasi: ciuilis enim vtitur phrasi accepta in foro & curia apud magnates: & plerumque dicit aliud à proprio sensu; sed vsus facit, vt sensum alienum vestiat oratio. Sic dicunt; de medio tollere, pro occidere, & perdere. Id autem in Philosophia significat de medio centro in peripheriam trudere. Similiter aiunt, redigere in ordinem, pro priuare Magistratu. At in Philosophia significat ex confuso inordinato, in ordinem transire; sicuti cum Chaos tollitur in aliquo negotio, vel in materia rerum.

Quapropter nos Grammaticos nil verebimus. Eorum enim est conseruare vocabula; ac declarare similiter & orationes: Philosophorum verò & Artificũ est inuenire & ordinare. Propterea temeritas Pædagogorum miranda est, cùm Theologos emendant, propterea quòd Ciceronis vocabulis & phrasi non vtuntur: cum potius laudare deberent; quoniam omnis Artifex suæ Artis vocabula inuenire debet; & clara, & propria imponere. Hoc autem palam est, quoniam ex huius defectu accidit, vt idem vocabulum aliud significet in vna arte, & aliud in altera. Vnde apud rusticos liber significat arboris corticem: apud literatos codicem: apud Politicos, libertate fruentem: apud Oratores filium. Similiter verbum apud Grammaticos est orationis pars significans actum; apud Theologos est conceptus animi, declaratus aut voce: apud Physicos aëris verberationem notat, apud vulgus locutionem, & aliquando omne vocabulum. Propterea notaui ex Varrone, & Nonio, & Festo non extare vocabulum apud Latinos quod plures significationes non habeat, quoniam

ſucceſſio Principum, & Reipublicæ mutationes,& tempora ipſa trahunt voces ad nouas ſignificationes. Philoſophia autem non ſic.

Præterea, Grammatica ciuilis habet ætatem, in qua viget: & illam amplectuntur Grammatici: dicunt enim ſub Cicerone & Cæſare adultam linguam: propterea non Plauti, nec Cecilij, cæterorúmque ſcriptorum priſcorum ſermonem acceptant, ſicut nec recentiorum; qualis Plinius, Ambroſius, Auguſtinus, & Thomas Aquinas. At Philoſophica non agnoſcit ætatem linguæ, ſed rationalitatem: amplectiturque vocabula bona omnium temporum. Propterea & noua fictaque verba probè conuenientia rebus dicendis complectitur inuenitque: vt enim Horat. ait.

Licuit ſemperque licebit

Signatum præſente nota producere nomen.

Et phraſim addere: præſertim cum imperium & religio, & artes nouæ ſuccedunt, & loquendi modus: voces enim propter res, non res propter voces. Vnde forum Eccleſiaſticum vtitur vocabulis hiſce, canonizare: ſpiritualis, creatura, & aliis huiuſmodi in ſenſu proprio, non Latinorum priſcorum, idque ſi accuſes imperitus & rudis eris. Neſciens vnde authoritatem vocabula ſumunt.

ANIMADVERSIO.

SVperſtitiosè colens Grammaticam ciuilem, languet in pugna verborum,& dum verba captat, res effugiunt, quas præſertim ipſe ſuis non inſignit notis, & notas alienorum non ſatis notas colit; & vt Clemens Alexandrinus 1. Strom. 3. inquit, ſunt Sophiſtæ infelices, nugis canoris garrientes, cum in nominum debita, & certa dictionum compoſitione, & connexione tota vita laborent; cicadis apparent loquaciores: & allegat contra eos Platonem, & alios Phi-

losophos, præsertim Solonem Legislatorem, ita dicentem.

Ad linguã aspicitis, & dulcia verba loquentes:
Quilibet at vestrum vulpis vestigia figit.
Cunctis est vobis petulans mens.

Vulpes quidem in simulatione sapientiæ, quam non habent, & in latrocinio alienæ, sunt fuci, & vulpes: cum enim de suo non habeant, nisi vestes, quicquid dixere Philosophi mutata veste verborum pro suo vendunt. Mens enim petulans vulpium sui amore etiam se ipsam decipit, putatque se plus scire, quia scit verba, quàm qui res inuestigauit; nec nisi sua Grammatica vestiantur, recta, & vera, quæ dicit Philosophus, reputat: hinc aliena vendit impudenter pro suis, verbis quia ornat suis. Horum sermo est calix Babylonis (inquit Origenes) in quo errores etiam pro doctrina, nedum furta, tradunt bibenda Sophistæ. Valdè cauendum est ergo Philosophis, ne iis sua scripta credant, qui, sicut perdix, fouent, quæ non pepererunt. Horum insidias millies expertus loquor. Cauendum est etiam Philosopho, nespernat ciuilem Grammaticam, dum tamen rebus conueniat scitis. Contemnitur enim à turba petulanti, quasi indoctus: & pueri (sic voco sequaces eorum) quorum est solùm grammaticari, & rhetoricari, notant simplicitatem sermonis: res enim non curant, quamuis corde tenus mirentur & optent, & pro ignorantibus eos habent, qui eorum Grammaticam non sectantur. Sapientes pauci sunt, stultorum infinitus est numerus: hinc euenit, vt illi ab his fama, diuitiis, & doctrinæ honore vacuentur.

De partibus Grammaticæ, & objecto.

CAP. II.

QVoniam Grammatica congruitatem dictionis, & scriptionis habet pro objecto: dictio autem fit ex vocabu-

lis : vocabula ex ſyllabis : ſyllaba ex literis ; ideò partes Grammaticæ putantur 4. & de literis 1. dicunt Grammatici omnes.

De litera prima parte Grammaticæ. Art. I.

DEFINITIO.

Litera eſt elementum primum, ideoque minimum orationis.

DECLARATIO.

Dicitur litera à lituro, quaſi exaro, quoniam exaratur in ore per inſtrumenta vocalia : in ſcriptura per manualia, & Grammatica Græcè dicitur quaſi literatura, quoniam à ſuis elementis habet etymologiam. Ponitur elementum loco generis. Elementum enim eſt id, ex quo aliquid primitùs componitur. Ponitur primum, ad differentiam ſyllabæ, ex qua ſecundo componitur oratio. Ponitur ſermonis, ad differentiam corpuſculorum atomorum, quæ exiſtimantur elementa rerum. Additur minimum, ad eiuſdem rei declarationem : litera enim indiuiſibilis eſt.

De numero literarum.

SVnt autem literæ viginti tres apud Latinos A, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, u, x, y, z, quarum Latinæ non ſunt niſi decem & nouem, etenim K, y, z, x, à Græcis acceperunt : vtebantur enim pro K, ch; pro y, vtebantur, v; pro z, duplici s s ; pro x, vtebantur, s c.

Tandem h, non videtur eſſe litera, ſed aſpirationis nota, addens aliquid ſupra vocales. Catullus enim narrat Arrium ſolere pronuntiare Hinſidiæ cum h, pro Inſidiæ.

ANDO-

ADNOTATIO.

POſſunt inueniri & aliæ literæ, vt, *o*, paruum, & *o*, magnum: item duplex *g*: in vulgari enim ſermone aliter pronunciamus, *gli*, in vocabulo *agli*, & in vocabulo *negligentia*. Item non datur g, quæ faciat ſonum æqualem cum omnibus vocalibus. Non enim ita conſonat g, *a*, ſicut g, *i*, vnde Arabes triplex g, habent, iuxta triplicem pronunt tionem huius literæ. Præterea litera *c*, aliter ſonat cum . & cum *e*, coniuncta: propterea bene fuit addere k, & ad denda eſſet altera litera, quæ medium ſonum habet inter & k, vt in vulgari ſermone experimur. Præterea litera me dia inter *t*, & *z*, reperienda eſſet: aliter enim pronuntiamu *t*, cum dicimus *grati*, & cum dicimus *gratia*, præſertim i. vulgari ſermone. Nec ſupplet *z*, pro *t*, nec ſi duplicem apponas, vt in Poëtica declarauimus: quapropter delineauimus characterem medium hac figura *t*,. Hiſpani verò fecerunt *c*, cum cauda *ç*. Præterea indigemus duplici *i*, conſonanti videlicet, & vocali: quemadmodum Hiſpani, & Heb. & Arabes vtuntur; propterea diximus *j*, longæ figuræ conſonantem: qui Hebræis eſt *jod*; *i* verò breuis vocalem. Tandem duplici *u*, vocali & conſonanti indigemus, quemadmodum Hebræis, & Arabibus rationabiliter vſurpatur, alioquin multa vocabula falsò pronuntiabuntur, vt *vua*, vbi niſi ſecundum *u* altera figura ſcribatur pronuntiatio fallitur. Similiter & *iuuenis*, & *iurat* &c. conſonans *v*, vocari debet *vau*, & conſonantes *j*, *jod*, vel *jo*, vt præfatæ linguæ admonent. Quapropter Alphabetum noſtrum erit quod ſequitur.

A, b, c, k, *d, e, f,* g, G, *h, j, i, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t,* T, *u, v, x, y, z.*

DIVISIO.

Literarum aliæ vocales, aliæ consonantes.

VOcales quinque *a, e, i, o, u*, & dicuntur vocales, quoniam arteria vocali sola, modica varietate modulationi, exprimuntur.

Consonantes sunt viginti *b, c, d, f, g, G, h, j, l, m, n, p, q, r, s, ...*, *j, z*.

...untur consonantes, quoniam cum vocalibus simul so... Instrumenta enim vocis, quæ sunt lingua, palatum, ..., & gurgulio, vocem (quæ est expirati aëris per arteriam ...iem sonus) configurant: & cum illo dicuntur consonare, ... autem personare, vt vocales.

Consonantium aliæ duplices vt *z, x, t*, aliæ simplices, vt ...es reliquę; illæ enim valent pro duabus: non autem ...æ.

ANNOTATIO.

SVnt apud Hebræos & Arabes duplices omnes consonantes, dum puncto intermedio notantur. Apud nos verò solæ *x, z, t*, sunt duplices absque puncto; quas autem volumus duplicare, duplici eodem charactere notamus.

DE DIPHTHONGIS.

Solent coniungi vocales non eiusdem generis, & constituere vnam syllabam longam, quamuis per se essent breues. Harum coniunctio vocatur Diphthongus.

SVnt autem apud Latinos veteres Diphthongi quinque *æ, œ, au, eu, ei*, sed in vulgari sermone addũtur tot Diphthō.

gi, quot ſunt combinationes vocalium inter ſe, prӕter quam in fine carminis poëtici, vbi *ſui*, *colui*, *voi*, *mio* &c. pronuntiantur diſsyllaba, quӕ alibi pronuntiantur monoſyllaba.

SVBDIVISIO.

Diſtinguuntur literӕ conſonantes in mutas, & ſemi-vocales.

Mutӕ ſunt nouem *B.C.D.F.G.K.P.R.T.* Et dicuntur mutӕ, quoniam mutum habent ſonum, quaſi cum nulla vocali, vel vocalitatis afflatu pronunciatӕ.

Semi-vocales ſunt ſeptem *L.M.N.R.S.j.V*: & dicuntur ſemi-vocales, quoniam habent partem ſoni vocalium. Et quidem *S*. apud Lucretium cadit inſtar vocalis: ait enim.

Sceptra potitus eadem aliis ſopitus quiete eſt.

CORRECTIO.

Iſta diſtinctio fuit vera apud Græcos, Hebræos, & Arabes: qui literas pronuntiant quaſi dictiones: dicunt enim pro *A. B. Alpha. Bita.* & *Aleph. Beth.* & *Eliph. Bat.* Sed in idiomate Latino pronuntiatur ſimplici ſono detruncato ſine vocalibus, & ideo omnes ſunt mutæ: licet non poſſint prònuntiari ſine vocali ſecundum nos: tamen ſecundum naturam omnes intelliguntur ſine vocali nobis, qui & vocales etiam truncatè proferimus.

APPENDIX.

Dicuntur liquidæ *L. R. M. N.* quoniam liqueſcunt in metro: ita, vt ſyllabam breuem etiam producant, accommodanturque breuitati & productioni: durӕ ſunt quæ ſeruant ſonum & tempus.

De syllaba, parte secunda Grammaticæ. Art. II.

DEFINITIO.

Syllaba est literarum vsurpatio, vnius soni, vniusque modulationis partialis index.

DECLARATIO.

QVoniã ex literis syllabæ, quę possunt esse pars vocabuli propinquior: imo sunt, de syllabis nunc dicendum: dictis à syllabano verbo Græ. hoc est, comprehendo; quoniam plerumque plures literas comprehendit. Profectò quo nos vtimur literis, id valent; quapropter vsus fecit de litera syllabam, sed non absque ratione; alioquin de quacumque litera faceret syllabam. Facit autem de sola vocali, quoniam sonum habet, non de consonante, quæ non habet. Aliquando fit ex duabus vocalibus; vt diphthongum monosyllabam; aliquãdo ex vna vocali, & vna consonante; vt, *pe*, aliquã o ex vna vocali & duabus consonantibus; vt *per*. Aliquando ex vna vocali & tribus consonantibus, vt, *stra*, & *rus*; aliquando ex vna vocali & quatuor consonantibus, vt *strum*; aliquando ex vna vocali & quinque consonantibus, vt *stirps*. Pluribus non vtũtur Latini; at Teutonicis & Polonis vsurpatur. Vbi vides nõ posse ex pluribus vocalib. fieri syllabã, nisi ab inuicem absorbeantur, sicut in diphthongo; sed ex vna tantùm, quoniam ipsa sonum perfectum habet. At ex pluribus consonantibus fieri vnam syllabam vidimus, quoniam per se sonum non habent, nisi vocalibus copulatæ. Plures autem ponuntur ad modulationem illius vocalis, vt quod purus sonus non significat, soni modulatio significet; vt in Metaph. docemus, de nominum impositione loquentes.

CORRECTIO.

NOn rectè Grammatici definiunt. Syllaba est comprehensio literarum, sub vna voce & vno spiritu indistincto prolata. Nam syllaba quandoque constat ex vna littera: vt prima huius *amo*. Nec dicas, habet ordinem ad comprehensionem subsequentium. Etenim *a*, præpositio non habet ordinem, nec *o*, vocatiuum, imo *i*, est aliquando litera, & syllaba & dictio, & oratio. Igitur non rectè dicitur syllaba comprehensio literarum, sed potius dicenda erat particula vocabuli soni partem perfectam faciens. Etenim nulla consonans potest facere syllabam, quoniam per se sonum non edit, nisi cum vocali. Vocalis autem edit. ideò potest esse syllaba.

De vocabulo, 3. parte. Grammaticæ. Art. III.

DEFINITIO.

Vocabulum est sonus, ore animalis prolatus, naturalibus instrumentis formatus, ad significandum aliquid simplex mente conceptum.

DECLARATIO.

POnitur *sonus* tanquam genus; Omnis enim vox sonus est, & non è conuerso. Dicitur, *prolatus ore animalis*, ad differentiam sonorum, quos ventus & tuba, & remi, aliæque res, edunt; quæ propriè vocabula non facient. Dicitur *naturalibus instrumentis formatus*, ad differentiam sonorum, quos animal edit ad significandum, sed per instrumenta artificialia; qualia sunt tympanum & tuba & campana; quibus ab extrinseco imponitur significatio; attamen

eorum ſoni vocabula non ſunt: quoniam nec per naturalia inſtrumenta, nec naturaliter formantur; ſed per artificialia & artificialiter. Additur, *ad ſignificandum determinatè conceptum mentis*, ad excludendum voces, quæ nihil determinatè ſignificant, aut ex natura, ſicut interiectiones: neque ex impoſitione, ſicut nomina & verba. Sed indeterminatè vt *buf, baf.* Et prætera additur, *aliquid ſimplex mente conceptum*; quia interiectiones, paſſiones, & affectiones, declarant complexè per modum orationis, non per modum vocabuli. Verùm enim verò quidquid mente apprehendimus, per ſonum imitantem illud in configuratione literarum exprimendo, vocabulum facimus. Vocabulum autem vocatur terminus apud Logicos, quia ſonos confuſos & indeterminatè ſignificantes ad aliquam ſignificationem, qua ita hanc rem, & non alias confusè ſimul intelligamus, contrahit. Dicitur dictio apud Grammaticos non rectè: quoniam dictio etiam vocatur oratio, ne dum pars eius.

DIVISIO.

Tot ſunt genera vocabulorum, quot ſunt partes orationis immediatè.

DECLARATIO.

ORatio enim ex vocabulis componitur immediatè, ex literis verò & ſyllabis remotè, & remotiſſimè. Quemadmodum mundus immediatè conſtat ex primis corporibus, vocatis elementis, tanquam ex vocabulis: prima autem corpora ex cauſis materialibus actiuis, & idealibus, & formalibus, tanquam ex ſyllabis. Cauſæ autem miſtæ ex propriis particulis tanquam ex literis. Vnde Lucretius corpuſcula indiuidua literis comparat. Quapropter in ſequenti articulo tractantes de oratione, ſimul omnes partes eius, ac proinde vocabula conſiderabimus.

Genera ergo vocabulorum septem sunt: quoniam partes orationis perfectæ sunt similiter septem. etenim

De quarta parte Grammaticæ, hoc est de oratione Cap. 3. Art. 1.

DEFINITIO.

Oratio est vocabulorum complexio, ordinata ad manifestandum quidquid animo complexè concipitur.

DECLARATIO.

QVoniam vna dictio seu vocabulum non facit orationem, nisi subauditis pluribus dictionibus. Vt cum quis interroganti, *vis panem*, respondet, *volo*, per vnicam dictionem; quæ virtute continet pronomen *ego*, & nomen, *panem*. Propterea diximus esse *orationem complexionem vocabulorum.* Addimus *ordinatorum*: quoniam nisi ordinentur vocabula, non faciunt orationem. Vt si dicam: volo Petrus ferrum, igitur, cum; &c. nihil significatur significatione orationis. Dixi, ad *manifestan dum quidquid concipitur mente complexè*; quoniam prius concipimus animo res simplices, deinde vocabulis manifestamus ore concinnatis, ita vt rationem conceptus exprimant. Deinde coniungimus res conceptas, vti sunt in natura, & facimus orationem. Vocabula ergo significant res: oratio complexiones rerum conceptarum.

Appendix, diuisioque orationis in confusam, & distinctam. Art. 2.

DVplex quidem est oratio; alia confusa, alia distincta. Confusa fit absque vocabulis, sed solùm signis osten

tantibus animi passiones, notiones & affectiones.

Vnde à Grammaticis vocatur pars orationis & interiectio: quoniam aliis partibus orationis interiicitur. Sed non rectè. Etenim etiam sola profertur interiectio vocata: & significat totum quod oratio, sed confusè: vt cum ridens exprimit, *Ah, ah ah.* Et admirans, *Papè*: & imprecans *veh*: & plorans, *ehu.* Quapropter non rectè pars orationis ponitur, cum sit oratio, sicut cum dico, *ehu*, idem valet, ac, ego ploro &c.

Oratio autem perfecta est, quæ distinctè significat & per partes quidquid mens aperire vult.

De partibus orationis distinctæ. Art. 3.

ASSERTIO.

Sunt partes orationis septem, nomen, verbum, participium, pronomen, adnomen, adverbium, & coniunctio.

Probatio & sufficientia.

Omnis enim pars orationis aut significat essentiam rerum: & sic est nomen, dictum quasi notamen essentiæ, vt homo. Aut significat actum essentiæ, & hoc facit verbum, vt amo: dictum à verberato aëre, quoniam actus procedit ab essentia foras, sicut vox in aërem. Aut significat actum simul cum essentia; & sic est participium, vt amans, quoniam partim actum denotat. Aut significat personam essentiæ, & sic est pronomen, positum loco nominis, vt ego, & vos &c. Aut significat respectus inter essentias, & circunstantiam, & modum; & sic est adnomen, seu prænomen, vt contra, propter, clam &c. quoniam nomini præponitur significanti essentiam. Aut significat modificationem & circumstantiam actus, & sic ponitur aduerbium; sic dictum, quoniam stat iuxta verbum, significatiuum actus cuiusque: vt benè, fortiter,

fortiter, heri, bis &c. Aut coniungit essentias inter se, aut actus inter se, aut essentias cum actibus, aut ipsorum complexiones: & sic vocatur coniunctio, pars septima; vt, &, enim, igitur. De quibus sigillatim dicere oportebit.

Diuisio. Art. IV.

PArtium orationis apud Latinos, aliæ sunt declinabiles, vt, nomen, verbum, participium, & pronomen. Aliæ indeclinabiles, vt præpositio, aduerbium, & coniunctio. Apud quasdam nationes aliter.

DECLARATIO.

DEclinari dicuntur, quæ in fine variant syllabam ad variationem modi significandi. Quæ non variant modum, nec finem vocis, dicuntur non declinari; apto vocabulo, ex corporalibus sumpto.

De nomine. Cap. IV. Art. I.

DEFINITIO NOMINIS.

NOmen est vocabulum, pars Orationis declinabilis vel particulabilis, significans essentiam cuiuscunque rei ex impositione.

DECLARATIO.

QVoniam de nomine, vt Orationem ingreditur, tractat Grammaticus: propterea definitur per hoc, quod est *vocabulum*, tanquam per genus: sed ad explicandum vsum dicitur, quod est pars Orationis. Quod ponitur loco declarati generis. Deinde dicitur *declinabilis*, ad differentiam prænominis, & Aduerbij, & Con-

iunctionis, quę non declinantur: quoniam dicunt vnam modò circunstantiam, aut respectum, aut modificationem essentiarum, & actuum eorum. Nullum verò dicit essentiam, quæ plures respectus & circunstantias habet; vnde oporteat ipsum declinari in lingua Latina, & casus admittere in fine. In aliis autem linguis habet pro declinatione articulos, horum casuum notas, quod nullibi habent Aduerbia, Adnomina, & Coniunctiones, vt mox aperimus. Propterea non est de essentia vocabulorum esse declinabile, sed vel declinari, vt apud Latinos; vel articulari, vt apud vulgares, & Hebræos; vel vtrumque, vt apud Græcos.

Dixi *significans*: ad differentiam consignificantium. Aduerbium enim & pronomen, & prænomen, & Coniunctio consignificant aliqua circa essentiam & actus: non autem significant aliquid ratum.

Dixi *essentiam*. ad differentiam verbi, & participij; quæ significant actum, & essentiam cum actu. Itemque pronominis, quod indiuidualitates & particularitates essentiæ significat; & non esentiam immediatè, nisi vt personatam.

Dixi tandem, *ex impositione*. Quoniam Nomina & verba ab intellectu imponuntur ad significandum, & non ab animi affectione; quemadmodum interiectiones, quæ nulla intellectus consideratione expectata, foras promuntur.

Primum Corollarium correctiuum definitionis Grammaticæ.

QVapropter falluntur Grammatici, dicentes *Nomen esse partem orationis declinabilem significantem substantiam, aut qualitatem propriam vel communem cum casu.* Non enim solam substantiam, aut qualitatem significat Nomen, sed omnem esentiam, scilicet & quantitatem, & formam, & actum, & actionem, & passionem,

& similitudinem, & dissimilitudiuem, & Relationem, & Non-ens. Et enim & Non-entis datur essentia, saltem in intellectu; quam hoc nomen, *nihilum*, significat.

COROLLARIVM II.

SIgnificare substantiam, & quantitatem, & qualitatem, & insuperomnia alia prædicamenta, est essentiale Nominis: sed quod significat propriam vel communem, est accidentale; nec ponendum erat Grammaticis in sua definitione; cùm nulli sit vsui, neque ad noscendum, nec ad distinguendum. Similiter etiam significare cum casu, accidit Nomini in aliqua lingua, qualis est Latina & Græca. In Hebræa enim, Italica vulgari, & Hispanica & Gallica non dantur casus nominum; sed articuli ipsorum casuum loco ponuntur. Sicut etiam & Nomina Latina indeclinabilia, & sine casibus, vt *celte* & *cornu*] in singulari. Ergò falluntur Grammatici in definitione & essentia Nominis.

Quot modis Nomen significat essentiam.

POrrò Nomina significant omnia prædicamenta, quatenus sunt essentiæ, non autem vt actus. Siquidem albefactio essentiam actionis dicit, & albatio passionis; non autem actum, qui est albefacere, & albescere Hoc enim verborum est. Præterea Nominum aliud essentiam puram dicit, vt Amor, & Homo; aliud vt adiunctam alteri essentię; vt humanum: aliud vt concernit actum in omni genere. Quòd vel essentiam actionis, seu actus, vt *lectio*, *amatio*, *auditio*, vel essentiam patientis; *vt factura*, *creatura*, *armatura*: vel essentiam instrumenti actus; vt *amatorium*, *auditorium*, *sensorium*, *potestatorium*, connotant. Aliud essentiam, cum possibilitate actiua: vt *calefactiuum*: aliud cum possibilitate possibilitate passiua: vt *calefactibile*: aliud significat essentiam ordinatam ad actum, existentiamque vel præsentem, vt

amans: vel præteritam, vt *amatus*: vel futuram: vt *amaturus*, & *amandus*. Aliud totum negotium circa actus, vt *negotiamentum*, *tentamentum*, *armamentum*, vulgò *Parlamento*: aliud totam negotiationis aut entitatis comprehensionem, vt *negotiamen*, *notamen*, *examen*, vulgo *essame*, *caname*, *gentame*, & *canaglia*, *riprisaglia*: aliud rem cum efficientia: vt *notificum*, *dolorificum*, *prolificum*; & quæcunque ex facio, & re, quæ fit, cóponuntur: aliud cũ plenitudine, & fœcunditate; vt *amorosum*, *vinosum*, *umbrosum*: aliud Nomen essentiæ comparationem insuper consignificat; vt *vinosius*, & *fortior*; aliud superlationem; vt *vinosissimus*, *fortissimus*. Concernunt etiam Nomina quantitatem expressam; sed apud Latinos solùm diminutionem; vt *homunculus*, *maiusculus*. At in vulgari lingua etiam amplificant: dicimus enim *Signore*, *Signorello*, *Signorazzo*, *Signorone*, *Signorino*, & *Signorotto*. Primum simplex, secundum diminuit omnino; tertium amplificat; quartum sublimat; quintum minuit ex parte absque abiectione.

Patet autem, quod differentia flexionis, & finitionis vocabulorum indicant respectus additos essentiis; vti mox deriuando considerabimus.

De Nominum diuisione. Art. II. Propositio. I.

DIuisionem sortiuntur Nomina ab essentia à quantitate, à numero, ab ordine, à sexu, à formatione.

Diuisio I. ab essentia, seu essentialis.

NOminum aliud substantiuum; aliud adiectiuum.

DEFINITIONES.

NOmen ſubſtantiuum eſt, quod per modum ſubſiſtentis per ſe, ſignificat; vt Homo. Nomen adiectiuum eſt, quod per modum adiacentis alteri, ſignificat; vt albus, & humanus, & riſibilis.

COROLLARIVM.

ERgo duplex eſt Adiectiuum, alterum ſubſtantiale, ſolaque voce adiectiuum, vt *Rationale*, & *humanum* animæ adiacens; cum dico, *Anima rationalis*, vel *humana*. Aliud accidentale, voce & re Adiectiuum: vt *malignum*, & *doctum* adiacent animæ; vt cum dico, *Anima eſt maligna, vel docta, & homo eſt albus.*

DECLARATIO.

DIuiſio prima ſumitur rectè ab eſſentia Nominis, quæ eſt ſignificatio. Et quoniam res omnis aut eſt ſubſtantia, ſeu eſſentia, ſicut *homo* & *triangulus*, aut accidens ſubſtantiæ ſeu eſsentiæ: vt *albus*, & *ligneus*; cum dico, homo eſt albus: triangulus eſt Ligneus: propterea omne Nomen aut eſt ſubſtantiuum, aut adiectiuum Et ly ſubſtantiuum, idem quod eſſentiale in hoc loco. Vnde al*bedo* eſt ſubſtantiuum, quoniam ſignificat per modum ſubſiſtentis, licèt albedo non ſit res ſubſiſtens in ſe, ſed in ſubiecto corpore. Grammaticus tamen reſpicit modum ſignificandi, non rem ſignificatam: ſicut Metaphyſ. Albus verò dicitur adiectiuum; quia per ſe non ſignificat ſubſiſtens, ſed inhærens accidenſque alteri. Et propterea etiam ly rationale homini eſt adiectiuum: nam licet ſit ſubſtantiale ſecundum rem: tamen ſecundum & ſignificandi modum videtur adiectiuum, vt accidens

ANIMADVERSIO.

GRammatici dixerunt, Nomen substantiuum esse illud, quod declinatur per vnam vocem, & vnum articulum, vt *hic poëta*: vel per duos articulos, & vnam vocem, vt *hic, & hæc homo*. Adiectiuum verò, quod per tres articulos, & vnam vocem: vt *hic, & hæc, & hoc fœlix*: vel per tres art & tres voces: vt *hæc acer, hæc acris, & hoc acre*: vel per tres art. & duas voces: vt *hic*, & *hæc rationalis*, & *hoc rationale*: vel per tres voces: vt *bonus, bona, bonum*. Sed quoniam lingua Latina non recipit articulos, sicut Græca, declaratio ipsorum est nulla. Vnde multi Grammatici non vtuntur articulis in declinando. Vulgaris etiam Lingua non habet nisi duas voces, vt plurimum in adiectiuis: vt *bianco*, & *bianca*; & in plurali *bianchi*, & *bianche*, similiter & Hispani, Arabes, & Hebræi. Præterea declaratio ipsorum non est à natura Nominum, sed à signo adiacente, & vsu.

Diuisio II. Nominum ex quantitate.
Art. III.

Nominum aliud commune, aliud proprium.

DEFINITIONES.

NOmen commune est quod plura similia simul significat, vt *homo*. Nomen proprium est quod significat vnum, vt *Roma*, & *Petrus*; & propterea etiam vocatur particulare, & personale.

DECLARATIO.

HÆc diuisio dicitur à quantitate, quoniam commune continet multitudinem: & ideò dicitur de

multis. Nam *Petrus est homo, Paulus est homo, Franciſcus est homo.* Propriū vni ſoli conuenit, vt Roma. Non enim dicitur Roma niſi ciuitas illa, in qua Papa regnat. Et quāuis aliæ ciuitates poſſint vocari Roma; ſicut & alij homines etiam vocantur Petrus; tamen intellectus huius Nominis, *Roma*, & Petrus, reſpicit vnum, cuius eſt proprium. Sed profectò grammaticaliter omnia propria poſſunt fieri communia ſecundùm vocem, ſeu per æquiuocationem; ſecùs autem ſecundùm rem; vt in Logica docebimus. Rectè tamen hanc diuiſionem quantitati adſcripſimus; quoniam magnitudo & multitudo in ſignificatione ad quantitatem ſpectare videtur. Nomina etiam à pronominibu fiunt communia, & particularia, & ſingularia; vt *omnis homo*; *aliquis homo*; & *hic homo*: ſicut ſuo in loco docebimus.

Tertia diuiſio Nominum, à numero. Art. IV.

NOminum aliud ſingulare, vt *homo*: aliud plurale, vt *homines*.

DECLARATIO.

HÆc diuiſio non reſpicit collectionem, & vnitatem, ſicut iam dicta; ſed ſolùm prolationem. Nam *homo*, eſt Nomen commune, & gens, & populus; plura enim ſignificat, ſed per modum vnius collectiuè. Et propterea licèt ſit nomen commune; non tamen eſt plurale, ſed ſingulare: *homines* autem numeri eſt pluralis quia pluraliter profertur. Et hoc in omni lingua ſimiliter.

Quarta diuiſio Nominum, ex ordine. Art. V.

Nominum aliud primitiuum, aliud deriuatiuum.

DEFINITIONES.

PRimitiuum est, quod à nullo est grãmaticaliter, vt *homo*, & *mons*. Deriuatiuum, quod ab altero deriuatur: vt *humanus* ab homine: & *montanus* à monte. Semper autem deriuatiuum est adiectiuum, aut verbale: primitiuum non item.

DECLARATIO.

REctè distinctionem hanc ab ordine sumpsimus. Ordo enim est, vbi datur primum, & secundum, & tertium seriatim à primo: ergo quia aliqua nomina sunt primitùs imposita ad aliquid significandum substantiuè: dicuntur rectè primi ordinis: quæ verò ab eis, dicuntur deriuari, sicut riuus à fonte. Et quidem datur à deriuatione etiam deriuatio. Nam à Marco deriuatur Marcellus: à Marcello Marcellinus: Et à Iusto Iustinus: à Iustino Iustinianus. Et quidem, ly Iustus, sumitur substantiuè, quatenus ab eo deriuatur Iustinus, & Iustinianus. Non tamen inuenies deriuatiuum, quod non sit adiectiuum, vel verbale: à patre enim deriuatur paternus & patrizare.

COROLLARIVM.

DAntur Nomina positiua, vt *iustus*: & comparatiua vt *iustior*: & superlatiua, vt *iustißimus*: significantia magis iustum, & maximè iustum, & hoc apud Latinos, non in cunctis linguis. Et quidem comparatiuum deriuatur à primo casu, desinente in *i*. si. n. *iusti* addimus *or*, fit *iustior*: & *forti*, *fortior*. At superlatiuum regulariter deriuatur à primo casu desinente in *is*, aut in *r*, Rx. vt à *iustis* & *fortis*: *iustißimus*, & *fortissimus*: & à *miser*, *miserrimus*.

EXCEPTIONES

EXCEPTIONES LATINORVM.

EXcipiuntur *bonus*, *malus*, *paruus*, *magnus*: ex quibus non deriuatur *bonior*, *bonißimus*, & *malior*, *paruior*, *magnior*, *malißimus*, *paruißimus*, *magnißimus*, ſed à bono *melior*, *optimus*: à malo *pejor*, *peßimus*: à paruo *minor*, *minimus*: à magno, *major*, *maximus*. Excipiuntur nomina deſinentia in *ificus*, vt *magnificus*, *maleficus* *beneficentiæ beneficus*, ſimilia: & quibus deriuantur *magnificentior*, *magnificentißimus*: *maleficentior*. *maleficentißimus*: *beneficentißimus*, & ſimiliter in ſimilibus. Præterea excipiuntur quædam nomina in *ilis* de ſinentia, vt *facilis*, & *humilis*, quæ licet producant *facilior* & *humilior*: tamen non adiungunt, item *facilißimus*, *humilißimus*: ſed *facillimus* & *humillimus*, *gracillimus*. Dicimus tamen ab *vtili vtilißimus*, apud Plinium. In vulgari autem lingua per aduerbia graduantur, vt *bono*, *più bono*, *il più bono*: *mò purſidice bonißimo*, *fortißimo*, ſuperlatiuè. Gallicè verò *Tres bon.* quoniam tertio gradu diſtat ſuperlat. à poſit.

ANIMADVERSIO.

GRammatici hanc diſtinctionem vocant *ſpeciei*, vnde dicunt primitiuam ſpeciem, & deriuatiuam: ſed cùm ſpecies ſit id, quod ſub ſignato genere ponitur: aut rei apparentia: cum hanc diuiſionem non ponant ſub genere aſſignato vllo, non rectè ſpecificam vocant. Poſſent enim ſimiliter dicere ſpeciem ſingularem & pluralem: & & declinationes etiam ſpecies nuncupare.

Philoſophiſma Grammaticationis ad deriuationes.

DEriuare eſt riuum de fonte ducere. Fons eſſentia rerum eſt, vndè ducitur exiſtentia & actus exiſtendi, actuandi, agendi, & patiendi. Idcircò ex nomine,

quod essentiam significat, deriuatur verbum. Nec potest inueniri verbum, quod non sit à nomine: vt enim à nomine deriuatur *nominare*, ita à calore *calere* & *calefacere*: à frigore *infrigido*; ab amore *amo*: à vita *viuo*, ab homine *homifico*, etenim vbi non extat verbum, oportet illud fingere in Grammatica philosophica: vt à remo *remigare*: à capite *capitulare*: à manu *maneggiare* dicimus in vulgari idiomate, vt à patre *patrizzare* &c. *spalleziare*, *campeggiare*, *festeggiare*.

2 Veruntamen vbi prius rerum actus, quàm essentia innotuit deriuauimus nomen à verbo non secundum naturam, sed secundum neces. sic à θεάομαι *Theos. i. video* dicitur θεὸς *Deus*: & à lego dicitur *lector*, & *lectio*: & à diligere *dilectio*. Essentia enim diligentis qua diligens est, nomen non habet, sicuti multa, quorum esse est adiectiuum non subsistens.

3 Quando verò essentia cum suo actu essendi, vel existendi, vel operandi, vel agendi, vel patiendi simul significatur, tunc ad vtrumque significandum sex nomina participalia deriuantur. Duo dicunt potentiam ad actum, vt *amabile* & *amatiuum*: *factibile* & *factiuum*, idest quod potest fieri & quod potest facere: & duo significāt essentiam cum actu præsenti, vt *amans* & *amatum*, portans & portatum: duo verò cum actu futuro, vt *amaturum* & *amandum*: *facturum* & *faciendum*, idest quod faciet & quod fiet. Duo verò præteritum concernere actu cum essentia deberent, quæ tamen in Latina lingua non reperiuntur; sed ly *amatum* ampliatur ad præsens & præteritum sicut & ly *amans*. Posset autem dici Amatutum, & Amatans, lectutum & lectatans: portatutum & portatans. Qui ergo linguam perficere vult consideret. Dicitur tamen in aliquibus cænatum, id est quod cænauit, & quod cænatum est: sed confusa actione cum passione per inertiam vsus, tyranni sermonum: non autem rationis, quæ Rex est sermonum.

4 Quandò essentia non cum actu, sed cum virtute ad actum dicitur, deriuamus nomen aliud in tor vt Amator,

ædificator, ideſt qui artem & vim ædificandi habet, vel profeſſionem.

5 Rurſus quando inſtrumentum vel aliquid inſtrumentale ad illum actum, enunciatur, deriuamus nomen aliud in orium deſinens, vt *amatorium, locutorium, executorium, ſenſorium, poteſtatorium, appetitorium.*

6 Deriuamus in *itium* & actiuum, quando quod de genere materiali alicuius eſt pronunciamus, vt factitium, nouititium, commendatitium, ſtillatitium & vulgò monuitizzo, compariccio, acquariccio.

7 Quando modum eſſentiæ cum actu: in *ura* deriuamus, vt *factura*, genitura, creatura.

Quando congeriem eſſentiarum & actuum eiuſdem generis in entum deriuamus vocabulum, vt *firmamentum*, documentum, & monumentum: & vulgò *Parlamento* facimento, magiamento, ſentimento.

Item cum pertinet aliquid ad eſſe dicimus, in ile & ale, deriuamus: vt *herile* ab hero, ſeruile à ſeruo: humile ab humo, ouile ab ouibus: brachiale à brachio: exitiale ab exitio.

Quando ipsũ actũ, vt eſſentia & quidditas eſt, vel in *or*, vel in *ia* vel aliter deriuamus, vt Amor, languor, dolor, ſapictia, doctrina, lectio, amatio, iuſtitia, locutio, differitas.

Quando eſſentiam plenam actu, in *entia*, vt *indolentia*, patientia, conniuentia, ſomnolentia, præſentia, differentia, abſentia.

Quædam dicunt eſſentiam & curam actus, in *arium* deriuata, vt Armentarius, Coriarius, Commiſſarius, depoſitarius, lorarius, & vulgò ſtaffiero, Caualiero, ſomicro &c.

Quædam dicunt eſſentię & actus ſimul munus, & in *ium* deriuantur, vt lanificium, opificium, diſſidium, puerperium, pontificium, ſacrificium, presbyterium.

Quædam comparationem dicunt adiectiuorum, quædam ſuperlationem in *ior*, & in *iſſimus* deriuata, vt iuſtior, iuſtiſſimus, à iuſto, &c.

Quædam diminutionem in *culam*, & in *illam* & in *el-*

lum, vt *maiusculus*, pectusculum, corculum; & mollicellum, marcellum, scribillo, refocillo &c.

Quæ autem inclinationem, cum actus delectatione in *osum* deriuant, vt *amorosus*, fragosus, carnosus, vinosus, fastidiosus.

At in lingua Latina non reperitur verbum & nomen has omnes deriuationes habens. Dicimus enim, Amor, amans, amatum, amaturum, amandum, amatiuum, amabile, amatorium, amator, amatissimuus, amantior, sed deest amatio, amamentum, amaficium, Amatura, Amantia, Amorosus, amaticium, amatile: quæ tamen aliis non desunt vocabulis.

In vulgari lingua desunt deriuationes multæ, sed aliæ insuper adduntur. Nam a signore dicimus signorone, signorazzo, signoretto, signorino, signoruzzo, signorello. Pietro, Petrone, Petrazzo, Petrotto, Petrino, Petrillo, Petruzzo. *Signorone* addit magnitudinem altitudinis: *signorazzo*, látitudinis: *signorotto*, modicam diminutionem, *signorino*, plus minuit & segregat. *Signorello*, ad teneritudinem imbecillam trahit. *Signoruzzo*, ad minimum.

Quinta nominum diuisio à Sexu. Art. V.

NOminum aliud masculinum, aliud fæmininum, aliud neutrum, aliud commune, aliud omne, aliud promiscuum; aliud incertum.

DEFINITIONES.

NOmen masculinum est quod masculum in sexu rerum significat: vt Poëta, & albus. Et declinatur per articulum hic Latinis, vulgo per *il*.

Fæmininum est quod fæminam significat, vt scientia & alba & mulier & designantur per articulum, *hæc*: vulgo per *la*.

Neutrum, quod nec masculum nec fæminam significat,

vt declinatur per articulum *hoc*: vt ſtudium, & album, & rationale. deeſt in vulgari ſermone articulus neutri.

Commune quod ſimul maſculum & fæminam ſignificat: & notatur per articulum *hic* & *hæc* homo, & aduena, & rationalis.

Omne eſt quod ſignificat maſculum, fæminam, & neutrum: & declinatur per tres articulos, vt *hic* & *hæc* & *hoc* fælix.

Promiſcuum, quod ſub vna ſexus ſignificatione ſignificat vtriuſque ſexus animal, vt hic Paſſer, hæc aquila ſecundum vſum loquendi.

Incertum quod nunc maſculinè, nunc fæmininè pronunciatur: *vt hic vel hæc* finis, tam latinè, quam vulgariter.

DECLARATIO.

QVamuis res omne in omni ſpecie habeant aliqua in diuidua fortia, vt actiua in generatione: aliqua imbecilla & paſſiua in generatione, prȩſertim animalium: Latini tamen vſum ſermonis præficientes non agnoſcunt ſexum niſi in animalibus. Et ex his traduxerunt ad plantas. Pythagorici autem ſexum in cunctis agnoſcunt rebus: ita vt agens ſit mas, patiens fæmina, materiaque. Grammatici tamen in omni re hoc non agnoſcentes, duce vſu poſuerunt maſculinum ſexum & nomen maribus: fæmininum, fæmininis: & ex his ad res alias tranſtulerunt. Quapropter *Deus* dicunt maſculinè, & *terra* fæmininè: & *ignis* maſculinè, & *aqua* fæminine. quoniã in his actio in iſtis paſſio relucebat. At in multis genus non ponunt. neque enim ſtudium eſt maſculus aut fæmina, & rectè. Sed rebus fæmineis aliquando dant vtrumque nomen: Aqua enim dicitur *lymfa* fæmininè, & *latex* maſculinè: & quidem actus voluntatis vocatur appetitus maſculinè, auiditas fæmininè: & deſiderium neutraliter. Scamnum etiã ponitur neutraliter, cum potius fæmininè debeat poni, quoniam ſubſtat, vt fæmina ſedentibus.

Quapropter distinguendũ est de sexu Physico & Grammaticali. Physicè enim non datur sexus nisi masculinus & fæmininus, vt in viro & muliere: & promiscuus, in hermaphrodito, & in lymacibus, communis: nam motus vehementis est masculeus, debilis fæmineus. Neutrum autẽ nil videmur dicere: non enim propterea quod non est mas nec fæmina est aliquod genus, Sed potius est nullum genus physicum. Sed grammaticaliter dantur sexus plurimi iam dicti: masculeus, fæmineus, neuter, communis, omnis, promiscuus, & in certus, secundũ loquendi vsum, qui non semper naturæ correspondent, sed plerumque, in Grammatica humana. Grammatica autẽ Angelorum melius exprimit & per certas voces certos sexus & veraciter.

Sexum Grammatici vocant genus, & non rectè, non enim sunt duo genera mas & fæmina, vt in logica patebit.

Sexta diuisio nominum à formatione. Art. VI.

NOminum aliud est formæ simplicis: aliud compositæ: aliud decompositæ.

DEFINITIONES.

NOmen simplex est vnius vocis, compositionis expers, vt Animus.

Compositum nomen est, quod ex pluribus nominibus componitur, vt Magnanimus ex magnus & animus.

Decompositum verò est, quod ex composito deriuatur, non addita interdum compositione alia, vt Magnanimitas ex magnanimo.

DECLARATIO.

NOn ab re hanc distinctionem ex formatione vocabuli accipimus. Cum enim res aliæ constent ex simplici forma, sicut aqua, cuius omnis pars est aqua ob originalem homogeneam formationem. Aliæ constent ex composita forma, sicuti pirum ex circulo & angulo: Aliæ ex pluribus compositis, sicut facies hominis ex forma oculi, & nasi, & genarum, & mandibulæ, & auris, & ceterarum partium; ita euenire oportet vocabulis in sui formationibus. Forma enim totius ex formis partium; formæ partium ex vnitatibus resultant simplicium formationum; sicuti in logicis declarabimus. vocatur etiam figura à Grammaticis simplex composita: quos non sumus imitati, quoniam formatio proprius quam figura rem hanc elucidat.

CONSIDERATIO.

COnsiderandum, quod compositio alia fit ex nomine & nomine vt Magnanimus ex Magno & animo: alia ex nomine & verbo, vt Magnificas ex magno & facio, alia ex nomine & prepositione, vt conseruus ex cum & seruo, & transpositio ex trans & positione: Alia ex aduerbio & verbo, vt maleficus & male & ficio: alia ex aduerbio & nomine vt beneficium.

Accidentia communia omnibus Nominibus. Art. VII.

ACcidunt nominibus declinatio & casus, in Latina Grammatica.

DEFINITIO CASVS.

CAsus est mutatio nominis in fine seu cadentia dictionis in eodem numero, vt Petrus Petri Petro.

DISTINCTIO CASVVM.

CAsuum alius est rectus, qui nominatiuus vocatur: quoniam omnis rei nominatio prima in ipso est.

Alius obliquus quia non ad res solam nominationem, sed etiam ad aliquid circa rem spectat, & est quintuplex, videl Genitiuus datiuus accusatiuus, vocatiuus, & ablatiuus Quibus debet addi actuatiuus, vocatus à Grammaticis septimus casus.

DECLARATIO.

NOminatiuus dicitur casus non quia cadit ab aliquo, sed quia in fine aliam cadentiam habet quam alij, & rectus dicitur, quoniam recta nominatio essentiæ per ipsum est. Alij dicuntur casus, quoniam à nominatiuo & rectitudine significationis cadunt, & simul in fine mutant cadentiam.

Dicitur genitiuus à gignendo, vel quia primus gignitur à recto vt quidam volunt, & hoc minimè. Nam poëtæ non magis in genitiuo quàm in datiuo dicimus, & Patri *datiuus*, vicinior est pater *nominatiuo*, quàm patris *genitiuus*, qui addit vnam litteram super vtrumque. Sed dicitur genitiuus à gignendo, quoniam patrem in genitiuum ponimus cum nominamus filium more maiorum, vt Petrus Ioannis filius. Sed non solum Patrem, sed possessorem, & subiectum, & causam & alia multa ponimus sæpè in genitiuo, quoniam habent aliquam similitudinem cum patre saltem Grammaticalem, & veteres nescierunt vocabulum explicans omnia

ad

ad hunc casum pertinentia: & declararunt eum à maiori parte.

Dicitur datiuus à donando, quoniam ille, cui quid datur, ponitur in tali casu plerumque, licet interdum & cui aufertur & cui timetur, &c.

Accusatiuus dicitur ab accusando, quoniam patiens causa quasi semper in ipso ponitur; accusati autem est pati. Accusare autem est etiam adnotare & sugillare.

Vocatiuus dicitur à vocando; quoniam cùm quempiam vocamus, in hoc casu obliquamus nomen, vt ô Petre.

Ablatiuus ab auferendo, quoniam cùm ab aliquo quid auferimus, ponimus illum in tali casu, sed etiam causa agens passiua ibi ponitur, & instrumenta omnia, quibus operamur, vt quibus implemus & vacuamus, vt loquentes de verbis declarabimus. Actuatiuus ab actuando, quando forma instrumentum & pars instrumentalis actum concernunt immanentem, vt in 2. lib. docebimus.

CORRECTIO.

NOn sufficiunt præfati casus, quoniam Poëta est nominatiui, vocatiui, & ablatiui. Poetæ verò genitiui, datiui in singulariter & iterum nomin. & vocat. in plural. ergo alij addendi erant in cunctis declinationibus, vel standum in articulis, vel addendi. Nam cum vulgò dicimus *il philosopho* non habetur in latino nisi *philosophus*, qui non exprimit quod art. innuit, præsertim in anthonomasia.

DEFINITIO DECLINATIONIS.

DEclinatio est variatio casuum nominum generatim.

DECLARATIO.

QVando nomina in fine cadunt, seu desinunt aliter, cum dicunt essentias, & aliter cum circa essentias aliquid de illis dicitur in lingua Latina & Græca: in nostra enim vulgari non est differentia casuum, sed numeri tantum: loco autem differentiarum ponimus articulos, quibus carent Latini & abundant Græci; & in hisce casibus non omnia eandem normam seruant, sed declinant ab ea variando pluribus modis apud Latinos; in vulgari enim nonnisi duo sunt modi, & à nominatiuis agnoscuntur non à genitiuis, vt in latina; Grammatici tradiderunt declinationes nominum.

DE NVMERO DECLINATIONVM.

SVnt autem declinationes nominum sex: prima cuius genitiuus singularis desinit in *æ*, diphthõgum, vt Musa Musæ. Secunda cuius genitiuus singularis desinit in *i*, longum, vt Dominus Domini. Tertia cuius genitiuus singularis desinit in *is*, correptum, vt pater patris. Quarta, cuius genitiuus singularis desinit in *us* productum, vt visus, visus. Quinta, cuius genitiuus singularis desinit *ei*, vt fides fidei & species speciei. Sexta, cuius genitiuus singularis desinit in, *u*, vt cornu cornu: Iesus, Iesu.

DECLARATIO.

NOminatiuus non indicat declinationes casuum, quoniam contingit ipsum pluribus modis accipi à Nomina imponentibus, cum præsertim à lingua peregrina in latinam accersiuntur, sed in genitiuo concordant, & in cæteris, propterea à genitiuo habent distinctionem singularem, vt Poeta poetæ, Anchises Anchisæ, Eneas Eneæ, Adam Adæ, Aminthas Aminthæ. Hæc omnia nomina spectant ad primam declinationem, &

conueniunt in genitiuo & opponuntur in nominatiuo. Sed profectò Calliope est primæ declinationis, & concordat cum aliis in genitiuo, qui facit Calliopes, propterea dicendum quod nomina purè latina conueniunt, externa verò variant in eadem declinatione: idem videbis in 2. & 3. & quarta declinatione, & quinta & sexta.

ANIMADVERSIO.

IN prima Latinorum declinatione nominatiuus desinit in a, breue, ablatiuus similiter in, a, longum, vocatiuus in a, breue: genitiuus & datiuus in æ, diphthongum Qua in re videtur vulgus latinorum errasse: omnis enim casus debet ab omni & singulo distingui, quando præsertim non adest articulus distinguẽs, neque prouũciatio. Igitur non rectè datiuus, & Genitiuus in *æ* desinũt Loco quorũ vulgares ponunt articulos *del* & *al*, vt, del poeta &, al poetas, scribitur. nec rectam normã tenuerũt ponentes poeta in nominatiuo, vocatiuo, & ablatiuo: nam nec variatur quantitas in pronunciando nominatiuum & vocatiuum: nec si variatur in ablatiuo agnoscitur; cum solum penultimarum in latino agnoscatur quantitas. Præterea in plurali latinorum numero primæ declinationis nominatiuus vocatiuusque desinunt in æ, diphthõgum, genitiuus in *arum* datiuus, & ablatiuus in, *is*, longum, aut in *abus*, cum à masculino separamus fæmineum sexum: sed profectò non rectè, quoniam confundunt oratione similitudinis casus: idcirco distinguendi erant saltem per articulos. Feliciores in hoc sunt Græci vulgares vtuntur articulis: vt nominatiuo *li poeti*: Genitiuo *delli* poeti: accusatiuo *li poeti*: vocatiuo *ô poeti*, ablatiuo *dalli poeti.* Sed non rectè confundunt articulum nominatiui & accusatiui.

Secunda declinatio in latinis rationaliter: dicunt enim: Nominatiuo Dominus, genitiuo Domini, datiuo Domino, accusatiuo Dominum, vocatiuo ô Domine, ablatiuo à Domino: Variant nominatiuum in us, Dominus: in

er, vt magiſter : ſcamnum, & in hoc genere neutro confundunt nominatiuum cum accuſatiuo, vocatiuo in *um*: & in plurali ſcribitur in *a*, hi tres caſus deſinunt.

In tertia declinatione nominatiuus multipliciter variatur in *r*, *ix* ponitur, in iz vt fælix, in *on*, vt Attheon, in *en*, vt nomen, in *ac*, vt lac; in *es*, vt Auerrœs : in, *e*, vt omne : in, *a*, vt epigramma : in, *is*, vt nauis: quæ in genitiuis conueniunt in, *is*; datiuis in *i*; in accuſatiuis in, *em*; ſed neutra omnia, vt in nominatiuo : vel in, *im*, vt nauim : in ablatiuo in, *i*, vel in *e*, cum confuſione datiui, & aliquando nominatiui.

Quarta declinatio in *us* habet nominatiuum, & genitiuum & vocatiuum ſingulares, quos confundit cum nominatiuis vocatiuis & accuſatiuis pluralibus datiuus habet in, ui, accuſ. in *um*, ablat. in, *u*.

Quinta concordat in nominatiuis in, *es*, deſinentibus ſemper & genitiuis in cunctis in, *ei*; Sed confundit genitiuos cum datiuis in ſingulari. Accuſ. in, *em*, ablat. in, *e*, ſed vocatiuus ſingularis & nominatiuus & accuſ. & vocat. pluralis confunditur cum nominat ſingulari. Genitiui recte ſe haben in eorum pluraliter, ſed datiui cum ablatiuis in *ebus* confunduntur.

Sexta declinatio non ponitur à Grammaticis, ponenda quidem : Nihil .n. commune habet Nominatiuo *cornu*, cum cæteris præſertim cum quinta, in qua ab eis ponitur. Nominat. genit. accuſ. vocat. ablat. faciunt, *u*, ſemper in fine. At in plurali nominatiuo vocatiuo & accuſ. in, *a*, vt cornua, genua, verua, &c. Præterea ſoli datiui confuſi cum ablatiuis pluralis numeri in *ibus* conueniunt cum quæ ſunt quintæ,

NOTANDVM.

IN lingua Græca & caſus & articuli clarificant eſſentiarum nominatarũ actualitates : in Latina ſoli caſus in vulgari, Itala, Francica, Hiſpana, Hębrea & Arabica, ſol articuli, propterea diximus accidentia, caſum extra

declinationem esse nominibus. Igitur nec datur declinatio cunctis quoque Latinis.

De pronomine Capit. IV. Art. I.

DEFINITIO.

PRonomen est vocabulum declinabile consignificans personas, vel personalia essentiarum.

COROLLARIVM I.

ET idcircò dicitur pronomen, quoniam ponitur loco proprij nominis.

COROLLARIVM II.

ERgo semper repræsentat essentiarum existentias. Vel existentiam primò, aut in recto: essentiam in obliquo, & secundario.

DECLARATIO.

DIcitur pronomen *vocabulum & pars orationis declinabilis*, sicut & nomen ex suo genere, qui conuenit cum aliis dictionibus, & ex differẽtia ab indeclinabilibus. Non additur *vel articulabilis*, quoniam articulorum non est articulus, pronomina autem articuli sunt. Dicitur *consignificat personas vel personalia essentiam* ad differentiam Nominis & verbi: quorum illud significant essentias, istud actus.

Est autẽ persona quod per se aliquod particularizatũ & distinctũ ab aliis, & indiuisum in se, sonat vt *Petrus* & *filius primus Martini*. Omnis enim res in suis causis habet essentiam puram, sicut A. mente mea, non est mista materiæ neque quantitati, neque qualitatibus rerum coexistentium. Non est in cera, neque in ligno, neque nimis

longa, neque curta, neque alba, neque nigra, neque gracilis, nec crassa. Sed cum venit de mente mea ad existentiā, idest ad essendum extra tunc non est amplius pura, sed habet suam personalitatem mixta cum aliis rebus, non enim dicitur .A. Sed hæc .A. curta, nigra, gracilis, &c. Sic homo in mente Dei, vel in natura, non est hic homo, nisi cum per se est extra caūsas, & propriam habet personam & dicitur hic homo, & petrus, & ille, & iste, & tu & ego, & meus, & noster & aliquis. Pronomen ergo non significat essentiam sed personam, vt *ego & tu* vel personalia vt *meus tuus*. Et quoniam persona est essentiæ subsistentia, aut singularitas, propterea semper pronomen significat essentiam, sed personatam, vel personam essentiæ. Aliquando & personalia. Cum enim dico *filius*, essentiam significo, sed cum dico, *filius meus*, significo essentiam filij personatam idest hanc factam. Et propterea, vt dicitur in primo corollario, pronomen stat loco nominis, quoniam persona non est persona nisi essentiæ ad existentiam deductæ. Et in secundo corollario diximus, quod significat existentias essentiarum: quidquid enim in rerum vniuersitate est, existentiam habet, sed non subsistentiam, aut personam, nisi sit substantia: vt Album habet existentiam, sed non subsistentiam, quoniam non existit per se, sed in persona alicuius, vel in indiuiduo aliquo corpore. Persona quidem propriè dicitur de rationabilibus creaturis; indiuiduum, & hypostasis de cunctis creaturis ad existentiam deductis. In recto igitur ponitur existentia, in obliquo saltem implicito, essentia: cum dico, ille homo idest illa persona hominis &c. Ego Petrus: homo enim & Petrus secundariò ponuntur; & aliquando expresse in obliquo casu vt aliquis hominum, vel quippiam salis. Dicitur *consignificans*, quoniam pronomen non significat de se, nisi vna cum nomine expresso vel implicito: vt ego. Petrus, trahit personalitatem ad se.

APPENDIX.

QVamuis nomina ſingularia, vt Petrus & Fabius dicant eſſentiam perſonatam, haud tamen ſunt pronomina: quoniam in recto eſſentiam dicunt vt ſingularis & non ponuntur loco alicuius nominis ſignificantis eſſentiam, ſed de ſe ipſam ſignificat. Licet connotatiuè pronominent, cum nominant. Petrus enim eſt hic homo filius Ionæ: & exiſtentiam ergo dicat in obliquo: & ſignificat eſſentiam in recto. Vel exiſtentiam, vt quædam non eſſentia eſt, ac ſub ratione exiſtentiæ.

ASSERTIO. Art. II.

QVoniam proprium eſſentiale eſt pronominis ſignificare perſonas, prima diſtinctio pronominum erit à perſonis.

DIVISIO ESSENTIALIS.

PRonominum aliud ſignificat perſonam primam, vt ego & nos: aliud ſecundam, vt tu, & vos: aliud tertiam, vt hic, & ille: aliud omnes perſonas, vt qui, quæ, quod.

DECLARATIO.

REctè ponitur eſſentialis diuiſio pronominum à ſignificatione perſonali, quoniam hic eſt vſus & eſſentia pronominis. Tres ſunt perſonæ tantum apud Grammaticos, quoniam perſona repræſentat exiſtentiam cum profertur: qui ergo profert, vel repræſentat ſe, ſic dicit. *Ego*: vel alium quo cum loquitur; & ſic dicit *Tu*: & ideò omne vocatiuum nomen eſt perſonæ ſecundæ, quoniam ſubauditur *tu*, & *vos*. Vel alium tertium de quo eſt ſermo & ſic dico, *ille*. Nos addimus perſo-

nam quartam, ideſt omnem, quoniam pronomen *qui* refert omnes perſonas, & illius eſt perſonæ quam refert, vt ego qui, tu qui, ille qui: vbi *qui* eſt prima, & ſecunda, & tertia. Myſterium Theologicum eſt, cur non vltra tertiam perſonam ſermo producitur. Neque enim in eternitate ſunt plures primalitates.

Secunda diuiſio ab eſſentia.
Art. III.

PRonominum aliud ſubſtantiuum, vt ego, tu, nos, vos, ſui hic iſte, ille, ipſe. Aliud adiectiuum, vt meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, quis, aliquis, quis, quidem quiſpiam, omnis.

DECLARATIO.

DIcitur pronomen ſubſtantiuum, quod ſignificat exiſtentiam ſeu perſonam, quaſi per ſe exiſtentem. Et ideo non ſolum ego, tu, nos, vos, & ſui, ponuntur ſubſtantiua, quæ per voces plures non declinantur: ſed etiam hic, iſte, ille, ipſe, quæ per voces tres, & articulos pronunciantur, quoniam directè ſignificant perſonam, vt per ſe exiſtentem: & hic non valet regula grammaticorum, ex vocibus, & articulis ſubſtantiam, & accidentalitatem vocabulorum declarans. Sed in ſpiciendum eſt ad modum v ſignificandi. Poſuimus adiectiua pronomina, meus, tuus, ſuus, noſter, & veſter; quoniam non ſignificant perſonam directè vt per ſe exiſtentem, ſed adiacentem, dicitur enim equus meus; quaſi *eſſe meum*, ſeu *meitas* adiaceat equo. Sed cum dico, ego, & ille, demonſtrando adiacentiam & accidens perſonale non dico, Sed perſonam oſtendo. Sed forſan *quis* dicit perſonam per ſe; quod ſi ita eſt, etiam *aliquis* & *quidam* dicet perſonam ſine adiacentia: & *quilibet omnis* dicet perſonas. Sed intelligitur cui adiacet. Etenim *quidam* exponitur, *quidam homo*: & *omnis*, exponitur *omnis homo* ſingularis &

præ

personatus. Quod si ita non est, hæc distinctio non habeat locum in pronomine sicut habet in nomine.

Distinctio tertia ex quantitate.
Art. IV.

PRonominum aliud vniuersale, vt quilibet, & omnis, & quicumque; aliud particulare, vt aliquis & quidam, & quispiam; aliud singulare, vt ego, tu, ille, ipse, hic, iste.

DEFINITIO.

PRonomen vniuersale est, quod significat omnes personas simul: vt omnis homo. Particulare quod significat aliquas personas tantum: vt quidam homo, & aliqui & homines, & alius homo: singulare est quod significat vnicam singularem personam, vt hic homo, iste, ille, alter, & vnus.

DECLARATIO.

GRammatici non rectè posuerunt inter nomina, omnis & aliquis, & quidam: hæc enim nullam essentiam significant nobis: nec illis substantiam aut qualitatem: vnde logici non vocant eos terminos significatiuos, sed consignificatiuos & syncathe goregmaticos; quoniam per se non significant, sed habent in oratione officium designandi personas omnes aut quasdam, quæ in illis subintelliguntur. Cum enim dico, omnis homo, non intelligitur essentia hominis, sed omnis persona humana: veluti cum dico, quidam lapis non intelligitur essentia lapidis, sed aliquod corpus indiuiduum lapideũ, seu lapis deductus ad existẽtiam aliquam. Et cum dico, hic homo, non significo substantiam hominis, nisi secundariò, sed personam quam demonstro hominis.

COROLLARIVM.

ET ideo pronomen non ſtat loco nominis communis, ſed proprij: cum enim dico, omnis homo: ly *omnis* ſignificat Petrum, Ioannem, Franciſcum, & alias perſonas humanas, ſcilicet *hic homo* ſignificat Petrum, quem oſtendo.

Diſtinctio quarta ex ordine. Art. V.

PRonominũ alia primitiua, vt *Ego, tu, nos, vos, ſui, ille, his, iſte, ipſe, is, quis*, alius. Alia deriuatiua, vt *meus, tuus, noſter, veſter, ſuus, idem, noſtras, veſtras, alienus.*

DECLARATIO.

MVlta pronomina primitiua habent ſuum deriuatiuum à genitiuo dictum, vt ego, mei, facit meus, mea, meum, tu, tui, tuus, tua, tuum. Sui, ſuus, ſua, ſuum, & nos producit, noſter & noſtras: vos, veſter & veſtras. *Is* producit *idem*, niſi hoc ſit compoſitum ex *is* & *demum*. *At ipſe, ille, hic, quis* ſunt primitiua, & non producunt deriuatiuum; *alius* tamen facit *alienus*, & *alter, alteratus*. Ipſe quoque facit *ipſiſsimus* apud Plautum.

Diuiſio quinta ex numero. Art. VI.

PRonomen aliud ſingulare, vt ego: aliud plurale, vt nos.

DECLARATIO.

PRima, secunda & tertia persona sunt numeri pluralis & singularis; sicut nomina, tam primitiua quam deriuatiua. Hoc tamen notandum quod in lingua Latina & vulgari Italica non correspondent sibi pluralis numerus cum singulari, in primis & secundis personis. Nam cum dico *ego* in singulari, deberē dicere *egones* in plurali: & ex *tu* singulari, *tunes* in plurali: & tamen dicimus *nos & vos*. Et profectò lingua Turcica meliorem in hoc habet conditionem, quoniam pro ego, & nos, habet *ban & bani*, pro tu & vos, *san & sani*, puto etiam alias linguas *similiter* se habere. In tertiis personis rectè se habent; singulare enim est *ille*, *illa*, *illud*: plurale *illi*, *illæ*, *illa*.

Distinctio sexta ex sexu. Art. VII.

PRonominum aliud masculinum vt *ille*: aliud fæminum, vt *illa*; aliud neutrum, vt *illud*: aliud omne, vt *ego*, *tu*, *sui*, *nos*, *vos*, *nostras & vestras*.

DECLARATIO.

EAdem ratione declaratur sexus pronominum atque nominum. Sed pronomina carent commnui & promiscuo, & incerto. Quoniam cum significant personas appositas essentiis, clarè significant sexum absque communitate, promiscuitate & incertitudine.

Distinctio septima à Formatione. Art. VIII.

PRonominum aliud simplex, vt *is*, & *iste*: alius compositum vt *idem* & *isthic*; componitur ex *is* & *demum idem*, ex iste & hic, *isthic*.

DECLARATIO.

NOn differt declaratio figuræ simplicis & compositæ nominum & pronominum. Verum apud Latinos non inuenimus pronomen de compositum.

Propositio de declinationibus pronominum. Art. IX.

DEclinationes pronominum sunt quinque: prima cuius singularis genitiuus desinit in *i* vt *ego, mei, tu, tui; sui*, caret enim *sui* nominatiuo.

Secunda cuius genitiuus desinit in *ius*, vt *ille illius*: ipse, *ipsius; iste, istius, alius, alius: alter alterius.*

Tertia cuius genitiuus desinit in *i, æ, i*, vt *meus, mea, meũ*, facit *mei, meæ, mei*; & à *tuus, tui, tuæ, tui*; à *suus, sui, suæ, sui*: à *vester*, *vestri, vestræ, vestri*: à *noster, autem, nostri, nostræ nostri.*

Quarta est cuius genitiuus singularis desinit in *is*, vt *nostras nostratis*: *vestras vestratis.* Ad hanc reducuntur patron mica masculina, & fæminina, quæ reperiuntur in prima & tertia declinat. nominum: sed non sunt nomina vt putant Grammatici, sed pronomina gentilitia.

Quinta cuius genitiuus singularis desinit in *ius*: vt *hic hæc, hoc*, facit *huius*: *is, ea, id, facit eius. Quis* vel *qui, quæ, quod, facit cuius*, & eodem modo se habent composita, vt à *quisque & quilibet & quispiam* fit *cuiusque & cuiuslibet, & cuiuspiam & ab isdem eiusdem* · *& ab aliquis alicuius.*

DECLARATIO.

QVoniam pronomina flectuntur in fine cum cadit dictio, habere dicuntur casus: & ex ipsorum variatione variantur declinationes, & plerumque à genitiuo: quamquam in pluribus casibus reperiatur varietas tam in plurali, quàm in singulari. Id quod si attendas facias lon-

gé plures declinationes. Nihil enim commune habet hic, hæc, hoc, & isthic, isthæc, istoc, cum is, ea, id, & quis vel qui, quæ, quod.

Præterea dantur composita pronomina quorum alia seruant pristinam declinationem in casibus, præsertim genitiuo, vt *egomet*, *ipsemet*, *illemet*, & *tumet* scribitur, *isdem*: & *hicce*, *hæcce*, *hocce*, *huiusce* facit. Alia non seruant, nam ex *ecce* & *eccon*, dicimus *eccum*, *eccam*, *eccum*, non tamen *ecci huius*: & ellum, ellam, ellum, non tamen ellius, pro ecce illius: quoniam ly *ecce* solum accusatiuum respicit. Sicuti *suopte*, & *tuopte* solum ablatiuum inuenimus *illic*, *illæc*, *illoc*, non *tamem*, *illi huius*.

APPENDIX.

OMnia pronomina numeralia habent incertas declinationes: nam *vnus*, *vna*, *vnum*, facit *vnius*. Sed *duo*, *duæ*, *duo*, facit *duorum*, *arũ*, orum. *Tres*, *tria* facit *trium*, reliqui numeri sunt indeclinabiles. Scribitur è contra pronomina gentilitia, vt *Aquinas* seruant analogiam, dicimus enim *aquinatis*, *nostratis*, cum ponuntur non vt nomina, sed loco nominis.

Animaduersio de patronimicis.

PAtronimica sunt in prima declinatione nominum: vt Eacidas Eacidæ: & in 3. vt Priamides Priamidis: & Priamis Priamidis fæminine dicitur, quæ quoniam ponũtur loco nominum sunt pronomina, & non nomina, vt Græci putant. Nam nescio quis sit Priamides nisi subaudiatur Paris: sicut nescio quis sit ille nisi subaudiatur Paris, vel Petrus, vel homo: præterea palam spectant ad personalitatem: vt nulli dubium sit, quin sint pronomina.

Distinctio pronominum ex signatura, Aliud demonstratiuum, aliud possessiuum: aliud gentilium, aliud relatiuum.

Art. X.

PRonominum alia demonstratiua; vt ego, tu, hic, ille ipse, iste, is & ly, quoniam quasi digito personam demonstrant.

Alia sunt possessiua, vt *meus tuus suus, noster, vester alienus,* quoniam possidentem circumscribunt personam.

Alia gentilia vt *nostras & vestras Æneades & cuias,* quoniam patriam, & gentem, connotant.

Præterea ex prædictis sunt quædam relatiua, quia rem antelatam siue ante dictam referunt, vt *ille, iste, hic, & is,* idem: *& quis quæ, quod.*

DECLARATIO.

DEmonstratiua pronomina seruiunt sensatis demonstrationibus personarum, vel essentiarum personatarum. Nam in sensu ostendi non potest essentia, nisi deducta ad existentiam, seu personata. Sed relatiua non ostendunt ad sensum, sed quasi ad memoriam. Nam dicimus; Petrus est doctus, ille qui; vel iste, qui legit in scholis. Sed ly ille, ipse, iste, is, refert antecedens demonstrando, quamuis non ad sensum semper exteriorem Sed ly quæ refert memorando & particularizando.

Addimus notam demonstratiuam ly ex Arabibus: quoniam logici acceptarunt eam ad demonstrandum dupliciter: valet enim vt ecce & hoc simul. Notandum cætera pronomina absoluta vt possessiua & gentilitia per se patent, quid consignificant in vsu: at relatiua declaratione adhuc indigent.

Definitio relatiuorum pronominum. Art. XI.

DVplex eſt relatiuum, aliud eſſentiæ; aliud accidentis.

Definitio relatiui eſſentiæ.

RElatiuum eſſentiæ eſt, quod naturam rei refert, demonſtratque, ſiue, vt entem, ſiue, vt exiſtentem, vt: homo, qui eſt.

DECLARATIO.

GRammatici diuidunt relatiuum, in ſubſtantiæ & accidentis; & dicunt relatiuum ſubſtantiæ, quod refert nomen ſubſtantiuum: vt labor, quem ſuſcipis, eſt durus; vbi ly quem refert hoc ſubſtantiuum labor. Sed relatiuum accidentis refert adiectiuum. Nam etſi aliquando adiectiuum eſt ſubſtantiale vt animatus, & rationalis; nihilominus grammaticaliter ſe habet vt accidens. Sed profecto non ſemper ita ſe habet. Nam ſi dico, Petrus & homo qualis es tu, idem valet atque Petrus eſt rationalis qualis es tu: & ly homo eſt ſubſtantiuum, & rationalis adiectiuum. Quapropter in comparationibus relatiuis non vtuntur logici relatiuo accidentis, ſed potius aduerbio ſimilitudinis, ſicut, & velut: vt tu es homo, ſicut ego: quamuis ly ſicut omnes notas comparationis ſuppleat in referendo. Propterea nos diximus relatiuum eſſentiæ; ne nominibus grammaticalibus potius quam rebus conſuleremus.

Distinctio relatiui ſubſtantiæ.

Relatiuum ſubſtantiæ eſt duplex, ſ. identatis, & diuerſitatis.

DEFINITIO.

RElatiuum identitatis refert idem omnino quod antecedit, vt *qui, quæ, quod, idem, is, ipse, ille sui*, vt homo, qui est animal sentit, & homo est animal & idem sentit, vbi ly *quì* & ly *idem*; referunt hominem omnino eundem.

DEFINITIO.

RElatiuum diuersitatis substantiæ refert diuersum antecedenti: vt alius; vt ego video Petrum & alios homines: vbi ly alios refert homines, vt diuersificantur à Petro.

APPENDIX.

QVid sit diuersitatis & identitatis in logicis & methaphysicis declaratur: hic autem sumitur pro quacumque similitudine, & oppositione.

DE RELATIVO ACCIDENTIS.

RElatiuum accidentis est, quod refert aliquid pertinens ad essentiam, vt personatam accidentibus.

NVMERATIO.

RElatiua accidentis sunt septem, qualis, quantus, quot; quotus, quoteni, cuius, cuia, cuium; cuias.

DECLARATIO.

GRammatici dicunt relatiuum accidentis referre antecedens adiectiuum, vt tu es niger, qualis coruus:

vbi

vbi ly qualis refert ly niger, & non ly tu, diximus quod non omne adiectiuum est accidens in philosophia, sed in grammatica, quæ respicit modum significandi tantum.

Sufficientia relatiuorum accidentis sumitur ex hoc, quod omnis essentia veniens ad existentiam, respicit coexistentia, ideoque vestitur & personatur qualitate, quantitate, numero, ordine numerali, collectione ordinatorum; in loco & tempore & in numero; propterea datur qualis, quantus, quot, quotus, quotenus; quibus debet addi nunc, tunc, quando, illic, vbi, si ex his possent apud Latinos deriuari nomina & pronomina.

Est autem qualitas modus rei siue accidentalis siue substantialis; propterea refert ly qualis omnes existendi & essendi modos. Dicimus enim Petrus est albus, fortis, humanus, rationalis, diues, Rex, velox, rectus, &c. Qualis es tu: vbi ly qualis, & essentiæ, & personæ, & fortunæ, & operatiui, & passiui, & volitiui, & animi, & corporis, qualitates referre potest: quoniam in omni prædicamento datur qualitas, vt in logica probauimus.

Quantitas est mensura substantiæ personatæ: & propterea dicimus Petrus est altus, magnus, crassus, longus, quantus es tu: vbi ly quantus refert omnes dimensiones iunctas, & seorsum, sed non qualitates quantitatis: non enim dico, & rectus figura quantus ego, sed qualis ego.

Quot refert omnem numerum simpliciter vt milites sunt duo, tres, quatuor, decem, centum, mille, &c. quot sunt ciues.

Quotus omnis ordinis numerus; vt tu es primus, secundus, tertius, decimus, centesimus, &c. in schola, quotus sum ego in senatu.

Quoteni collectionem numeratorum seriatim; vt monachi ambulant bini, terni, quini, deni, milleni, centeni, quoteni ambulant milites.

Aliquando iungitur quotus cum quisque, quando significat vnum de ordinatis, vt *decimus quisque, secundus quisque.*

Ex his deducuntur aduerbia, vt *quoties, decies, millies.*

Item transferuntur ad tempora ætates, vt quotennis, biennis, triennis quoniam tempus ad existentiam spectat: item, ad locum, vt primus secundus &c. & sedet primò vel secundò: & prius, ac posterius, vltimus, &c. locus enim ad existentiam spectat, vt in logica.

Præterea quoniam indiuidua, idest personatæ essentiæ, non solum referuntur per præfatas existentialitates; sed etiam ex patria & gente, & professione & factione: propterea *dantur* alia relatiua horum, vid. Cuius cuia, cuiũ, & cuias: *vt ego* sum Romanus cuias es tu, vbi ly *cuias* refert ly *Romanus* ex patria. Item Ciceronianus: Dominicanus, cuius tu: Platonicus cujas tu &c. At ly *cuias* refert possessionem, vt *cuium puerum hic apposuisti*? debet etiam ly cujas referre patronimicum pronomen: vt Paris est Priamides, cujas est Hector: quod Grammatici non considerarunt.

NOTANDVM.

Notandum quod omnia prædicamenta, vt personantur ad inuicem, fiunt pronomina; vt verò sunt, vel existunt, sun nomina.

De verbo. Cap. V. Art. I.

DEFINITIO.

Verbum est vocabulum declinabile, significans ex impositione, rerum actum, siue essendi, siue existendi, siue operandi, siue agendi, siue patiendi.

DECLARATIO.

Ea ratione qua in definitione nominis ponitur *vocabulum* orationis pars tanquam genus grãmaticale. Additur *declinabile*, ad differentiam præpositionis, aduerbij, & coniunctionis, dicitur *significans*, ad differentiã

ſyncathegorematicorum.

Dicitur *cum impoſitione*, ad differentiam interiectionis.

Dicitur *actum*, tanquam vltima differentia conſtituens verbum in eſſe verbali, ſeperanſque à cæteris orationis partibus. Dicitur *eſſendi*, *vel* quoniam omne verbum ſignificat eſſentiæ actum non eſſentiam: & quia actus vel eſt ſubſtantialis vel accidentalis, vel medius, idcirco dicitur *actũ eſſẽdi*, vt *homo eſt animal*, vbi ly *eſt* ſignificat ipſam eſſentiam vt eſt eſſentia & cõiungit notiones, nõ res: properea: *Sum* vocatur verbum ſubſtantiuũ rectè à Grammaticis. Sed perperam, dixerunt, verbum ſignificare actionem vel paſſionem. *Eſt* enim non ſignificat actionem neque paſſionem: item neque diſco ſignificat actionem, ſed actum actionis: *dictio* autem ſignificat actionem, vt eſſentiam aliquam: docere verò vt actum. Quid autem ſit Actus in logica declaramus & metaph Additur *vel exiſtendi*: Nam cum dico: *Petrus eſt*, vel *eſt in platea*: vel *exiſtit*, non ſignifico Petri actum eſſentialem, ſed exiſtentialem, quod .ſ. eſt extra cauſas ſuas: vel quia eſt in alio & ad aliud.

Additur *ſeu operandi*, quoniam operatio non tranſit in aliud, *homo ambulat*: actio verò tranſit, vt *homo verberat* filium.

Dicitur *etiam agendi* vt Petrus docet: & patiendi vt Petrus docetur. Sed de his actibus in Metaphyſ. dicemus, neque enim *Grammatici eſt negotij*.

CORRECTIO.

HInc vides quantopere falluntur Grammatici, dicentes, *verbum eſſe partem orationis declinabilem* Et deinde, non loquuntur amplius de declinatione, ſed de coniugatione. Item dicunt, verbum eſſe *ſignificatiuum actionis & paſſionis*: cum verba ſubſtantialia & neutra; etiam ipſorum teſtimonio, non dicant actionem neque paſſionem.

Quod autem addunt Grammatici, *verbum est pars orationis declinabilis, quod cum modis, formis & temporibus agendi vel patiendi significatiuum est.* non pertinet ad definitionem, ſicut in logica declaratur Non enim ex hoc eſt verbum, quod habet modos & tempora. Sed ex hoc quod actum fluentem ab eſſentia & quidem verbum ſubſtantiale non habet neque ſignificat tempus: & multa verba heteroclita: & tempus accidit eis ex hoc, quod actus non ſubito fit vt alibi docemus.

Præterea in lingua Chinenſium & Coconchinenſium verba non declinantur perſonis, nec temporibus variantur, ſed notulis, vt ſuo in loco aperiemus: ergo accidunt hæc verbo non eſſentiant verbum.

Diſtinctio verborum eſſentialis. Art. II.

VErborum aliud ſubſtantiale, vt *ſum*: aliud exiſtentiale, vt *maneo, exiſto*; aliud operatiuum ſiue actificum, vt *volo, ambulo, gaudeo.* Aliud *actiuum*, vt *caſtigo, accuſo, facio*: aliud paſſiuum, vt *caſtigor, verberor*:

Aliud addit Grammatici commune, vt *criminor*: aliud deponens, vt *vtor, fruor.*

DECLARATIO.

QVoniam ſignificare actum rerum eſt verbo eſſentiale; ex huiuſmodi actuum diſtinctione ſumēda fuit verborũ eſſentialis diſtinctio: & quoniã ab eſſentia procedit exiſtētia ab exiſtētia operatio, ab operatione actio, ab actione paſſio: propterea verbum rectè diſtinguitur in eſſentiale exiſtentiale, operatiuum, actiuum, & paſſiuum.

Et hîc diſtinctio eſt ſecundum rem: nam ſecundum vocem *ſequor* videtur paſſiuum, quod tamen eſt ſecundum rem actiuum: & propterea vocatur deponens, & *vapulo*

videtur actiuum, quod tamen est passiuum. Aliud secundum vocem est passiuum, sed secundum rem est actiuum & pasiuum, vt *amplector*: & propterea à Grammaticis dicitur commune. Hoc apud Latinos, non linguis aliis: & secundum naturam non dantur verborum genera, nisi ex quinque actibus.

ADMONITIO.

ACtiua & passiuæ sunt verba in omni lingua. At in Latina ex finitione in o, & in or, distinguuntur, quod verum est in omnibus temporibus verborum, præterquam in præteritis perfectis & plusquam perfectis, quę resoluuntur in participium & verbum substantiuum: dicimus enim *amatus sum vel fui*: &c. & *amatus eram*, vel *fueram* &c. in lingua vero Italica, non datur vllius temporis passiuum, sed resoluitur in substantiuum vt pro *ego amor*, dicimus *io son amato*, *tu se i amato*, *quello è amato*. At in tertiis personis supplet ly *si ama*, *& si è amato*: &c. In actiuis verò sunt tempora omnia, exceptis præteritis perfectis, & plusquam perfectis: etenim pro *amaui & amaueram*, dicimus *hò amato & ha vevo amato*.

DOCVMENTVM.

ISta duo verba *sum* & *habeo* sunt bases verborum omnium: nam copulant substantiuè, & adiectiuè, siue accidentaliter, siue intrinsecè, siue extinsecè res omnes.

NOTANDVM.

VErba quæ Grāmaticis vocantur neutra, non sunt actiua nec passiua propter hoc, quod significant actū existendi vt *sto*: aut afficiendi, vt *aueo*: siue operandi vt *curo*; aut potendi & non potendi vt *abundo & careo*. Communia autem & deponentia pertinent ad actiua & passiua. Sed deponentia etiam neutra sunt secundum

rem, vt *lætor*, *gradior*, ficuti *auxilior & medicor* funt a-ctiua fecundum rem.

COROLLARIVM.

NOn'ergo rectè neque fecundū rem, neque fecundū vocem, Grammatici diftinguunt verba in actiuum, paffiuum, neutrum, commune & deponens: etenim in actiuis funt quædam neutra, vt *amo*, *rideo*, *intelligo*: quæ actus interiores & affectus & notiones immanentes fignificant: In neutris verò ponunt paffiua multa, vt *fio*, *exulo*, *vapulo*: ita actiua *vt aro*, *vindemio*, *fodio*, *puto*, *fero*, & omnia verba pertinentia ad agriculturam falsò pofita in quarto ordine neutrorum. Similiter quæ fpectant ad diuinas actiones naturę autoris, vt *ningit*, *tonat*, *lucefcit*: In deponentibus verò ponunt neutra fecundum rem, licet voce paffiua, vt lætor, *gradior*, *triftor*, *irafcor*, *ftomachor*. Item quædam actiua, vt *fequor*, *minor*, *auxilior*, *patrocinor*, *medicor*. Secundum vocem autem omnia verba ex hoc quod defìnunt in o, vel in or: *Sum* enim & fua compofita folummodo neutra poni poffent: & tunc falfa effet verbi ratio, ab eis tradita, quod .f. *fignificat actionem vel paßionem*.

Diftinctio verborum ex perfonis. Art. III.

VErborum aliud perfonale, aliud imperfonale, aliud feruile.

DESCRIPTIO.

VErbum perfonale tres habet perfonas, primam, fecundā, & tertiam pronominibus deferuientes, vt *ego amo*, *tu amas*, *ille amat*. Imperfonale nullas habet perfonas aut numeros fed fub tertia quafi omnes vt *à me amatur*

à te amatur, ab illo amatur. Vulgò, *da me si ama, da te si ama: da nois ama.*

De personalium numero secundum Latinos Grammaticos.

PErsonalia verba alia sunt actiua, quæ desinunt in o, & formant passiuum in or: vt; amo, vnde fit amor, per additionem r, alia passiua quæ desinunt in or, & habent actiuum in o, vt amor ex amo.

Alia neutra, quæ desinunt in o, & non formant passiuum in or, vt gaudeo, careo: alia communia, quæ desinunt in or, & non formantur ab actiuo in o, & actiuè ac passiuè in oratione construuntur, vt ego criminor te, & ego criminor abs te. Alia deponentia, quæ desinunt in or, & non formantur per actiuum o, nec possunt passiuè construi; sed solum actiuè, vt *ego sequor virtutem.*

De impersonalium numero.

IMpersonlia alia actiua secundum vocem, vt *tedet, decet, interest*; alia passiuæ vocis, vt *amatur curritur.* Alia neutra, vt *benefit, malefit.*

De seruilibus.

SEruilia verba sunt: quæ impersonalibus addita, sunt impersonalia, vt *te debet pænitere*: personalibus verò personalia; vt *tu debes pænitentiam agere.*

DECLARATIO.

PRofectò impersonalie alia ex actiuis sunt, vt *delectat*, quæ cum in finitiuo verbo sunt impersonalia; sine verò, actiua. Alia sunt neutra; vt *interest, & conuenit*: patet aut quoniam ablato infinitiuo sunt personalia, vt

medicorum intersunt curationes. Et Petro conueniunt virtutes. Sed quæ neutro passiua vocari possent secundum Grãmaticos, nũquam fiunt personalia, vt *tædet*, *miserat*, *piget*, *penitet*, ratio autem est quoniam ad affectiones referuntur, quæ opus ad extra non respiciunt, nec perinde actionem.

Distinctio ex numero personis.
Art. IV.

NVmeri verborum sunt duo, singularis vt *amo*, & pluralis vt *amamus*. similiter personæ sunt tres in omni numero, in singulari ego *amo*, tu *amas*, *ille amat*: in plurali, *nos amamus*, *vos amatis*, *illi amant*.

NOTANDVM.

IN omnibus rebus reperiuntur istę tres personæ, & duo numeri ex natura rei; licet aliquando in certis verbis non sint in vsu; & in imperatiuis ex natura rei desunt, & in infinitiuis quæ ad impersonalium transeunt rationem.

De casibus & declinationibus verborum.

ACcidit verbis casus & declinatio: omnis persona variat finem dictionis, vt amo, amas, amat: sicut & nominibus accidere nouimus. Pręterea declinationes verborum variantur sicut & nominum: & cognoscuntur. ex secunda persona, sicut nominum, secundo casu, itemque infinitiuo.

Prima ergo declinatio habet secundam personam indicatiui modi in *as*, & infinitum in *are*, vt *amas*, & *amare*.

Secunda, in *es*, & in *ere*, longum, vt *doces*, & *docere*.

Tertia

Tertia in *is*, & in *ere*, breuem, vt *legis*, & *legere*.

Quarta in *is*, & *ire*, longum, vt *audis* & *audire*.

CORRECTIO.

SEd hæc ſecundum antiquorum dicta ſunt rationem, etenim poteſt prima declinatio conſtitui ex ſecunda perſona in es, & infinito eſſe, vt *ſum*, *interſum*, *abſum*, *præſum*, *deſum*, *ſubſum*, *proſum*, *obſum*, *poſſum*, & cætera compoſita ex verbo ſubſtantiali & præpoſitionibus.

Secunda habet perſonam ſecundam in *ers*, & infinitum in *erre*, vt *fero*, *fers*, *ferre*: & compoſita vt *refero*, *confero*, *offero*, *perfero*, *defero*, *infero* *affero*, *& cætera*.

Tertia autem ſit prima àntiquorum, vt *amas*, *amare*.

Quarta illorum ſecunda, vt *doces*, *docere*.

Quinta illorum tertia, vt *legis*, *legere*.

Sexta illorum quarta, vt *audis*, *audire*.

De anomalis.

DAntur irregularia à prima; vt *veto & iuuo* & *iuuare*, quæ in præteritis ſunt anomala. Dantur irregularia à ter tia, vt *gaudeo & gaudere*, quæ in præteritis non ſeruant normam tertiæ.

Et à quarta vt *vis*, & *velle*, quæ in præteritis & infinitis exerrant.

Et à quinta, vt *eo*, *is*, *ire*: quæ in futuris extra vagantur, vt *ibo*, & compoſita vt *tranſeo*, *redeo*, *pereo*, &c.

Aſſertio de temporibus verborum, Art. V.

PRoprium eſt verborum in temporibus ſignificare.

DECLARATIO.

QVoniam actus sunt extensiones facultatum, nec simul esse toti possunt, necesse est tempus eisdem inesse quod est successio rerum, ex ente & non ente participantium, vt in Metaphys. docuimus.

De temporis differentiis.

TRes sunt temporum differentiæ, videlicet præsens, præteritum, & futurum. Etenim aut res est nunc in actu, & facit præsens; aut fuit in actu, & sic præteritum, aut erit, & sic est futura.

De præterito triplici.

TRiplex tamen præteritum, aliud imperfectum, vt *amabam*, aliud perfectum, vt *amaui*, aliud plusquam perfectum, vt *amaueram*, res enim aut est in transitu, aut transiuit, aut multo ante transiuit.

NOTANDVM.

NOn potest reperiri verbum, quod non habeat præsens & præteritum & futurum, distincta secundum rem, licet secundum vocem quædam sint defectiua; vt *memini*, *odi*, *inquam*, & cætera, ex vsu sic pronunciata apud Latinos non autem in aliis nationum linguis.

De temporum variatione ex facultatibus.

ET quoniam omnis actus aut indicatur per cognoscitiuum, aut imperatur per potestatiuum; aut optatur per volitiuum; propterea tempora verborum ad tres facultates reducuntur .s. ad indicatiuam imperatiuam, & optatiuam.

APPENDIX.

PRæterea quoniam actus subiungitur actiui, vel determinatè vel indeterminatè, propterea adduntur temporum duæ aliæ rationes .s. subiunctiua & infinitiua, quæ reguntur ab aliis verbi notionibus.

DECLARATIO.

ESt quidem præteritum, præsens, & futurum tempus, triplex, atque vt pars, aut vt differentia successionis rerum, & quidem contingit exprimi secundum tres primalitates Metaphysicas, per imperatiuum, indicatiuum, & appetitiuum; qui vocantur modi secundum Grammaticos, sed nimis communiter: modus enim est cuiusque rei qualitas· propterea nos reduximus eos ad primalitates. Sed subiunctiuum, & infinitiuum, quoniam ad compositionem potius modorum spectant determinatè vel indeterminatè secundum personas & sine personis, propterea hosce modos tanquam appendices verbis addendos putauimus: & non sicut principales, quemadmodum Grammaticis vsurpatur.

De temporum numero in vnaquaque ratione.

DE INDICATIVO.

INdicatiua ratio habet omnia tempora vz. præsens, vt *Amo*; pręteritum, vt *amaui*; futurum vt *amabo*: & iterum triplex præteritum vz. imperfectum, perfectum, & plusquam perfectum. Indicare .n. est actus cognoscitiui principij. Cognitio autem refertur ad omnia tempora.

DE IMPERATIVO.

IMperatiuum verò non habet nisi præsens & futurum, caretque pręterito, quoniam non potest imperari quod transiuit, neque Deus potest facere vt non fuerit, quia sibi contradiceret. Imperamus id solum quod nunc, aut posteà exit in actum.

Caret etiam Imperatiuum personis primis in singulari numero; quoniam sibi ipsi nemo imperare potest, sed alteri, nisi seipsum vt alterum accipiat, & tunc erit quasi secunda persona qui est prima: sic Petrus ait, quid agis Petre? & *fac Petre.* Non caret in plurali, quoniam multi imperio mutuo afficiuntur.

DE OPTATIVO.

OPtatiuum habet præsens, præteritum, & futurum: desiderium .n. ad omnia fertur tempora; optamus etenim aliquid fuisse, & esse, & fore, habetque notas suas *Vtinam &c.*

DE SVBIVNCTIVO.

SVbiunctiuum habet similiter omnia tempora, quoniā potest subiungi ad quodcunque verbum aliorum modorum, vt *fac ames, vel verum est,* quòd *amauerim,* item *cùm amarem suspirabam,* & *cùm amauero suspirabo.*

Notandum quod Subiunctiuus habet pro nota ly *cum* quę orationem suspendit donec aliud verbum sibi adiungat post se, vel absque ly *cum* subiungitur alteri verbo, vt *bonum est vt facias,* per aliquam notam copulatiuorum dictorem in Logica.

De infinitiuo.

INfinitiuum etiam tria tempora habet, ſed ſine perſonis, dependent enim ſemper ex finito verbo: quod poteſt multiplex eſſe & ad omnia tempora referri, & quoniam hæc relatio eſt indeterminatarum perſonarum, omnibus enim perſonis copulatur, propterea infinitiui modi carent diſtinctione perſonarum: dicimus enim *credo te amare*; *nos amauiſſe*: & *Ioannem amaturum eſſe*: & quælibet perſona cuilibet addi poteſt, verba famulantia ſemper infinitiuum expoſcunt poſt ſe, vt ſuo in loco patebit.

De Gerundiis, participiis, & ſupinis.

GErundia, participia & ſupina non ſunt verborum modi; ſed nominum ſimul & verborum participationes; propterea de eis alia pars orationis eſt conficienda; nec verbis addenda, vt fecere priores.

NOTANDVM.

PRæterita præfecta, imperfecta, & plusquam perfecta non ſunt in operatiuis, ſed idem omnia tempora repræſentat, quoniam ſub ratione voliti non multiplicatur præteritio, ſicut ſub ratione indicati.

Subiunctiuum verò habet omnia præterita; quoniam cum omni verbo alterius modi ſubiunctionem facere poteſt.

Grammatici non intellexere quod deſideratiuo, potius autem ſubiunctiuo deeſt pars præſentis temporis, dicimus enim vulgo *io amaſsi at amarei ſe tu caminaſſi*, io *verrei teco*: quæ non rectè confunduntur apud Latinos, & vulgares etiam peccant quoniam ly *amarei*, non ad deſideratiuum, ſed ad ſubiunctiuum verè ſpectat, non enim pronunciatur, abſque ſubiuncto ante vel poſt, ſi quis ergo iterum grammaticaretur hoc conſiderare deberet.

QVÆSTIO.

QVæritur autem, cur præteritum multiplicatur, & non futurum & præsens? respondeo, quia præteritum potest non totaliter præterisse, & iterum totaliter & tandem multo ante, potest diuidi Sed præsens est nunc indiuisibile, quapropter non potest diuidi. Sed quod imperfectum est præsens pertinet ad antecedens, vel ad subsequens tempus: igitur vnius est temporis. Sed de futuro non sic: aliud enim est mox futurum, aliud post, aliud longè post Sed Grāmatici non acceperunt hanc distinctionem: quoniam vsus loquendi apud veteres eiusmodi expressiones non habuit, sicut de præteritis, veruntamen futurum subiunctiui videtur esse de futuro præterito: *fecero* enim idem est latinè quod vulgariter *ha verò fatto.* Apud Hæbreos tempora sicut magis confusa.

Diuisio verborum ex ordine.
Art. VI.

VErborum aliud primitiuum, vt Do: aliud deriuatiuum, vt dono.

DECLARATIO.

DIstinctio ab ordine est similis ei, quæ fit nominum.

Deriuatiuorum multiplicitas verborum ex verbis.

APud Latinos verborū deriuatiuorū aliud est inchoatiuum, vt à caleo fit *calesco*, quasi incipio calescere.

Aliud meditatiuum, vt à cœno *cœnaturio* deriuatur, quasi meditor cœnare.

Aliud frequentatiuum, vt à lego *lectito*, idest frequenter lego: à rogo rogito.

Aliud diminutiuum, vt à *sorbeo*, *sorbillo*, à *scribo*, *scribillo*,

paulatim, & diminutè ſcribo &c. Deeſt Latinis magnificatiuum, dicimus enim vulgo da beuo ſbeuacciliare: da ſtiro ſtiracchiare francheggiare.

Deriuatio verborum ex nominibus.

DEriuatio verborum ex nominibus iterum multiplex; alia à ſimilitudine: vt à patre oritur *patriſſo* ſiue *patrizo*; Alia ab actu rei ſiue exiſtentis, ſiue mutationẽ ſubeuntis, vt à fronde *frondeſco*, à lapide lapideſco, à calore caleſco.

REGVLA.

QVoniam verbum ſignificat actum: cuiuſcumque autem rei eſt actus: igitur à quocumque nomine rem ſignificante poteſt deriuari verbum.

DECLARATIO.

HÆc regula valet apud Græcos, & Italos vulgares, ſed Latini non vſque adeò ipſa vſi ſunt. Lullius tamen elicit eam ex quocumque nomine: namque ait, homo, *homificare homificatio, homificabile*. Sed hoc ex compoſitione fit non ex deriuatione, & pertinet ad actum agendi. Sed deriuatio pura eſt ex formali, vt *lapideſco, metalleſco, ligneſco, ſeneſco, pu ereſco, floreo*, & *floreſco* à flore. Sed ab homine non dicitur *homeo*, nec à lupo lupeſco, & tamen ſecundum naturam fieri debet: vnde vulgariter à campo dicitur *compeggiare*, à feneſtra, *feneſtragiarſi: della donna in donnarſi*, ſicut Latinè dicitur *maſculeſcere* & *effeminari*, à maſculo, & fæmena.

Qui autem nouas artes cudit, poteſt facere deriuationes verbales ex quocumque nomine, ex omni enim re egreditur actus exiſtendi, vel operandi, vel imitandi &c. Quidquid Grammatici in hoc minus ſapiant.

De deriuatione temporum ex temporibus verborum.

DEriuantur etiam tempora verborum ſuccedentia ex præcedentibus eiuſdem ſpeciei, vt omnia præterita ex primo prætetito profecto, ex amaui enim naſcitur *amaueram*, *amauiſsem*, *amauerim*, & *amauero*, *amauiſſe*.

DECLARATIO.

VErè deriuantur ex præterita ex præterito perfe- non autem ex imperfecto, quod enim imperfectum eſt, generare non poteſt ſibi ſimile, item futurum ſubiunctiui deriuatur ex præterito, quoniam dicit futurum ſub ratione præteriti, idem enim *amauero* ac amatum habuero *ha vero amato*.

Deriuatio ex præſenti.

DEriuantur omnia præſentia tempora ex præſenti indicatiuo, vt ab amo, *ama*, *amarem*, *amem*, & *amare*, & ab *amor*, *amare*, *amarer*, *amer*, *amari*, vt à lego, *lege*, *legerem*, *legam*, *legere*, &c.

Deriuatio ex futuro.

EX futuro autem indicatiui, non videntur oriri alia futura. Non enim ex amabo deriuatur amato, & amem, & amauero, & amaturum eſſe, ſecundum vocem licèt deriuantur ſecundum rem, quapropter in his conſulendus eſt vſus: ac forſan & quantitas ſyllabarum primarum.

De formatione verborum.
Art. VII.

VErborum aliud ſimplex vt *lego*: aliud compoſitum, vt *translego*: aliud decompoſitum, vt *transle-ctario*.

DECLARATIO.

EAdem ratione declaratur compoſitio ſimplicitaſque verborum ac nominum. Decompoſitum autem non ex compoſitis, ſed ex compoſito & deriuatiuo, vt *transcribillo* ex trans & ſcribo: ex quo erat ſcribillo.

SVBDIVISIO.

COmpoſitio verborum alia eſt ex duobus ſeu pluribus verbis vt *calefacio*, ex caleo & facio, alia eſt ex verbo & aduerbio vt *malefacio*, *ſatisfacio*, alia ex verbo & præpoſitione, vt *efficio*, *conficio*, quaſi extra facio, vt cum alio facio: alia ex verbo & nomine, vt *fructifico*, *magnifico*, *ideſt facio fructum*, *& facio magna*.

REGVLA.

OMnis compoſitio ex nomine & verbo ſignificat actionem alicuius rei, vel paſſionem, vt fructifico & confructificor, arefacio, & arefio, & lætifico.

REGVLA.

OMnis compoſitio ex verbo & aduerbio ſignificat qualificationem actionis, ſeu actus, ſiue actiui, ſiue paſſiui, vt *ſatisfacio*, & *ſatisfio*, & *maleſio*.

REGVLA.

OMnis compoſitio ex verbo & verbo ſignificat actus editionem, vt *frigeſio*, quoniam fit actus frigoris, ſi tamen datur.

DECLARATIO.

ADditum eſt in hac regula *ſi tamen datur*; quoniam non videtur ex duobus verbis fieri compoſitio, quoniam duo actus coire non poſſunt, ſed ſi alter ab altero fit, habebitur vnus vt eſſentia actus, alter vt actus ſeu actio & paſſio eius, ſicut patet in *frigeſio & caleſio*.

REGVLA.

OMnis compoſitio ex verbo & prępoſitione, ſignificat actum cum relatione & reſpectu ad aliquam eſſentiam, ad quam, vel de qua, vel cum qua, vel in qua, vel propter quam, vel per quam, vel ſuper quam, vel ſub qua, vel circa quam, vel cuius gratia, editur actus.

REGVLA.

QVot ſunt præpoſitiones tot ſunt verborum ex præpoſitionibus compoſitiones ſecundum naturam. Sed ſecundum vocem ad certas tantum reſtringuntur.

Exempla de verbi ſubſtantiui compoſitionibus.

Verbum ſubſtantiuum habet compoſitiones octo. Dicitur enim à *ſum*. adſum, ideſt ad aliud ſum, quaſi præſens. Et *Abſum*, ideſt ab alio ſum, quaſi diſtans, & diſgreſſus ab eo.

Item *deſum*, quaſi deorſum ſum, & ſeparatum.

Inſum, quaſi in alio ſum, vel intus ſum, præpoſitio enim ſæpè mutilatur in fine quando venit in compoſitionem.

Intersum, quasi intra aliquod sum, vt præsens, vel tanquam iuuans aut necessarium.

Item *obsum*, quasi ob aliud sum, & aduersum, & contra: significat enim ly *ob* oppositionem quamcunque, & quamuis significet esse causale finale interdum, tamen in compositione ponitur vt causa opponitur effectui saltem relatiuè.

Prosum, quasi pro alio sum, vel propter aliud, idest illud iuvans: *præsum*, idest suprasum; vnde præesse dicitur, qui imperat, & qui anteit.

Subsum quasi sub alio sum. *Possum* quasi postesse sum. Qui enim potest, post est, potentia .n. ex essentia manat, vt declaratum est in Metaphys. & hoc dico ex vi compositionis. Datur & *supersum*.

De compositionibus verborum non substantialium cum præpositionibus.

IN verbis aliis longè plures sunt compositiones: dicimus enim ex *iacio*, abiicio, & adiicio, quorum primum significat separationem per iactum, secundum verò additionem Sic ex *mitto* amitto, & admitto, quamuis *ad* in admitto referatur ad personam mittentem: in adiicio verò ad eam, ad quam fit iactus; sicut & appono.

Coniicio & committo: simul iacio, & simul mitto. Sed per discursionem ly coniicio etiam idem est atque considero; quia qui multa simul iacit intellectu, syllogizat: & committo quasi alteri trado, quo cum mitto quid faciendum, & similiter committo significat facio simul cum instrumentis vel aliis rebus aliquid. Datur etiam circumiicio, & circumpono, quando circa ambitum rei quid ponimus, vel operamur.

Demitto & dimitto, deiicio, & disiicio habemus, demittere enim est quasi deorsum mittere, vel de alio mittere, similiter & deiicere & deponere. Dimittere verò est quasi diuisim mittere, & potius ad verbalem facit cōpo-

poſitionem, vnde dicimus dimittere quaſi liberare & parcere, quoniam à vinculo & obligatione diſſociamus mittendo. Dicimus diſponere quaſi diuiſim ponere, ſed cum ordine, diſiicere quaſi diuiſim iactare, & ſine ordine; & hoc eſt deſtruere, quaſi deſtructura ſeparare.

Emitto, eiicio, expono, euello, dicuntur quaſi extra mitto, extra iacio, & extra pono. Vnde dicimus exponere & quaſi declarare quid extra rei implicationem & contextum, vbi res eſt confuſa, ponimus eius ſenſum.

Prȩterea iniicio, immitto, impono; dicimus quaſi intus iacio, intromitto, intus pono vel in ponitur quaſi contra immitto .ſ. in alium mitto, iniicio in aliud iacio. Dicimus etiam intermitto, interpono, interficio, interiicio; quoniam intra aliquid mittimus aliquid, quod ſi illud aliquid eſt tempus vel actio, tunc intermitto, eſt pauſo, ſimiliter interpono, quaſi intra negotium pono diſſeparans illud. Sed interficio eſt interponere aliquod inter aliud, vnde quando eſt homo vel animal ſignificat id, quod occido & matto, qui enim ponit ferrium aut aliud diuidens, intra animal, ſeparat ipſum ac proinde occidit dicimus etiam intermitto & introſpicio, quando non videntur quippiam introducimus; aut ſaltem intellectum, ſic dictum, quia intus legit, introſpicit. Dicitur impotens quaſi *valde* potens quoniam impetuoſe poteſt, dicitur *in* negatiuè, quoniam ly *non* factum eſt *on*, & de inde *in* ſicut *olli* tranſi in *illi*. Sed rarò aut nunquam facit cum verbo ſic compoſitionem, ſed cum participio verbi, dicitur enim innocens ideſt non nocens, non tamen innoceo: in auditus, & tranſitatus, non tamen in audio nec inutor: infectus, ſed non inficio, niſi ſub altero ſignificatu.

Item dicimus obiicio, oppono, offero: quaſi contra iacio, contrapono, contrafero, etenim ly contra dicit oppoſitionem contrariam, & diuerſam & priuatiuam, & localem, &c. Sed cum dicimus omitto, idem eſt quaſi relinquo, quoniam qui contra miſſionem eſt non mittit, ſed deſinit mittere: ſed qui contra ponit aliquid facit contrariè ne dum priuatiuè.

Item proiicio procul iacio significat. Sed propono pro alio pono: & non procul dicimus secundum vsum. Promitto autē dicitur quasi pro alio mitto, & pro re facienda mitto verbum pollicitans, vel procul mitto, vnde dicimus promissam barbam idest prolixam, dicitur etiam permitto idest per aliud mitto vt fiat, ly enim *per* causalitatem denunciat, percipio per aliud capio, vel valde capio, quoniam causalitas notitiam inlustrat. Dicimus præmitto, idest ante mitto, & prępono idest antepono: & postpono, & post habeo: non tamen postmitto, quoniam non est in vsu, & non quia non potest fieri secundum naturam.

Item reiicio, repono remitto; quasi iacio, retro pono idest post primam vicem, & remitto, & rescribo, & hoc verum, quando ly, re, breuis est syllaba: sed quando est longa, dicitur, à res, vt refert, idest res fert: & vtilitas fert.

Amplius dicimus subiicio, submitto; quasi subjacio, pono sub, mitto sub B. enim fit .p. et f. ex sono sequentis, vt suppono, & suffero. Sed bonus Grammaticus originem retinebit. Dicimus etiam sepono, semoueo, quasi seorsum pono; & seorsum moueo, similiter separo, & segrego, seorsum paro, & seorsum à grege. Item suspicio, quasi sursum aspicio. Item super pono, & supersedeo, & super, quorum ethymologia patet.

Amplius traduco, traiicio, transpono, transmitto, translego, ex trans & duco; & iacio &c.

CONSIDERAOIO.

HÆc attulimus exempla, vt in aliis idem scias facere & declamare, dicimus enim ex do das, abdo, addo, condo, dedo, edo, indo, obdo, prodo, subdo, reddo, trado. Similiter ex eo, is, habes, adeo, comeo, in eo, ob eo, pro eo, præ eo, transeo. Quorum significata etsi ab originali elongentur, tamen ab originali habent vim significatiuam, *per eo* enim significat per aliud eo, sicut fumus

per aërem, & aqua perbinum, compenetrando; quod enim perit, dissociatur ab eo, per quod it, vnde etiam dicitur interire: quoniam dissolutio atomarum euntium in alias res, compositum destruit. Vnde perire & interire est proprium compositorum dissipabilium & friabilium, idem concipe de perdo, &c.

De Participio. Cap. VI. Art. I.

DEFINITIO.

PArticipium est vocabulum, pars orationis declinabilis, significans essentiam simul cum suo actu, vel actum cum essentia, cuius est actus.

DECLARATIO.

IN hac definitione ponitur *vocabulum pars orationis declinabilis* eadē cum declaratione, qua in nominis, & verbi, & pronominis tractatione vsi sumus. Dicitur *significans essentiam cum suo actu; vel actum cum essentia simul*, ad differentiā pronominis, quod personam & non essentiam dicit: & nominis quod significat essentiam, seu rem absque actu suo; & verbi, quod significat actum, sed non cum essentia seu re. Quapropter cum dico *nascens*, significo rem, quæ nascitur, vel actum nascendi cum re, actuata tali actu. Et ideò quot sunt actus, totidem sunt participia .s. substantialia, existentialia, operatiua, actiua, passiua, neutralia, communia, & deponentia.

DEFINITIO VOCIS.

DIcitur propterea participium, quia capit partem significationis verbi, & partem nominis, vel pronominis, idest actus & rei. Vnde dicitur etiam nomen verbale, vel verbum nominale propter idem.

ANIMADVERSIO.

GRammatici dicunt, quia *partem capit à nomine, partem à verbo, partem ab vtroque*: à nomine .s. genera & casus; à verbo tempora & significationes: ab vtroque numerum & figuram.

DECLARATIO.

PEr *genera* intelligunt sexum: per *casum* varietatem indictionis fine. Sed hæc varietas etiam est in verbo; sed non ita atque in nomine. Ibi enim tres casus singulariter sunt, in nomine sex; & pluraliter etiam sex, nec mutant presonam sicut in verbo. Per *tempora* intelligunt præsens præteritum & futurum; quæ actum concernunt. Sed nomen significat tempus, vt ens est, sed non cum tempore vt verbum. Per *significationem* intelligit actionem vel passionem, & in hoc falluntur Grammatici: non enim à solo verbo habet participium significationem, alioquin significaret solummodo actum. Sed quia significat essentiam cum actu, non bene dixerunt, quod à verbo solo habet significationem: quod autem addunt, *numerum & figuram*, idest formationem simplicem & compositam ab vtroque habere non male addunt. Sed non est hæc participiorum ratio propria, sed in modo significandi, vbi vtrumque participat, forsan etiam pronomen & verbum participat, omnis enim essentia induta suum actum est personata, & actus est personalis, propterea dicendum est, quod participat pronomen & verbum, vel forsan quia nomen essentiam significans habet actum essendi substantialiter, potest concedi quod partem capit à nomine, cum reuera plus à pronomine capiat: actus enim existendi, agendi, operandi, patiendi sunt potius personarum quàm essentiarum, nisi, vt personatarum. Sed hoc in Metaph.

ASSERTIO. Art. II.

PArticipia oriuntur ex verbis, & terminantur in nomina, vt ex *amabam* fit *amans*, mutata *bam* verbali in *ans* nominalem. Consimiliter in vulgari lingua.

Deriuatio participiorum.

DEsinunt participia in *ans* & in *rus*, vt amans & amaturus: & in *tus* & in *dus*, vt amatus & amandus.

Addemus, in *bilis*, & *iuus*, vt amabilis & amatiuus, vti in 2. libro videbimus.

REGVLA.

PArticipium in ans formatur à prima persona præteriti imperfecti, mutata *am* in, *ns*, vt amabam, amans facit, in *rus*, & in *tus*, formatur à supino passiuo vt amatu facit amatus, prout addit, *rus*, aut .*s*. in *dus*, formatur à genitiuo participi, in *ans*, mutato, *tis*, in *dus*, vt amantis facit amandus.

DECLARATIO.

IN lingua Latina ita se habent deriuationes paucis exceptionibus additis. Sed non in omni idiomate dantur participia nisi vbi breuitas & ornatus attenditur. Poëtæ tamen nostrates vti ceperunt; dicunt enim *faciente facto, factibili factiuo, facturo* & *faciendo*, quod postremum est minus vsitatum. At quidem deriuationes omnes possunt fieri ex imperatiuo per adiectionem, & ex secunda persona indicatiui, si enim *ama*, accipiat, *ns* facit amans, si *tus*, amatus, si, *ndus* amandus, si *turus*, amaturus. T*us* vertitur in *tus* est in *xus*, vt visus amplexus, prout supina ferunt. Et ideo recte grammatici supina respuunt.

Duo sunt participia ex parte edentis actum se habentia, .s. amans

.f. amans & amaturus, alterum præsentis, alterum futuri temporis.

Duo sunt etiam ex parte recipientis actum .f. amatus & amandus, pertinentia ad præteritum & futurum.

Duo sunt ex parte potentiæ, vt amatiuus & amabile, quæ possunt multiplicari actiuè & passiuè per omnia tempora, vt diximus de nomine loquentes.

Propositio de temporibus.

TRia enim sunt tempora participiorum, præsens, præteritum & futurum, quæ multiplicantur in actiua & passiua .f. facientia & recipientia : excepto præterito, quod non potest esse actiuum, nisi in verbis communibus, & deponentibus, vt sequens, sequutus, & secuturus, largiens, largitus, & largiturus, atque insuper quibusdam vocatis neutris passiuis, vt gaudens, gauisus, & gauisurus, fido etiam, cæno, prandeo, iuro, placeo, soleo, audeo' assuesco, quiesco, titubo, nubo; fieri enim passiua tripliciter deberent vt fiens factus & fiendus, sed non est aliis in vsu.

Et quia quod est in potentia est futurum, fiunt amatiuum & amabile, actiuum & passiuum in potentia & possent triplicari.

CONSIDERATIO.

QVæcumque carent supino verba, carent etiam participio, in tus & in rus, vt disco, studeo, compesco apud Lat.

De casus exigentia.

PArticipia exigunt casus suorum verborum, sicut suo in loco docebimus, quando non sumuntur penitus nominaliter. *Doctus* enim potest esse nomen, & verbum.

De sextu.

Art. III.

PRæterea participia habent sexum, masculinum, vt *amatus*; fœmeninum, vt *amata*, & amanda, neutrum vt *amatum*; commune, vt *amantem*, omne, vt *amans*, dicitur enim hic, & hæc, & hoc amans.

De declinationibus.

OMnia participia in *ans* & in *bile* sunt tertiæ declinationis nominum, in *rus*, in *tus*, & in *dus* & in *iuus* sunt secundæ & primæ, sicut bonus, bona, bonum, ita amaturus, amatura, amaturum &c.

De forma.

DAntur simplicia, & composita & decomposita, vt legens, perlegens, & per lecturiens, sicut in verbis.

Et habent compositionem similiter cum nomine, cum verbo, cum aduerbio, cum propositione, sicut declarauimus loquendo de verbis.

De præpositione seu adnomine.

CAP. VIII. Art. I.

PRæpositio est vocabulum indiclinabile, consignificans rerum seu essentiarum cum suis actibus respectus & circunstantias.

Ideoque nomini adhæret significanti essentiam.

DECLARATIO.

Dicitur *vox* & *pars ordinis*, ſicut de cæteris.

Dicitur *indeclinabilis* ad differentiam declinabilium nominum, verborum, participiorum & pronominum.

Dicitur *conſignificans reſpectus & circunſtantias eſſentiarum in ſuis actibus*: quoniam per ſe non ſignificat, niſi addatur nominibus: & non niſi per actum eſſendi & exiſtendi & agendi & patiendi & operandi poſſunt res ad inuicem referri.

Dicitur *eſſentiarum*, ad differentiam aduerbiorum quæ actum reſpectus & circunſtantias dicunt, non rerum, & idcirco aduerbium coniungitur verbo; præpoſitio vero nomini, vnde rectius vocaretur Adnomium, quam præpoſitio: præponi enim eſt omnium rerum, quæ antecedunt ſiue in natura ſiue in vocabulis: ſed nomini præponi eſt proprium huius partis orationis; quam ex hoc præpoſitionem vocamus: Meliorem ergo aduerbium nomenclaturam. Præponitur etiam pronomini & participio, quatenus aliquo pacto ſunt nomina etiam ipſa.

Aſſertio comparatiua.

Art. II.

Sicuti aduerbium ſe habet ad verbum, ita præpoſitio ad nomen: hoc vno dempto, quod non ſimiliter qualificat, nec quantificat.

DECLARATIO.

Dicit aduerbium circunſtantias & reſpectus actuum; & in ſuperqualitates, & quantitates, temporalitates, localitates, & alia multa prædicamentalia. Adno-

mium autem seu præpositio solum respectus dicit essentiarum & circunstantias. Qualitates enim quantitatesque, cæteraque prædicamentalia indicantur ab adiectiuis nominibus circa substantiua, significantia essentias, verba autem adiectiua non vniuntur substantiuis nisi, participialiter sumpta. Dicimus enim *Ego sum currens*, tu es amans, vos estis scribentes, &c. Omnis enim actus resoluitur in essentiam, & ideò per essentiale verbum exprimuntur in nomine participiali, & cum dicimus *currere est moueri*, sumitut ly' currere & moueri nominaliter, quatenus, actus est quædam res, & non vt egressio ex re.

De numero præpositionum certos casus exigentium.

PRæpositionum aliæ trahunt nomen ad casum accusatiuum, vt ad, apud, ante, aduesrus, cis, citra, circa, circiter, contra, erga, extra, inter, intra, infra, iuxta, ob, ponè, penes, per, prope, propter, post, præter, secundum, supra, versus, vltra. Aliæ verò ad ablatiuum, vt a, ab, abs, absque, cum, coram, clam, de e, ex, pro, præ, palam: sine. Aliæ ad accusatiuum & ablatiuum, vt in, sub, super, subter. Aliæ ad genitiuum, vt instar, gratia. Aliæ genitiuo, & ablatiuo, vt tenus, quod postpositum nomini singulari seruit ablatiuo vt capulotenus; plurali verò, genitiuo, vt crurum tenus. Ratio horum ex logica, & ex dictis in cap. de nomine constat.

Distinctio præpositionum ex significatione. Art. III.

PRæpositionum aliæ significant respectum, aliæ circumstantiam.

SVBDIVISIO.

ALiæ ſignificant reſpectum principij ad terminum, qua principij : vt *à*,*ex* : aliæ principij ad terminum qua ad terminum, vt *ad*, *&* *in*.

SVBDIVISIO.

ALiæ ſignificat reſpectum cauſæ ad effectum, & è contra, quarum

SVBDIVISIO.

ALiæ ſignificant reſpectum cauſalem cauſæ agentis, vt ab, a, abs, ſecundum : vt à Deo factum eſt ſeculum, &c.

Aliæ cauſæ materialis, vt *de*, *ex*, vt de luto factus eſt homo : & ex elementis elementatum.

Aliæ cauſæ idealis, vt inſtar.

Aliæ formalis, vt *ſeptimus caſus*.

Aliæ cauſæ finalis & perfectionalis, vt propter, & *gratia*, & *pro*.

Aliæ omnium cauſarum, vt per, præcipuè autem inſtrumentalis.

SVBDIVISIO.

SIgnificantium circunſtantias, aliæ ſignificant circunſtantias locales, vt *apud*, *cis*, *citra*, *vltra*, *circum*, *circiter*, *propè*, *iuxta*, *intra*, *extra*, *verſus*, *ſupra*, *infra*, *in*.

Aliæ circunſtantias ordinis ſeu diſpoſitionis, & ſitus, vt *ante*, *poſt*, *præ*, *ſub*, *ſuper*, *ſubter*, *tenus*, *pone*, *inter*.

Aliæ oppoſitionem vt *contra*, *aduerſum*, *ob*.

Aliæ circunſtantiam ſocietatis affirmatæ vel negatæ vt *cum*, *ſine*, *abſque*, *præter*, *coram*, *palam*, *apud*.

Distinctio ex formatione.
Art. IV.

PRæpositionum aliæ simplices vt *ad*, aliæ compositæ, vt *aduersus*.

Distinctio ex ordine.
Art. V.

ITem aliæ primitiuæ vt *prope*, & *citra*; aliæ deriuatiuæ vt *propius & citerius*, formantur enim comparatiua, & superlatiua nomina ex præpositionibus, & simul aduerbia, vt *citra*, *citerior*, *citimus*, & citerius &c.

APPENDIX.

PRoprium est pręposition um compositionem facere cum verbis: non tamen omnium; vt in tractatu de verbis compertum fuit.

De aduerbio. Cap. VIII. Art. I.

ADuerbium est vocabulum indeclinabile consignificans circunstantias prędicamentales, & affectiones, modificationesque actus.

Ideoque semper verbo adhæret, significanti actum.

DECLARATIO.

DIctum est prius, quod aduerbium dicitur quia stat iuxta verbum: etenim modificationes actus, significati à verbo, declarat.

Dicitur *vox* & pars ordinis indeclinabilis, ex suo gene-

re, & differentia declinabilium.

Dicitur *consignificans circunstantias & modificationes actus*; quoniam omne prædicamentum denominans actum pertinet ad actus circunstantiam: qualificans verò ad modum.

De circunstantibus actum.
Art. II.

CIrcunstant actum, tempus, locus euentus, magnitudo, numerus, ordo, similitudo, & animi extensiones.

DECLARATIO.

DIcitur circunstare quidquid non pertinet ad essentiam re, sed pertinet ad eius existentiam: omnes enim res diuersorum prædicamentorum circunstant, quæ sunt eiusdem prædicamenti, non circunstant, sed essentiant, vt in Metaph. probatum est. Et quoniam alia sunt essentialia, alia existentialia: quæ pertinent ad existentiam magis dicuntur circunstare, vt sunt tempus, locus, correlatiua, & coëxistentia.

De aduerbiorum, spectantium ad circunstantias, varietate.

PRopterea alia sunt aduerbia temporis vt *quando, hodie, heri, cras, pridie, postridie. quandiu, modo, olim, quondam, nuper, nunquam, mox, paulisper, perendie &c.*

Alia sunt aduerbia localia significantia actum in loco vt *vbi, hic, illic, istic, intus, foris, vbique, nullibi, vtrobique, neutrobique.*

Alia ad localem motionem, vt *quo, huc, illuc, istuc, intro, foras, quouis, quocunque, vtroque, neutroque.*

Alia moto de loco, vt *vnde, hinc, illinc, istinc: vndique, supernè, inferne, indidem, vtrinque.*

Alia per locum, vt *qua, hac, illac, istac, quauis qualibet eadem vtraque.*

Dantur & versus locum, vt *quorsum, illorsum, dextrorsum inextrorsum.*

Dantur & vsque ad locum, vt *hucvsque, illuc vsque, quousque, hactenus.*

Alia sunt euentus, vt *forte, fortuna, fortuito, contingenter, necessario.*

Alia sunt aduerbia magnitudinis, vt *tantum, quantum, paruum, minimum, plurimum, ad summum, satis, nimis, multum, aliquantulum: magis, amplius, minus.*

Alia sunt aduerbia numeralia significantia vices actuum, vt *quoties, toties, semel, bis, ter, quater, decies, centies, millies,* &c. ex pronominibus numeralibus deducta.

Alia sunt aduerbia ordinis, vt *primò, secundò, tertiò &c. de inceps, deinde, postremo, denique tandem, demum.*

Alia ordinis, & dispositionis simul, quoniam actus aut congregant aut separant. Congregandi sunt, *vnà simul, pariter, coniunctè, generatim, turmatim, vniuersè.* Separandi sunt, *seorsum, disiunctim, priuatim, speciatim, sigillatim, bifariam, trifariam, quatrifariam, multifariam: dupliciter, tripliciter.*

Spectantia ad similitudinem sunt, *tanquam, seu, sicuti, veluti, vti, vt quomodo, quemadmodum.*

De spectantibus ad animæ extensiones.

ADuerbia pertinentia ad animæ circunstantiam sunt multiplicia. Nam vel anima affirmat vel negat esse seu actum, vel dubitat, vel interrogat, vel vocat, vel respondet: vel optat, vel hortatur, vel eligit vel prohibet, & ex omnibus hisce animæ extensionibus ad obiecta, nascuntur aduerbia, si circa verbum stant: vel side se, sunt interiectionis, quę equiualent orationi.

Affimandi aduerbia sunt, *sic, ita, etiam, profectò, quippe,*

nempe

nempe, ne, sane, vtique, certò, maximè, nimirum.

Negandi aduerbia sunt, *non, haud, minimè, nequaquam, haudquaquam, neutiquam.*

Dubitandi sunt, *fors, forsan, forsitan, fortassis, fortasse.*

Interrogandi sunt, *cur, quare, quamobrem, quid, nonne, vtrum, nunquid, quidnam, quidne, quidita.*

Iurandi sunt, *pol, edepol, ecastor, hercle, mehercle, medius, fidius, &c.*

Vocandi sunt, *heus, ò*: eademque sunt respondendi interdum aduerbia.

Demonstrandi sunt, *ecce, en, eccum, scilicet, videlicet.*

Interrogandi vt *quæso*, & blandiendi, vt *sodes, amabo.*

Optandi sunt, *ò, vtinam, ò si, ò quam.*

Hortandi sunt, *eia, age, agite.*

Eligendi, *potius, satius, potissimum, imò, quin.*

Prohibendi, *ne, caue.*

De aduerbiis affectiuis actuum.

Art. III.

ADuerbia alia non circunstant verbo, tanquam significantia, quod actui miscetur circum; sed qualificant afficiuntque actum.

Qualificatio vel est ex parte actum edentis, vel suscipientis, vel ex parte ipsiusmet actus.

Aduerbia qualitatis ex parte agentis, sunt *pulcre, docte, fortiter, bene, male, Græcè, Latinè, Ciceroniane*: & plerumque ex omni nomine adiectiuo qualificante essentiam deriuatur aduerbium qualificans actum: igitur quot adiectiua tot aduerbia.

DECLARATIO.

REctè dictum est *ex omni adiectiuo fieri aduerbium*, nomina enim substantiua, tunc fiunt aduerbia cum adiectiuantur, vt ex Cicerone fit Ciceronianus & ex hoc

Ciceroniane: ſicut enim adiectiuum qualificat rem, ita aduerbium actus rei.

Dantur aduerbia quantitatis, qualitatiſque poſitiua, vt *doctè*, & comparatiua, vt *doctiùs*, vt ſuperlatiua, vt *doctiſsimè*.

De aduerbiis affectionis ipſius actus.

ADuerbia qualitatis, ex parte actus, pertinent ad affectionem eiuſdem, ſeu alterationem.

Alia ſunt intenſiua, vt *magis, maxime, multum, admodum, perquam, magnopere, vehementer, prorſus, penitus, omnino, nimium, longe, late, impensè.*

Alia ſunt remiſſiua, quæ minuunt actum, vt *ſenſim, paulatim, vix, ægrè, penè, ferè, fermè: pedentim; à poco à poco, pian piano,* &c. vulgariter.

ADNOTATIO.

SCiendum, quod adiectiua nomina pertinent ad eſſentiam, quantitatem, formam, ſpeciem; vt humanus, longus, quadrangularis, albus: & ideò aduerbiorum aliud quantificat actum, aliud qualificat, aliud format, aliud ſpecificat, & hæc omnia ſub ratione affectionis, dicta ſunt & qualificationis. Qualitas enim eſt non ſolum ſubſtantiæ, ſed etiam quantitatis, & formæ, & actus, & omnium prædicamentorum, vt in logica declaratum eſt.

Item intenſio, & remiſſio pertinent ad qualitatis, & magnitudinis actus.

De *ordine aduerbiorum.*

Art. IV.

ALia aduerbia ſunt primitiua, vt *vbi*: alia deriuatiua, vt *vbique*.

De formatione aduerbiorum.

ITem alia simplicia, vt *doctè*, alia composita, vt *quan. doctè*; alia de composita, vt *quam doctissimè.*

Considerandum, quod alia aduerbia componunt cum aduerbio; vt *ex sic, & vti*, fit sicuti: alia cum nomine, vt *maleficus*; alia cum pronomine vt *me hercle*: alia cum verbo, vt *satisfacio, malefacio, malo*. idest magis volo.

NOTANDVM.

GRammatici dicunt sex esse præpositiones, quæ non nisi in compositione reperiuntur, videlicet: *di, dis, re, se, an, con.* Veruntamen videntur ex parte errare, nam & si ly *con*, sit præpositio veniens ex *cum* tamen ly *dis* oritur ex disiunctim; & *di*, ex diuisis aduerbiis: *se* ex *seorsum*, *re* ex *retro*, aduerbio ordinis, vel præpositione: an forsan ex *ante præpositiue.*

AXIOMA.

OMne aduerbium affectionem actus intrinsecam, aut circunstantem, significat, tam in compositione, cum verbo quàm cum nomine. Non enim nomini iungitur nisi per subauditum verbum.

De coniunctione, septima orationis parte.

CAP. IX. Art. I.

DEFINITIO.

COniunctio est vocabulum indeclinabile consignificans copulam essentiarum, inter se relatarum ad

vnum actum; aut rerum & simul actuum earum inter se, & propterea in oratione coniungit cęteras partes orationis & sententias, vt Petrus & Ioannes sunt homines, item Petrus currit, & Ioannes.

DECLARATIO.

POnitur vocabulum *pars orationis indeclinabilis* ex genere & differentia communis, sicut in definitione aduerbij & præpositionis.

Dicitur *consignificans copulam essentiarum inter se relatarum ad vnum actum*, ad differentiam præpositionum, quarum aliqua significant coniunctionem, vt est respectus, non vt ad actum aliquem coniunguntur; vt *Petrus cum Ioanne est*, vbi ly *cum*, solam relationem societatis indicat. Sed *Petrus & Ioannes sunt homines*, ly *&* coniungit Petrum cum Ioanne in actu essendi, & quidem ly *cum* quatenus sum actu coniungit spectat ad coniunctionem; quatenus casum regit, ad præpositionem.

Dicitur vel *rerum simul*, & *actum earum*, quoniam possunt coniungi in vno actu, vel in duabus: vt *Petrus currit, & Ioannes legit*, vbi ly, *&* Petrum currentem & Ioannem legentem copulat, & propterea Grammatici dicunt, quod coniungit partes orationis & sententias, vt *homo & asinus sunt animal*, & homo est rationalis & asinus irrationalis.

COROLLARIVM.

ET ideò non potest reperiri coniunctio in oratione simplici vnius prędicati, & vnius subiecti simpliciter: vt homo est animal, in qua nulla coniunctio est, nisi hominis cum animali, sed verbalis.

De *coniunctionis spectantibus.*

Art. II.

COniunctionum alia copulatiua, alia disiunctiua, alia aduersatiua, alia conditionalis, alia comparatiua, alia rationalis, alia illatiua, alia oppositiua, aliā exceptiua, alia temporalis, alia localis.

Definitio copulatiuæ.

COpulatiua coniunctio. est quæ prorsus coniungit res in vno actu vel res actusque. Sunt autem copulatiuæ, *&*, *atque*, *ac*, *quem*, *etiam*, *quoque*, *nec non*, *vt*, *cum*: subiunctiuisque seruientes omnes.

DECLARATIO.

COniungere & copulare sunt idem, & quoniam copulatiua prorsus coniungit, habet nomen sui generis, per antanomasiam.

Sed aliæ particulæ non coniungunt nisi cum aliqua diuisione interposita. *Cum*, *& ut*, *quoniam subiunctiuo* deseruiunt, sunt copulatiuæ, *similiter & quod*.

Definitio disiunctiuæ.

DIsiunctiua est quæ copulat vocabula & non res, vel copulat secundum vocem, & dissociat secundum rem. Suntque istæ, *aut*, *vel*, *ve*, *siue*, *seu*, vt tu aut & homo, aut bestia; vel scribis, vel legis. Et, vel ego sum malus, vel tu es malus.

Definitiuo aduersatiuæ, & numerus.

ADuersatiua est, quę coniungit res vel actus, sed cũ diuersitate, vt *tu es bonus. Sed non in omnibus*, & Petrus est doctus & Ioãnes indoctus. Sũt aduersatiuæ, sed, at, attamẽ, tamen, verum, autem verò ast, cæterum, atque, veruntamen, nihilominus, licet, & licet, etsi quamquam, quamsis, tametsi. Quæcunque coniungunt, aduersando. In vulgari lingua ly *ma* solum aduersatur. Nunc addunt *pero*, steriliter.

De conditionali.

COnditionalis ex quæ est suppositione facit coniunctionem, ex si sol est super terram dies est. Sunt condictionales, *si, sin, nisi*, & vulgariter, *posto che*.

De comparatiua.

COniunctio comparatiua est quæ per assimilationem res simpliciter, vel cum actibus simul inter se coniungit æquando, vel excedendo, vt sicut Petrus est doctus, ita Franciscus est ignarus, vel Petrus est doctus sicut est bonus, tam doctus quàm bonus: vel magis doctus quam bonus, vel quam Petrus.

Sunt comparatiuę *sicut, ita, velut, veluti, vti, vt, tanquam, quemadmodum, magis, minus, tam, quam, satius.*

DECLARATIO.

COmparatio ęquans est quę æqualitatem facit inter res comparatas, vt sicut Petrus est albus, ita Ioannes est niger: vel tam tu es Philosophus quam Poeta, alia ponit inęqualitates, vt tu es magis bonus quam est Petrus.

Nomina omnia comparatiua & superlatiua, quoniam includunt ly magis, & ly *maxime* sunt coniunctiua orationum & dictionum.

De rationali.

Rationalis coniunctio est quæ dictum cum ratione dicti seu causa dicti coniungit, vt *tu es doctus, quia studuisti Ciceroni.*

Sunt rationales coniunctiones, *quare, quia, nam, namque, enim, etenim, quoniam, idcirco, ideo, propterea, quoniam, quidem, siquidem.*

De illatiua coniunctione.

Illatiua est, quę coniungit antecedens cum consequenti dicto alterum ex altero inferendo, vt Petrus est sanctus, ergo carus Deo, sunt illatiuę *igitur, ergo, itaque.*

De expositiuis.

Expositiua quæ rei non claræ coniungit clarificationem, vt homo risibilis, idest potens ridere quandiu libet.

Sunt expositiuæ *idest, hoc est, scilicet, videlicet v.g.*

De exceptiuis.

Exceptiua est, quæ excipiendo aliquid ex dicto coniungit exceptum ei, vnde excipitur, vt *omnis homo est mendax, præter Iesum Christum.* Et quadraginta accepi, *vna minus.*

Sunt exceptiuę *minus*, præter, excepto, nisi.

De temporali.

TEmporalis couiunctio est, quæ coniungit res atque actus per temporis simultatem, vt quando magister legit, *tunc*, discipuli audiunt, & postquam veneris, dabo tibi librum. Sunt temporales, *quando, postquam, tunc, deinde, subinde, deinceps, dein, donec, dum.*

DECLARATIO.

QVamuis temporales coniunctiones sint aduerbia, quatenus afficiunt actum temporalitate: nihilominus quatenus coniungunt partes orationis & orationculas, pertinent ad coniuctionem. Idem dic de locali.

De localibus.

LOcalis est, quæ aut res significat, vt iunctas loco, vel iungit localiter, vt *vbi te inuenio, ibi te iudico.* Sunt autem locales *vbi, vnde, quo, qua, quorsum, quousque*; & aliæ dum coniungere possunt.

Distinctio ex ordine.
Art. III.

SVnt aliæ coniunctiones primitiuæ vt *at*; aliæ deriuatiuæ vt *ast, atque.*

Distinctio ex dispositione.
Art. IV.

ITem aliæ disponuntur in primo loco orationis, vt *ac, atque, atqui, at, sed, aut, siue, seu, nec, neque, cum, quin, quia, etiam, quoniam.*

Aliæ poſtponuntur, voci, cui adiunguntur, vt *quidem*, *quoque*, *autem*, *vero*, *enim*, *ne*, *ve*.

Aliæ vtrique loco aptantur, *igitur*, *equidem*, *ſaltem*, *&c.*

Ex formatione.

ITem quædam ſunt ſimplices, vt *tamen*, *quædam compoſitæ attamen*.

Quæſtio de numero partium orationis.

QVæritur an ſint plures orationis partes? nõ videntur enim omnes ſignificationes per partes præfatas euacuari: ſiquidem articulus adhuc deſideratur, qui appoſitus demonſtrat non ſolum ſexum, ſed etiam quod per antonomaſiam, aut per eſſentiam, aut per proprietatem eſt tale. Sed hoc verum eſt in lingua Græca & vulgari Italica, cum enim dico *Pietro bono*, qualifico ſubſtantiam Petri: cum dico *Pietro il bono*, proprietatem Petri per excellentiam declaro: & cum dicimus *Chriſto è agnello, ò figlio di Dio*: nihil excellens dicimus, nec propriũ. Sed dicendo *Chriſto è l'Agnello, ò è, il figlio di Dio*, proferimus quid ſpeciale decantatum, aut quod verè aut per eſſentiam eſt, & non per ſimilitudinem ſolam vt Chryſ. adnotauit, ſed latini carent hac particula.

Videntur tamen certi eſſe in hoc, quod Gerundium & ſupinum ita diſtinguuntur à nomine & verbo, vt participium ſpecialem habent modum ſignificandi; idcircò inter partes ordinis numerari deberent. Sed forſan ad participia reducuntur, vel ex verbo & participio componuntur. Amando enim amandi, & amandum, participia ſunt in Dus. Sed tamen verbaliter magis ſignificat quam participia. Sed caſus habent & formationem à participiis. Similiter amatum, & amatu participio paſſiuo reſpondent actiuique præteriti, vt cœnatum, & pranſum actiuè ſonant, & auxiliatum: amatus verò paſſiuè: vnde fit per detruncationem amatum.

De Oratione confusa, ideſt de Interiectione.

CAP. VIII. Art. I.

ORatio confuſa eſt indicatio, quæ in dictiones diſtinguitur, ſed imperfectis vocibus, & minus benè articulatis, ſignificat animi paſſiones, notiones, & affectiones.

DECLARATIO.

IN hac definitione ponitur *indicatio*, quoniam aliquid oſtendit vt præſens omnis confuſa oratio.

Quæ ſubiunguntur, ponuntur ad differentiam orationis diſtinctæ.

Dicitur *ſignificat paſsiones, notiones, & affectiones*; quoniã iſtæ ſunt extenſiones animæ erga obiecta extendentis ſe per poteſtatiuum, aut per cognoſcitiuum, aut per volitiuum: & quidem omnes extenſiones per hanc orationem, vocatam à Grammaticis *interiectionem*, deberent exprimi, & de facto exprimuntur. Sed non in omni lingua habemus voculas ſignificantes earum: neque eaſdem: ſed in aliis alias meliuſculè, aut deteriuſculè.

CONSIDERATIO.

LIcet paſſiones, notiones & affectiones ſint eædem in omni lingua, & expreſſio ipſarum in corporis commotione eadem: non tamen expreſſio per voculas, ſed alibi aliæ.

DECLARATIO.

SVnt quidem animæ extenſiones eædem, quoniam ab eiuſdem ſpeciei animabus omnia hominum corpora

informantur, & ab eisdem obiectis pariter mouentur. Sed expressio notionis animæ repræsentatur in corpore & in expresso aere, in illo similiter, in hoc dissimiliter, vnde affectus desiderantis latinè exprimitur per voculum, *vtinam*; Italicè per *vel essedio*, Hispanicè per *oxalà*, Græcè per ei.

ASSERTIO.

OMnis vox de se solam animi extensionem exprimens dicitur composita oratio: quæ autem cum aliis partibus orationis, nequaquam.

De expressionibus passionum. Art. II.

IN lingua Latina passiones potestatiui sunt paucæ: aliæ quidem hortantis, vt *eja*, *age*, *agitè*. Aliæ prohibentis, *ne caue proh*. Aliæ irascentis, vt *infandum*. Aliæ timentis, vt *ha*, *hei*: Aliæ animaduertentis, vt *apagesis*. Desunt sperantis voculæ, & irruentis, & imperantis, & impotentis, & longanimitatis, & audentis, & timentis &c.

De expressionibus notionum. Art. III.

NOtiones cognoscitiui in lingua Latina, aliæ sunt asserentis, vt *ita*, *sic*: aliæ negantis, vt *non*, *haud*. Aliæ dubitantis vt *forsan forsitan*, *fortassis*, *fortasse*. Aliæ interrogantis, vt *cur*, *quidnam*. Aliæ vocantis, vt *heus*, *ô*. Aliæ respondentis, vt *ô*. Aliæ admirantis, vt *papè*, *hem*. Aliæ demonstrantis, vt *en*, *ecce*.

Desunt autem interiectiones memorantis, discurrentis, imaginantis, cogitantis, intelligentis, & declarantis.

De exprimentibus affectionum.
Art. IV.

AFfectionis significatur per notas consimiles, aliæ enim sunt desiderantis, vt *vtinam*, *ô*, *si*. Aliæ gaudentis, vt *euax euge*. Aliç lugentis vt *hau*, *heu*, *ehi*. Aliæ dolentis, vt *heu*, *hei*, *ah*. Aliæ ridentis vt *ah*, *ah*, *eh*. Aliæ blandientis, vt *amabo*, *sodes*. Aliæ imprecantis, vt *malum*, *& veh*, quæ etiam est exclamantis.

Desunt his interiectiones aduersantis, quæ potest esse *apagesis*, & miserescentis; quæ apud Virgilium exprimitur per *miserum*, & æmulantis & inuidentis, quas non inuenimus apud Latinos. Item approbantis & reprobantis, hanc vulgariter exprimimus per *aibo*, quæ Latina non est.

Adnotatio.
Art. V.

QVamquam posuerimus *vtinam*, *ô*, *heus*, *& forsan*, multasque alias extensionum notiones inter aduerbia; hoc tamen verum est, vbi verbo adhærent ad modificandum actum. Sed vt solummodo animi exprimunt affectiones, pertinent ad orationem confusam. Nihil autem prohibet, vt idem sit in diuersis signorum ordinibus, vbi diuersas habet rationes, vt patet in Logica.

GRAMMATICALIVM.

LIBER SECVNDVS.

QVID CONTINETVR in libro ſecundo.

PROOEMIVM.

POſtquam partes Grammaticæ diximus, & orationis enumerauimus particulas, tam perfectæ, quàm confuſæ: reliquum eſt deſcribere conſtructionem orationis ex ſuis partibus, & quomodo cohærent declarare. Et quoniam partes orationis habent caſus, ſexus, numeros, perſonaſque, illæ quæ declinantur, qua ratione diſponendæ ſunt ſecundum dictas ipſarum affectiones, operæ pretium eſt dicere ſpeciatim: nam indeclinabiles particulæ ſolam diſpoſitionem requirunt ſine eiuſmodi concordantiis.

De concordantia in nationum linguis, & quæ denuo institui possunt.

QVemadmodum in lingua Hebraica, Itala, Arabica, Hispana, & Gallicana non dantur casus nominum, sed loco ipsarum ponuntur articuli, sic etiam in lingua Concincinorum, & aliarum orientalium non dantur declinationes verborum aptandæ personis, neque temporum varietates, neque varietates verborum aptandæ temporibus: & ideo omne verbum est instar impersonalis vel infinitiui. Distinctio autẽ fit per aduerbia temporalia, vt si dicerem, *nũc amo, imposterum, amo, ante amo.* Sic in personis aiunt[*ego amo tu amo, Pietro amo*, ita quod non dantur concordantiæ temporum nec personarum, neque casuum sed particulæ aduerbiales, & agnominales totam orationem construunt, & distinguunt mirifica breuitate ac dicendi facilitate. Quapropter qui nouam linguam inuenire studet, hæc notabit, & quæ dicta sunt, dum de partibus orationis loqueremur.

De concordantia partium in Latinæ orationis structura.

Art. I.

IN oratione distincta semper declaratur aliquis actus de aliqua essentia, siue actus ille sit essendi, siue existendi, siue operandi, siue quiuis alius.

Quare omnis res, cuius est actus, ponitur in nominatiuo.

REs siue essentia, de qua dicitur actus, etiamsi passiuus, ponitur in nominatiuo casu, quem vocamus

rectum, quoniam ex ipso flexiones casuum incipiunt, & actus ex ipso egreditur, vel tanquam egrediens exprimitur.

Quare verbum cum nominatiuo concordat.

SEmper concordat actus cum eo, cuius est actus secundum naturam; alioquin non esset eius actus: propterea nominatiuus cum verbo dicente actum, concordare debent in numero & persona, vt *ego amo*, tu amas, Petrus amat, nos amamus, vos amatis, illi amant: sic facies in reliquis temporibus verborum in omni lingua.

EXCEPTIO.

EXcipiuntur verba impersonalia, & infinitiua, in quibus non ponitur res, seu eius notamen in nominatiuo, nec concordat ergo verbum cum nomine semper.

Dicimus enim *me pœnitet errorum*, vel *errasse*: & scio, te esse doctum.

DECLARATIO.

EX textu rectè patet, quare verbum concordat cum nomine in persona & numero: quoniam actus est rei. Sed in verbis impersonalibus, vbi postponitur infinitiuũ verbum non verbi loco, sed nominis, adiicitur, & tertiæ semper personæ singularis quoniam significat actum more nominis quasi rem, propterea videtur quod verbum non concordat cum nomine, & tamen oratione concordat. Cum enim dico, mihi displicet viuere, & me delectat scribere, & Petri interest legere ly *viuere scribere* & *legere* sunt loco nominis positi in nominatiuo & idem sunt ac *vita*, *scriptio*, *lectio*, & concordant cum verbo. Patet enim quoniam si dico, *petri interest lectio*, bene dico, non autem, si *petri interest lectiones*, sed *intersunt*, & in hoc

falluntur Grammatici putantes esse impersonale propter infinitum ly *interest* & *delectat.*

In sola ergo impersonalium quinta aliter se habet, cum dico, *petrum tedet vitæ*, ly enim *tædet* cum nullo concordat nomine, estque verè impersonale. Sed tamen sciendum, quod deberet concordare cum ly *vita*, sicuti in vulgari sermone, & in aliis linguis accidit. Sed Latini apposuerunt genitiuum pro nominatiuo, vel quia intelligitur aliquid, vt cum dico, aliquid boni, & non bonum, vel actus, idest, actus vitæ.

Sed in secundo impersonalium passiuorum ordine res obscurior est, dicimus enim *a me satisfit tibi.* Sed siquis consideret quod actus satisfaciendi à me egreditur, & quòd causa actiua in ablatiuo ponitur quando non vt agens consideratur, sed vt id, vnde egreditur actio, statim cessabit dubitatio.

In infinitiuis quoniam semper à verbo finitiuo concordante cum suo nomine reguntur, facile intelligimus, quando non ponuntur, vt edens actum, sed vt obiectum: propterea que in accusatiuo, vt scio ego, *te esse doctum*, vbi ly *te esse doctum*, est obiectum scientiæ meæ, & propterea omnia infinitiua accusatiua exigunt, & cum dicimus, ego *scio scribere*, ly scribere se habet vt nomen indicans obiectum actus sciendi.

Quapropter in concussa est regula, quòd id, cuius est actus propriè, vel cui attribuitur vt proprium, in nominatiuo ponendum est, concordandumque cum proprio actu: ergo nomen cum verbo concordat in numero & persona, alioquin non esset actus illius, sed alterius, & cum dico, *turba ruant*, respicio plurale inclusum in illo singulari *turba* secundum rem, licet non secundum vocẽ.

De

De concordantia adiectiui cum substantiuo. Art. II.

NOn modò actus concordat cum eo, cuius est actus, sed etiam qualitas, & quantitas & quidquid sibi adhæret, vel inest, vel est ipsum.

Quare in omni lingua adiectiuum concordat cum substantiuo.

QVapropter nomen adiectiuum cum suo substantiue concordat in omni lingua, quoniam accidens & proprietas ei, cuius est accidens, proprietasque, conuenit, cordatque, si eius est.

In quibus concordat adiectiuum cum substantiuo.

COncordat autem in sexu, numero, & casu, & persona, dicimus, *ego vir bonus*, tu mulier bona, mancipium bonum, nobis bonis; vos mulieres bonæ, mancipia bona.

DECLARATIO.

EX se ratio patet huius concordantiæ. Sed aduertendum, quod apud Grammaticos non ponitur concordantia in persona, quoniam putant adiectiua esse personarum tertiarum. Nos autem putamus nullius esse personæ, sed eius, cui adhærent substantiuo, vel loco substantiui, pronominis personam suscipere. Quapropter in *ego bonus*, ly bonus est personæ primæ, *vos mali* ly mali est secundæ.

ADNOTATIO.

PRæterea etiam nomina videntur non habere personam, sed à pronominibus eam sortiri, trahique in ipsorum ordinem. Quoniam secundum Metaphysicam essentia non agit nisi quatenus habet existentiam, & est personata: ergo actum habet ex personalitate, propterque à pronomine, personam significante, contrahuntur ad personam. Igitur *Petrus* est prima, *tu Petre* est secunda, *Petrus* autem absolutè est tertia, quoniam non induit personam.

De concordia relatiui cum antecedente, quod refert,

Art. III.

QVoniam eandem rem contingit plures habere actus quos, dum refert intellectus, non potest eandem rem replicare, ne satietas fiat, sed refert ipsam per notam, quam vocant Grammatici relatiuum: necesse est, vt relatiuum concordet cum relato antecedenti, quoniam idem sunt.

Concordant autem in sexu, numero & persona, non autem, in casu, quoniam relatum non ęquales habet actus, sed alium essendi, alium agendi, alium patiendi, &c.

DECLARATIO.

DE sexu & numero eadem est declaratio. Sed de persona siluerunt Grammatici, sicut in adiectiuo substantiuo, verumtamen eadem ratione confutantur cum enim dico, *ego qui sum bonus, timeo Deum*: ly *qui* & ly *bonus* sunt personæ primæ, quoniam actus sunt personarum, vt dictum est. Non concordant autem in casu, quoniam

in vna propositione potest esse actus essendi, & in alia patiendi: actus autem patiendi concordat cum agente, quando actiuè pronunciatur, vt à quo, & non passiue vt in quo. Quapropter dicimus *homo, quem rex exaltat, doctus est*, vbi ly *quem* est patiens actum exaltationis, & *homo* habens est actum existendi doctum, vnde non possunt in eodem casu poni semper, nisi quando sunt actus eiusdem conditionis, vt cum dico, Petrus qui est Grammaticus, erit diues, vel quando significantur de aliquo actus, eodem significandi modo; vt cum dico, Petrus qui est Grammaticus, ditabitur, vel docebit discipulos, vbi *ditari* dicit actum, vt inhęrentem Petro, & *docere* actum, vt in Petro operante: idcircò quamquam alter passiuus, alter actiuus, tamen concordant cum actu existendi: & Grammaticè in modo significandi.

NOTANDVM.

OMne relatiuum facit orationem duplicem, & est sicut coniunctio nominalis orationum, nec potest reperiri oratio simplex, in quam relatiuum ingreditur.

De constructione orationis.

CAP. IV.

Ex rerum coniunctione & disiunctione per actum ortam esse constructionem orationis.

Art. I.

QVoniam essentiæ rerum per se sunt impermistę: permiscentur autem per proprios actus, dum altera in alteram extenditur. Et iterum ipsarum simplicitas, vt

multiplicitas, ab intellectu concipitur, per actus intellectus permiſcetur & vnitur, illa per intellectum facta multiplicitas; propterea ad declarandum res cum ſuis actibus & per actus coniunctas & diſiunctas eſt oratio, cuius multiplicitas ex actuum multiplicitate conſtabit.

Quot ſunt genera actuum tot eſſe regulas ſeu ordines conſtruendarum orationum.

CVmque ſit alius actus eſſendi, alius exiſtendi, alius operandi, alius agendi, alius patiendi, alius mixtus; propterea ſunt ſeptem verborum ordines: de quibus regulæ ſeptem faciendę ſunt ſecundum rectam philoſophiam, quamquam Grammatici aliter ſentiant.

De regula verborum eſſentialium primum ordinem conſtructionis orationum ducente.

Art. II.

PRimum ordinem conſtructionis orationum efficiunt verba ſubſtantiua: quæ exigunt ante ſe & poſt ſe nominatiuum propterea, quod prædicatum ſubſtantiale non ſequitur ad actum eſſendi, ſed continetur in illo; vt ***homo eſt animal***, vbi quoniam ly animal eſt idem quod homo, actus eſſendi non facit differentiam inter id quod præcedit & quod ſequitur ad verbum *eſt.*

Eandem conſtructionem verbum eſſentiale, quando prædicat actum accidentalem per modum eſſendi.

PRæterea quidquid prędicatur, vt ſubſtantiale vel per modum ſubſtantialis, licet non ſit, niſi ſecundum

vocem, ponitur etiam in nominatiuo, vt homo est albus, ly enim *albus*, hæret homini accidentaliter, & non est idem quod homo. Sed tamen prædicatur quasi ens idem: quoniam est idem in persona, licet non in substantia, vt in Metaphy. declaratur.

Eandem constructionem facere verba accidentalia quando actus non essentiales per modum essentialis connotant.

OMnia verba etiam non substantialia quatenus implicant actum essendi, quamuis pertineant per se primò ad existentiam, vel actionem vel passionem, etiam exigunt ante & post nominatiuum, vt Petrus manet mœstus: leo incedit grauis. Mulier extat prompta: antiqui lactabautur nudi.

Vnum esse verbum substantiuum.

NOn videtur verba substantiua seu essentialia, sic dicta quoniam actum essendi substantialiter aut accidentaliter exprimunt, esse plura vno, vz. *sum*, *es*, *est*, cuius declinationes habeto à Grammaticis: etenim ly *viuo*, quoniam viuere est esse, non semper substantiale est, vt hic, *tu viuis homo*. Sed interdum accidentale, vt *tu viuis fœlix: tu viuis vitam longæuam*, hoc est habes, vel edis vitam longæuam: item quoniam denominantur res ab his, quæ habent extra se, & non modò ab his, quæ sunt, vt dicimus, *Petrus est Neapolitanus*, est pileatus, est fortunatus: propterea ly *habeo*, dicit *sum*, & ly *sum habeo* per commutationem significationis; sicut enim qui habet arma dicitur armatus, ita qui est homo dicitur habere humanitatem, & habere esse rationale, cum verè sit rationalis & non habens rationale; hinc Grammatici ponunt *esse* loco *ha-*

bere, vt *mihi sunt pecuniæ*: & tu es mihi fastidio, cum vno, & cum duobus datiuis, & hoc cum pronunciatur esse existentialiter. Quod enim existit in altero est, & alteri inhæret seu inest: nam cum pronunciatur essentiatiuè ponitur in recto, vt *ego sum pecuniosus*, & tu es meum fastidium.

Cur substantiuum dicit possessionem.

ITem ly est dicit ex hac radice possessionem, notatque; quoniam connotat habere, vt *liber hic est Petri*, æquaualet enim huic, Petrus habet hunc librum seu coturnum; & Petrus est coturnatus.

De compositiua sum.

COmposita à *sum*, vt adsum, absum, desum insum præsum, prosum, subsum, regunt casus præpositionis componentis cum *sum*, præter adsum, quę datiuum regit quoniam æquiualet accusatiuo cum ad, & mutant esse cum existere.

Omnia verba reduci ad substantiuum.

OMnia verba resoluuntur in substantiuum, *sum, es, est*, quoniam quidquid facit aut habet aut patitur, est idipsum s. faciens, habens, aut patiens, idem ergo valet, ego curro, quod ego sum currens, propter causas dictas in Metaph p. 2.

ADNOTATIO.

GRammatici incipiunt regulas constructionis à prima actiuorum, & falluntur Prius enim est esse secundum naturam, & deinde existere, & deinde agere. Quamobrem verbum essentiale præcedit.

Item secundum doctrinam. Prius enim est nominatiuus casus quam accusatiuus; & simplicior est oratio, in qua nominatiuus præcedit & subsequitur; quam in qua sequitur actus: à simplicioribus autem & prioribus incipiendum est.

De regula verborum existentialium, secundum ordinem constructionis ducente.

Art. III.

SEcundum ordinem constructionis efficiunt verba significantia actum existendi: quę ante se exigunt nominatiuum rei existentis, post se verò ablatiuum cum præpositionem; omne enim quod existit, extra se existit in alio.

Quot modi existendi.

DIcuntur res existere in alio propriè, sicut in loco exceptiuo essentiæ deductæ ad existentiam extra causam suam, vt *mundus est in spatio*: ex hoc extensa est existentia ad in tempore, vt *Petrus est in hoc anno*, ad in subiecto, vt *albedo in pariete*, ad in causa, vt *omnia sunt in Deo*, & leui in lumbis Abrahæ: ad *in effectu*, vt *Deus est in mundo.* Ad in toto, vt *oculus in capite*, Ad in cognato, vt *pisces in mare*, aues in aere.

NOTANDVM.

OMnes hi modi essendi indicant principaliter aut connotatiuè existentiam, excepto esse in causa, & in effectu, vbi saltem secundum loquendi modum connotant.

De verbis existentialibus principaliter.

VErba existentialia sunt existo, exto, insum, principaliter. At cuncta verba concernentia actum existendi deducuntur ad isthæc.

Quapropter maneo, sedeo, moror, dormio, iaceo, castra metor, & cætera huiusmodi, exigunt post se ablatiuum cum præpositione in.

De connotantibus existentiam.

PRæterea omne verbum significans essendi actum & agendi, & patiendi, quatenus simul existentiam concernunt, exigunt eosdem casus, dicitur enim homo pati in anima, agere in foro, gaudere in ecclesia; & intelligere in Deo, loqui in sapientia, ita quod nullum est verbum, quod non possit post se habere ablatiuum & in: quoniam omnis actus etiam existit & potest significari, vt ens, & vt existens.

De Grammaticaliter dumtaxat existentibus.

SVnt verba quæ solum Grammaticaliter connotant existentiam: vt homo est rationalis in anima, & in Deo est iustitia & in animali sensitiuum. Secundum rem enim non est iustitia in Deo, sed Deus est iustitia: neque rationale in anima. Sed anima est rationalis, prout in Metaphy. docuimus.

Regula verborum actuatiuorum, tertium ordinem constructionis ferens. Art. IV.

TErtium ordinem efficiunt verba significantia actum operandi immanentem, qui proprie vocatur actus,

&

& verba eius actuatiua, & exigunt ante se nominatiuum, & post se ablatum absque præpositione significante actuationem essentiæ nominatæ, vt ego amo amore, tu moueris motione arbor viret virore.

DECLARATIO.

QVamquam operatio ex prima impositione indicet actum transeuntem in opus & operatum exterius; tamen & à Theologis & Metaphysicis solet sumi pro actu immanente: qui non fit causa exterioris rei acquirendæ vel perdendæ, vel quodlibet operandæ: hoc enim pertinet ad actionem. Sed propriæ entitatis conseruatione ac manifestatione: & propterea proprie vocatur actus: & eius verbum est actuare: idcirco verba hæc tertii ordinis actuatiua dici possunt, etiamsi Grammatici hoc vocabulo careant.

Quomodo omnis dictio significans aut connotans actum, aut per modum actus se habens, ponitur in ablatiuo.

CAusa formalis, quoniam est actus materiæ, & actus formæ, qui eius immanens opus est, & instrumentum, quoniam modificat actionem sicuti actus, & omne opus & res significans modum & actuationem & partem, ponitur in ablatiuo; maxime autem si ex verbo est, aut verbum de se format, vt *viret virore.*

Ablatiuum autem hoc verè non est, sed vocari debet actuatiuus casus quem septimum dicunt Grammatici hoc olfacientes, non enim aufert, sed dat formaliter.

DECLARATIO.

DIcimus in ablatiuo quidquid actum significat: quoniam actus non recipitur in alio, sed eius est, quod

actuatur; & ideo nullam exigit præpositionem referentem ad aliud coexistens. Neque vult nominatiuum, quoniam non est id, quod actuatur, sed est vel forma vel per modum formæ eius; idcirco sicut causa formalis ponitur in ablatiuo seu potius actuatiuo dum suam causationem exprimimus, ita & actus. Similiter instrumentum in ablatiuo ponitur, quoniam modificat actionem & actuat ad certum modum operandi; vt loquor lingua, fodio ligone. Et quoniam verbum significat actum cum ponitur actus nominaliter, ablatiuum exigit, vt cum dicimus viret virore, agit actione, gaudet gaudio, idcircò diximus, *si est ex verbo.*

Diximus, aut *si verbum de se format*, vt nomen format nomino; & amor amo.

Præterea omnis pars quæ actum edit, cum tribuitur actus toti, ponitur in ablatiuo: vt homo intelligit animo: Christus patitur carne, quando se habent ad similitudinem formæ, vel organi, tam coniuncti quàm separati.

ASSERTVM.

OMne nomen secundum naturam per Metaphysicum format de se verbum, quoniam omnis essentia habet proprium actum, licet Grammaticaliter non sit in vsu, vt ab homine oritur homifico, & à calore caleo, & calefacio, & actus ac forma, vnde formatur, ponitur in ablatiuo: & principium, quo agitur.

DECLARATIO.

RAtio euincit hoc assertum: etenim homo operans secundum quod homo dicitur *homare* in se, & *homificare*, alterum calor calefacere, & calere; & iudex iudicare, & Rex regere: & ligon ligonizare, & oculus oculizare: verum si nomen purè essentiam dicit, non vt operantē, formatur ex actu sine effectu ad exteriora, vt Petrus petrizat, & torpidus torpet. Cum autem ad exteriora por-

rigitur actus, vel per modum transeuntis elicitur in obiectum, additur verbum *facio*, quoniam princeps actionum significator est; vt homifacio, calefacio, lætifico, petrifico. Actio ergo quatenus est actus agentis vt agentis, etiam ponitur in actuatiuo vt calefactione ignis calefacit forma etiam qua agit, vt ignis calore calefacit, vel caliditate, item principium agendi vt essentialitas; dicitur enim anima intelligere intellectu, & intellectione & intellectiuo, & intelligibili specie, quæ se habet per modum informantis & instrumenti, & comprincipij ad intelligendum. Hinc Logici distinguunt agentem, *vt quo*, *& vt quod*.

Verba primò actuantia esse triplicis ordinis.

VErborum actuantium, quædam spectant ad potestatiuũ, vt possum, valeo, viuo, vigeo polleo, queo, nequeo, caleo frigeo, morior, pereo intereo, areo vireo, lapidesco, horresco, tremeo, ruo, cresco, decresco, tumeo, audeo, abundo, egeo.

Quædam ad cognoscitiuum, vt intelligo, scio, nescio, ignoro, reminiscor, ratiocinor, imaginor, nosco, intueor, video, audio, odoror, gusto, sapio, desipio, obliuiscor, recordor.

Quædam ad volitiuum, vt volo, nolo, amo odi, cupio, opto, lætor, gratulor, mæreo, tristor, doleo, gaudeo, fruor, vtor, iocor, iucundor, afficior, crucior, rideo, lacrymo, suspiro, inhio, & quæ ex his deriuantur, & componuntur.

DECLARATIO.

QVoniam actus eliciuntur ex principiis; principia autem ex primalitatibus tribus, idcirco sunt triplicis ordinis, & cum pronunciantur per modum actus, actuatiuum postulant, non solum designantem actuum, sed & obiectorum, vnde occasionem trahit actus. Di-

cimus enim ego gaudeo gaudio magno; & ego gaudeo doctrinis, & arbor virescit virore, & virescit aqua: & intelligo intellectu & intellectione. & specie intelligibili; video visu visione & visibili. Sed cum isti actus referuntur ad obiecta non per modum actus, sed per modum actionis tunc fiunt actiua verba, de quibus dicemus quod exigunt accusatiuum, vt ego video visibilem rem. Sunt autem verba neutropassiua dicta Grammaticis quæ passiones & affectiones significant, sed quæ notiones ponuntur inter actiua non rectè, omnis enim actus per modum actus debet dici neutro passiuum in ipsorum dogmate: in nostro autem actuatiuum, non enim sola passio interuenit semper, sed cum notione, & affectione sæpissimè. Præterea Grammatici respiciunt literaturam, vnde morior, & lætor, & lacrymor, sunt illis deponentia; nobis autem actuantia non secus ac vocata neutropassiua, & actiua apud illos ex actu, & non ex actione. Principalia autem sunt, *possum*, *scio*, & *volo*, cætera concernentia sunt horum.

ASSERTVM.

PRæterea omne verbum quatenus construitur cum forma aut instrumento, aut actu, exigit ablatiuum, quamuis sit in principali significatu substantiuum, aut existentiale, aut actiuum, aut passiuum: dicimus enim *scribo penna* & scriptione: doceo libris, & doctrina: facio manu, factione, cruce. Patior passione, corde, cruce, item afficior gaudio & afficio &c.

Regula de actiuis quartum ordinem constructionis efficientium.

Art. V.

ACtiua verba sunt, quæ significant actum causæ transeuntem in exteriora obiecta, proptereaque voca-

tum actionem, & ideò exigit nominatiuum causæ agentis, & accusatiuum rei factæ seu patientis, vt sol calefacit terram.

NOTANDVM.

SIcut actus essendi est essentialitatum seu primalitatũ ad intra, existendi verò earumdem ad extra: actuandi autem principiorum egredientium ex primalitatibus per respectum ad propriam conseruationem: ita actus agendi est principiorum, vt extensorum ad obiecta, ac proinde in causationem.

Fundamentum causarum.

QVapropter fiunt sex causarum genera, videlicet æctiuum & passiuum, quæ egrediuntur ex potestatiuo: ideale & formale, quæ ex cognoscitiuo principio; finale & perfectionale, quæ ex volitiuo.

Ratio exigendi casus ex causarum rationibus.

ET quoniam causa agens est, quæ aliquid facit, & à qua aliquid fit: passiua est, quæ aliquid patitur, vel de qua aliquid fit: idealis est instar cuius aliquid fit formalis est, qua aliquid fit: finalis est propter quam aliquid fit: perfectionalis est secundum quam aliquid perficitur, vel benèfit: instrumentalis per quam aliquid fit: occasionalis, vnde incipit motiuum causæ ad causandum.

Præterea ratio de casu causæ agentis.

PRopterea dicimus, quòd causa agens semper est ponenda in nominatiuo & in recto cum actus eius in ipsa exprimitur: vt sol calefacit terram: cum verò in pa-

tiente exprimitur, vt ab agente, ponitur in ablatiuo, cum præpositione *a*, vel *ab*, vt à Sole calefit tellus.

Secunda de causa patiente.

OMnis causa materialis & passiua, quando ex primitur causatio eius vt ex ea, ponitur in ablatiuo cum præpositione de, vt de ligno fit ianua & de argento phiala, quando verò exprimitur causatio agentis in materiali & passiua, ponitur hæc causa patiens in nominatiuo, vt lignum fit ianua à fabro, & Petrus verberatur à Francisco, & argentum vertitur in aurum à natura.

Tertia de causa ideali.

OMnis causa idealis, quando exprimitur eius causatio vt ipsa causat, ponitur in genitiuo cum præpositione instar, vt *Lapis in terra fit instar dentis in animali*, vel cum actus eius in accusatiuo cum præpositione ad, vt *homo factus est ad imaginem Dei.* Aliquando etiam in accusatiuo cum præpositione secundum, vt *fac omnia secundum exemplar, quod tibi monstratum est*, oritur enim vt binarius ab vnitate, exemplatum ab exemplari primo: & hic ortus per ly *secundum* exprimitur.

Quarta de causa formali.

OMnis causa formalis, quando exprimitur in causatione sua ponitur in actuatiuo absque præpositione, vt *paries albedine fit albus.* Similiter etiam id, quod est causa formæ dum formaliter exprimitur, ponitur in ablatiuo; vt *paries calce fit albus*: & Franciscus cibo repletur & aluus fœtu tumescit: cuius sensus est, repletur repletione à cibo, vel cibi: & tumescit tumore à fœtu; vt homo intelligit intellectione intellectus, & Christus patitur carne, id est passione carnis: quod in logica considerare debebamus.

Quinta de causa finali.

OMnis causa finalis in sua causatione ponitur in accusatiuo cum præpositione propter: æger ambulat propter sanitatem, & medicus propter pecuniam medicatur: vel in genitino, cum ly *gratia*; vt videndi tui gratia ego huc accessi: & hæc vera sunt de causa finali consummatiua. At causa, cuius vsui perfectiuo aut corruptiuo actus destinatur; ponitur in datiuo: dicimus enim ego seruio Regi: hæc res placet mihi: tu noces Fabio: auxiliaris Petro. Et quidem quoniam omnis actus ad alterius vsum potest edi, idcircò omne verbum potest habere datiuum: vt tibi emo gladium: tibi amo vxorem: tibi doceo filium. Petro occidi filiam. Semper ergo datiuum aliquam finalitatem vsus indicat. Aliquando finis connotatus ponitur cum præpositione pro in ablatiuo, vt eo Messanam pro libris, & occidi pro te taurum, &c.

Sexta de causa perfectionali.

CAusa perfectionalis concurrit cum finali: & propterea poni solet in genitiuo cum ly *gratia*: aliquando cũ formali, quoniam introducta forma in materia accedit perfectio; & propterea ponitur in ablatiuo, vt homo perficitur disciplina, & causa disciplinæ, & augetur ætate: fons scatet aquis, ligo politur vsu, aut gratia vsus, aut ad vsum.

Septima de instrumentali.

OMne instrumentum naturale & artificiale ponitur in ablatiuo sine præpositione, quando sumitur vt modificans actum agentis causæ, cuius est instrumentum vt ego scribo *manu* vel *penna*. Sed quando sumitur etiam vt coagens: tunc ponitur in accusatiuo cum præpositione per: vt Rex *per milites* præliatur. Nam & causa agens

etiam in accusatiuo cum ly *per* solet poni: maxime autem si non est principalis. Apud Hebræos autem ponitur in ablatiuo cum præpositione *in*, vt *in baculo meo transiui Iordanem*; quatenus in eo agens agit.

Octaua de occasionali causa.

CAusa occasionalis, quoniam est motiuum aliarum causarum ad causandum, ponitur in ablatiuo cum præpositione *ex*, vt *ex raptu* Helenæ conflatum est bellum Troianum: ponitur aliquando *ab* vt *ab ouo*: sed vt induit rationem agentis. Principium quoque instar occasionis, à qua incipit causatio solet similiter poni, vt *ex nocte dies*, ex iniuriis rixa, ex lapide via, & *ex hoc eris capiens homines*, & ex fonte aqua.

Appendix de principio & elemento.

PRincipia ergo & elementa etiam in ablatiuo ponuntur cum ly *ex*, vt ex dominico die septimana: & ex literis oratio, & ex terra & sole lapis, lignum, & æs, &c.

Elementum enim est id, ex quo aliquid fit: & materia aliquando ponitur vt elementum. Principium verò est id, ex quo aliquid est.

CONSIDERATIO.

QVoniam primalitates eminenter continent in se ipsis causas & principia, & elementa, omnes dictos casus recipiunt in suis actibus mirificentissimis, sicut in Metap. declaratum est.

De primo ordine actiuorum.

POrrò si actiuum verbum exigit nominatiuum rei agentis, & accusatiuum patientis, omnia significantia actionem

actionem transeuntem in patiens, pertinebunt ad primam regulam actiuorum.

Sed quædam directé sunt in hac regula, quoniam veram actionem dicunt, vt *ago*, *facio*, & composita ex eis, & equiualentia.

De verbis actionis primi ordinis, actionem potestatiui importantibus.

SVnt autem quidam actus directé potestatiui & executiui: vt præterdicta, viuifico, occido, soluo, ligo, incipio, finio, genero, pario, suffero, terreo, timeo, quero, amitto, capio, teneo, libero, relinquo; moueo, fero, formo, destruo, supero, cogo, iacio, pono, depono, tollo, planto, puto, aro, semino, insero, pinso, & quidquid pertinet ad rem rusticam, & artificum: etenim alię actiones sunt naturales, aliæ artificiales: iis adde sequor, medicor, & criminor.

DECLARATIO.

DVoniam actio propriè est effusio similitudinis agentis in patiens: similitudinum veró alia naturalis, vt homo generat hominem, & calor calefacit; alia artificialis, vt homo scribit, aut fodit, aut ædificat, faciendo aliquid simile sibi secundum ideam: idcircò vtraque actio spectat ad primam regulam directè. Vnde errant Grammatci ponentes in quarta neutrorum verba significantia actiiones rusticanas: cum veriùs sint actiua, quam amo, & lego, & emo, &c. Similiter in deponentibus.

De actiuis primi ordinis actionem cognoscitiui importantibus-

ALia verba pertinent ad actionem cognoscitiui, quæ tunc verè est actio cum ad extensiora progreditur

vt declaro, doceo, ſcribo, moneo, cælo, reuelo, manifeſto, ſigno, refero.

Quando autem non progreditur ad exteriora, ſed immanet, attamen vt relata exterius profertur, tunc ſpectant ad actiuorum ordinem ſecundariò; vt ſcio, ignoro, memini, video, audio, olfacio, guſto, intelligo, lego, calleo ſapio, cogito, opinor, imaginor, credo, affirmo, nego, exiſtimo, pendo, noſco, conſidero. Adde meditor, recordor, contemplor, imitor, &c.

DECLARATIO.

DIfferentia eſt inter actionem tranſeuntem, & immanentem. Quæ enim tranſit verè actio eſt, vt doceo & declaro: quæ non tranſit componitur ex actu & paſsione & actione. Si quidem homo patitur à viſibili dum videt, ac ſimul actum edit, ex ſpecie viſiibli rem obiectũ noſcẽs, & quia ex interiori ſpecie obiecti ad obiectum exterius fertur, propterea vocatur actio & verbum actiuum, ſed non purè, igitur ſcio, video, exiſtimo, &c. ſunt actiua ſecundariò.

De actiuis P. ordinis, actionem volitiui importantibus.

ALia verba actiua primi ordinis ſpectant, ad volitiuũ quædam primariò actionem tranſeuntem ſignificantia, vt manduco, nutrio, caco, futuo, mingo, appeto, ad ſequor, declino, verſor, inrideo, quædam ſecundariò ſignificant actionem, nam per prius affectionem, vt amo, diligo, ſperno volo, cupio, odi, eſurio, aueo, ambio, opto, deſidero: Adde fruor, lætor, triſtor, &c.

DECLARATIO.

EX præcedenti declaratione ſumitur horum verborũ notio: ſiquidem actus volitiui & cognoſcitiui ſpectant potius ad actuationem quàm ad actionem. Sed quia referuntur ad obiecta, induunt vim actiuorum. & quæ primo referuntur, vt manduco, bibo, futuo, ſunt primo actiua primi affectualis ordinis: quæ autem ſecundo, ſecundo, vt amo. Non enim amor refertur ad extra niſi quia primo obiectum mouet poteſtatiuum, & ex motione fit iudicium in cognoſcitiuo, & ex hoc affectus erga obiectum in volitiuo; de quibus in Metaph.

DE SECVNDA SPECIE actiuorum ſecundum Grammaticos regulæ correctio.

VErba actiua ſecũdi ordinis apud Grammaticos ſunt quæ ſpectant ad iudicium aut ad commertium operatiui principij, & propterea exigunt agentem perſonam in nominatiuo, rem patientem in accuſatiuo: additurque tertius caſus ablatiuus, quando nominatur pretium, aut crimen de quo fit iudicium, aut commercium; vt ego accuſo te crimine furti, & emo librum carolino. Nunquam autem ponitur genitiuus niſi præ intellecto ablatiuo rei ſe habentis quaſi inſtrumentaliter.

DECLARATIO.

GRammatici faciunt ſecundam actiuorum ſpeciem: quæ exigat nominatiuum agentis rei, & accuſatiuũ patientis, & genitiuum pro tertio caſu, ſignificante rem qua fit actio & paſſio ipſorum. Sed reuera falluntur. Non enim accuſo, reprehendo, inſimulo, moneo, volunt genitiuum. Nam cum dico, accuſo te furti, moneo te do-

loris intelligitur crimine seu culpa furti, & passione doloris: omnis enim actio edita in alterum habet instrumentum aut modum quo fit. Dicebamus autem quod causa instrumentalis semper ponitur in ablatiuo, similiter quidquid ad instrumentationem actionis spectat, & ideò dicimus, emo librũ carolenо, vendo pretio magno pretiũ enim nominatũ & instrumentũ, quo fit emptio & venditio vult abl. & cum Grammatici ponunt non nominatum pretium in genitiuo, vt *emo magni, tanti, quanti, pluris, minoris quantilibet*, &c. subintelligitur ly *pretio*, in ablatiuo, id est emo pretio tanti, vbi ly tanti ponitur neutraliter & non adiectiuè, alioquin diceremus tanto, vnde Virgilius. *Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* At quidem Grammatici dicunt *magno* hoc est *pretio magni ponderis*, sed *magno* cum pro ly *pretio*: dicimus enim minori pretio, maiori, paruo, magno, quanto, quantocumque; vt peritis in lingua obuiam est. Similiter dicimus, magni æstimo, magni facio, floccifacio, floccipendo, pilipendo, hoc est pretio magni, pretio flocci & pili. Sed non dicimus *vilispendo*, sed *vilipendo*; quoniam in neutrum non transit ly *vilis*; vt aliqua pretium connotantia.

Verba iudicialia, & commertium connotantia.

VErba significantia iudicium, sunt accuso, postulo, accerso, defendo, reprehendo, increpo, admoneo, punio, damno, absoluo, castigo, insimulo, arguo, conuinco, incuso, mulcto. Commercium verò, emo, vendo, venundo, veneo, mercor, & deriuata, compositaque ex his.

DE TERTIA SPECIE *ordinis actiuorum significantium applicationem, regula & correctio.*

VErba tertiæ speciei actiuorum post nominatiuum agentis & accusatiuum patientis, exigunt datiuum rei illius, cuius vsui applicatur actus: semper enim se habet vt finis vsualis actionis siue in bonum, siue in malum quidquid ponitur in datiuo, vt emo tibi librum: do Petro diploidem: scribo tibi epistolam.

DECLARATIO.

CAusa ob quã datiuum exigitur in hac regula primariò, est quia finis, cui applicatur, vsus actionis & actæ rei datiuum exigit: vt dicebamus loquendo de causis, & propterea verba ista possunt vocari applicantia.

De verborum tertiæ speciei multiplicitate.

VErborum fini actionem applicantium, quædam sunt potestatiui operantis, vt do, promitto, præficio, impero, subiicio, mitto, impartio, admoueo; & sua composita & deriuatiua, vt æquipollentia.

Quædam spectant ad cognoscitiuum, vt declaro, ostendo, monstro, scribo, dico, fero affirmo, nego, suadeo, & sua æquipollentia & composita & deriuatiua.

Quædam spectant ad volitiuum, vt commodo, soluo, arrogo, concilio, & consimilia apud auores notanda.

Exigunt verba præfata etiam ablatiuum cum prepositione pro, quando motiuum finalis causæ vsualis connotatur, vt *soluo tibi pecuniam pro libro*, & do tibi panem pro cibo.

Exigunt etiam accusatiuum cum præpositione *ad*, quando applicatio vsus actionis in longum trahitur; vt destino, scribo & mitto literas *ad te*, nedum, *tibi*.

ADNOTATIO.

QVamquam iſta ſint verba apud Grammaticos datiuum exigentia, nihilominus omnia verba poſſunt datiuum habere, quando actionem & actum, & paſſionem cum applicatione conſignificamus, vt tibi eſt pecunia, emo tibi ſolium, doceo tibi filium Grammaticam: ſpolio tibi auem pennis: perſequor tibi inimicum. Gratulor tibi pro magiſtratu;&ſimiliter ly *pro* poteſt in omni verbo apponi cum motiuum applicationis, vel ſimilitudinem circum loquimur, vt *mitto ad te pro libris*, & habeo dolorem pro voluptate.

DE QVARTA SPECIE actiuorum ſignificantium dupliciter actionem; regula & correctio.

VErba quartæ ſpeciei actiuorum ſignificant actionem vnam cum duplici paſſione propterea exigunt poſt ſe duos accuſatiuos: vt *ego doceo te Grammaticam.* Actio enim cadit in te, & in Grammaticam: in te *terminatiuè*: in Grammaticam *fluxiuè*.

DECALRATIO.

HÆc regula declaratione non indiget, ſed animaduerſione: quod propterea accuſatiui duo ſubſequuntur, quoniam actio in duo exprimitur: in receptiuum videlicet paſſionis, & in id quod fluit in actione ab agente in recipientem. Hoc autem in Metaph. melius inlligimus. Actio enim docentis fert Grammaticam, vt patiens, & qui docetur accipit eam, vt terminus huiuſmodi lationis.

Quæ verba spectant ad hanc speciem.

VErba significantia hanc duplicem actionis differentiam sunt doceo, moneo, postulo, oro consulo, cælo, & omnia composita & æquipollentia, & deriuatiua istorum. & vt plurimum ad cognoscitiuum videntur, spectare: sunt etiam aliqua, quæ ad habitum exteriorem spectant, vt vestio, induo, exuo: quæ volunt duos accusatiuos.

Sed cum res, qua vestimus, sumitur instrumentaliter, ponitur in ablatiuo, & spectant ad quintam speciem, vt *vestio, & exuo te pannis.*

Et cum non ponitur animatus accusatiuus vt patientis rei, sed vt cui applicatio fit ponitur in datiuo, vt *consulo & cælo tibi hanc rem.*

DE QVINTA SPECIE actiuorum significantium actionem, & passionem, & id quo fit actio.

QVintæ speciei verba actiua significant actionem in aliquod patiens, & simul id, quo exercetur actio, & propterea ponitur ablatiuum post accusatiuum sine præpositione, vt ego spolio te pannis; &, onero libris; &, impelo doctrina.

DECLARATIO.

ETiam in hac regula Grammaticorum priscorum aperitur ratio, cur in ablatiuo ponitur id, quod non est agens neque patiens: quia videlicet inducit rationem instrumenti, & modi, & formæ.

Quæ verba sunt quintæ speciei.

OMnia verba, in quibus post patientem rem, addunt modum aut formam, aut instrmentum actionis

vel passionis, pertinent ad quintam speciem. Quapropter quæcumque posita sunt in secunda specie, spectant etiam ad quintam.

Sunt autem verba quintæ principaliter, vestio & spolio, & omnia æquipolentia eorum; item impleo & euacuo cum suis æquipollentibus. Item iuro, & lædo, & ipsorum æquipollentia. Similiter augeo & minuo, cum suis asseclis, purgo & inquino, cum suis consimilibus.

Secundario autem spectant ad hanc regulam omnia verba cuiuscunque speciei & ordinis, quando exprimunt modum aut formam aut instrumentum actionis, vel passionis, vt scribo librum penna; afficio te gaudio, planto vineam palo: Munio & expugno vrbem armis: mitigo & irrito te verbis, seruio tibi gladio, &c.

DE SEXTA SPECIE actiuorum, significantium actionem passionisque illationem, cum principio & causa, vnde habetur, tanquam inde habitam.

VErba sextæ speciei significant actionem, & id à quo causa vel occasio, vel principium actionis est; & propterea post accusatiuum exigit ablatiuum cum præpositione *à*, vel *ab*, vel *è*, vt ego audio lectionem *à magistro.*

DECLARATIO.

QVoniam causa agens, excepto Deo, occasionem, vel vim suæ causationis aliunde accipit: propterea illud quod est occasio, vel principium, vel causa causationis in alio, ponitur in ablatiuo cum *ab.* Nota sanè principiationis, vt dictum est in regulis communibus ex Metaphy. ratione vt disco Grammaticam *à* magistro: est enim magister causa incipio domum *à* fundamento: est enim

enim fundamentum principium : & haurio aquam à puteo : quatenus eſt cauſa contentiua aquæ. Sed vt etiam materialis, dicimus *de puteo*; & *de mari*, Sed vt etiam elementaris, dicimus etiam *è* & *ex* puteo, & vt eſt occaſionalis dicimus Agamemnon bellum conflauit *ex rapta* Helenæ.

Verba ſextæ ſpeciei.

AD hanc ſpeciem principaliter pertinent omnia verba ſignificantia præter actionem & paſſionem , id, à quo habemus occaſionem, vel cauſationem, vel principiationem actionis. vt audio intelligo , & conſimilia: vt oblacio , guſto, lego , item haurio , fero, moueo , diuido, pello ,rapio, abdico, habeo, capio, eiicio.

Præterea ſecundario ſunt huius regulæ omnia verba, in quibus adiicitur poſt actionis & paſſionis rem, etiam res cauſationem conferens , vnde dicimus , *metuo tibi malum à Tyranno* , & emo librum| decato à librario , cupio *abs te* emolumentu. Remoueo librum à menſa manibus.

De ſeptima ſpecie verborum exigentium infinitiuum pro accuſatiuo.

SEptimam regulam addunt eorum verborum; quæ loco patientis habet infinitum verbum, vt ſpero, cupio, ſcio , volo, debeo ire Romam , legere lectionem : & hæc omnia ſignificant actum animæ immanentem à quo tranſiens oritur alius actus ; & idcirco ponitur ille loco actus, iſte loco effectus , & propterea omne verbum poteſt ad hanc regulam pertinere , quoniam actus actum infert, vt *bonum eſt ſcire* , *volo legere.*

NOTANDVM.

OMnia verba ad primalitates Metaphyſicas ſpectantia quæ ſunt potentia, ſapientia & amor, ſunt prima-

rio ſpectantia ad hanc regulam, quoniam ex eis oriuntur actus intranei, & ex his extenſiones ad obiecta: qui ſunt etiam actus, vt volo ambulare, vbi ly *volo* actum internum amoris dicit, & *ambulare* actum externum ex illo.

Præterea omnia verba ad obiecta primalitatum ſpectantia, ſimiliter infinitiuum habent pro accuſatiuo: ſunt autem obiecta, *poſsibile verum* & *bonum*, & ſua ęquipollentia, vt poſſibile eſt, verum eſt, bonum eſt ambulare, & ſua oppoſita, vt *impoſ: falſum: malum*.

Cætera autem verba poſſunt habere infinitum, vt facio te currere. Sed quatenus ſimul & agentem rem habent loco patientis, vt doceo te ſcribere.

De paſsiuorum verborum regula.

Art. VI.

OMnia verba habentia literaturam & ſenſum actiuũ, fiunt paſſiuæ literaturæ per additionem r, cum ſuis declinationibus: & exigunt rem patientem in nominatiuo, quoniam refertur vt habens actum; & agentem in ablatiuo cum præpoſitione. cauſam actiuam, notante, quę, eſt A, ab, abs, quoniam agens non vt agens, ſed vt à quo emanat paſſio repræſentatur.

DECLARATIO.

DIctum eſt prius, quod cauſa poſita in actu agendi, nominatiuum exigit & rectum: quoniam hic ſignificat editionem actionis, ad autem quod patitur, accuſatiuum: quoniam in ipſum fertur actus Nunc autem dicimus, quod cum patiens ponitur vt recipiens actum, exigit rectum, agens verò quoniam tunc ponitur vt à quo eſt actus, ponitur in ablatiuo cum *A*, vel *ab*, deſignantibus cauſalitatem. Et quidem dicimus omnia verba actiua ſecundũ & vocem fieri paſſiua, vt amo, accuſo, do, doceo, audio, ſpolio: ex iis enim fit amor, accuſor, doceor,

donor, audior, ſpolior, ſperor. At quæ ſolum ſenſu ſunt actiua non fiunt paſſiua, vt ſequor, auxilior, & deponentia vocata latinis: tamen in lingua vernacula fiunt vtique paſſiua. Similiter quæ voce ſunt actiua, ſed non re, vt gaudeo, vapulo, abundo, ſeruio, & alia neutra vocata Grammaticis, non fiunt paſſiua: diximus enim quod litteraturam, & realitatem actiuam habentia, vertuntur in paſſiuam.

Conſideratio de aliis caſibus paſsiuorum.

VErba actiua verſa in paſſiua præter nominatiuum patientis rei, & ablatiuum agentis, quoſcumque caſus recipiunt, non mutant, ſed retinent, vti quando erant actiua.

EXCEPIO.

ALiquando verba paſsiua ponunt agentem rem in datiuo: vt *Platoni* hoc dogma poſitum eſt, ideſt à *Platone*. Aliquando in accuſatiuo appoſita præpoſitione *per*, vt res agitur per eoſdem creditores. Sed in his datiuus ponitur ſolus, cum agens cauſa eſt ſimul illa, cui fit applicatio. Accuſatiuum verò cum agens ponitur tanquam inſtrumentum vt in præfatis patet exemplis. Aliquando ponitur ablatiuum ſine præpoſitione, verba maximè autem præpoſitio, verbo adſciſcitur.

De verbis vocatis neutro paſsiuis.
Art. VII.

SVnt quædam verba apud latinos vocata neutro-paſſua, quoniam habent literaturam non paſſiuam, vt vapulo, exulo, liceo, veneo, quæ exigunt caſus conſimilium paſsiuorum: vt *diſcipuli vapulant à magiſtro.*

DECLARATIO.

SEcundum rem non sunt à passiuorum numero explodenda verba hæc, quam vis pas iuam literaturam non habeant: non enim vox facit pasſionem, sed significatio. Consimilia veneo & liceo, sunt vendor: vapulo verberor: exulo, releger.

APPENDIX.

FIo etiam dicitur neutro pasſiuum apud Grammaticos, quoniam verè pasſiuum secundum rem est, si minus, secundum vocem. Addunt etiam fido, confido, & nubo, audeo, soleo: quæ potius actionem vt actum designant: & exigunt casus, applicationi, eo respectu requisitos.

De verbis, vocatis neutris.

Art. VIII.

VErba dicuntur neutra, quę nec actionem nec pasſionem significant apud Grammaticos. Sed non propterea neutra dicenda erant, cum & actum essendi & existendi dicant, & si non agendi nec patiendi, vt *sum, & sto, & maneo &c.*

Correctio Grammaticorum.

VErborum propriè neutra dici debent, quæ actum actuatiuum modo significant; & sunt pertinentia ad potestatiuum, ad conscitiuum & ad volitiuum, de quibus diximus supra. Quapropter possum, & scio, & gaudeo cum suis asseclis, sunt verè actuatiua seu neutra de quibus supra.

Prima regula Grammaticorum de neutris spectat ad

verba, essendi actum significantia, & existendi.

Secunda, quæ est, egeo, abundo, careo, pertinet ad actuatiua proprie.

Tertia quę est, seruio, prosum, noceo, desum, & alia, quæ applicationem significant actus ad aliquid, spectant ad actionem sine passione explicatam, sed cum applicatione ad illud in cuius gratiam fit; vt seruio regi, confido tibi, noceo filiis, &c. quæ verba actionem significant. Sed non formant passiuum, quoniam non dicunt Rex seruitur à me: sed Regi seruitur, quoniam tacetur patiens, & propterea, impersonaliter solum fit passiuum.

Quarta regula de rebus pertinentibus ad Agriculturam actus explicantia, sunt verè actiua, quoniam etiam patiens exponunt, & propterea fiunt passiua omnino, vt aro, & aror.

Quinta quæ tertias personas habent singularis, tantū propterea, quod solus Deus potest illos edere actus, potius ad Theologos quam ad Grammaticos spectans, non ritè declaratur. Cum enim dico, Tonat, ningit, pluit, lucescit, grandinat, advesperascit, non solum Deus intelligitur; sed etiam tempus, diluculat enim sole tempus: ad vesperascit tenebris tempus: item subauditur natura apud philosophos, item nec regula est certa propter hanc rationem. Nam est creare solius Dei: nihilominus creo habet omnes personas: item rorare est sicut pluere: in scripturis autem dicitur, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum*, ergo regula ipsorum est fallax. Sed vsus, & id, quod subauditur consulendi sunt.

Sexta regula vbi affectiones animi & corporum celebrantur habens verba, gaudeo, doleo, vireo, albeo, caleo, frigeo, tumeo, areo, conualeo, ægroto, & cætera huiusmodi, pertinent ad actuantium, speciem: de quibus supra.

De verbis significantibus motum.

VErba significantia motum exigunt nominatiuũ, rei edentis motum, & post se nullum casum, quando non passionem, sed respectus locales adducunt, sed præpositiones exigentes casum.

Quot sunt significantia motum, & eiusmodi.

OMnis motus est ex termino à quo ad terminum ad quem per medium, idcirco triplicis speciei sunt verba motiua, vt discedo *de foro*, transeo *per viam*, venio *in templum*: hæc enim significant motum de loco, & motum per locum, & motum ad locum. Quæcumque verba iis adiunguntur, sunt eiusdem significationis, item idem verbum potest tres istos actus connotare, vt, de vinea per viridarium eo in ciuitatem.

Verba deponentia sunt: eiusdem generis motiui plurima, quæ ad hanc regulam pertinent, vt gradior, transgredior, proficiscor, &c.

Quomodo omnia verba reducuntur ad præsentem regulam.

PRæterea omnia verba quatenus significant motum, possunt esse huius regulæ, dicimus enim scribo ad Pontificem, & de Pontifice, & per discipulum; quatenus enim significant terminum ad quem, aut medium, aut id, de quo fit actus, siue illud sit vt terminus, siuè vt materia, de qua quoniam termini à quo est connotatiua, similiter exigunt casus cum præpositionibus consimilibus, vt de albo paries vertitur in nigrum per atramentum Quapropter & actiua & passiua, & omnia verba ad hanc re-

gulam trahuntur per reſpectus conſequentes actum: vt plurimum autem quæ de ſe ſignificant mutationem & motum.

De verbis, vocatis communibus.

Art. IX.

VOcant Grammatici verba communia, quæ literaturam habent paſſiuam, & poſſunt fieri actiuè & paſſiuè conſtrui cum caſibus, vt largior, amplector, veneror, experior, percuntor, oſculor, criminor, hortor; vt *hortor te*, & *hortor à te*.

Hæc ſic apud latinos ex vſu: nam in idiomatibus aliis non item.

De deponentibus verbis.

Art. X.

DIcuntur apud latinorum deponentia quæ habent literaturam paſſiuam & ſignificationem actiuam, ac proinde actiuè conſtruuntur, nec tamen omnia ſignificant actionem.

1 Sed quædam actuationem, & propterea volunt poſt ſe ablatiuum, vt vtor, fruor, potior, veſcor, & conſimilia.

2 Quædam ſignificant actum cum re non de qua, ſed cuius eſt actus, egrediens ab intellectu, vt recordor, obliuiſcor, reminiſco: quæ propterea exigunt genitiuum.

3 Quædam ſignificant actum cum applicatione, & propterea poſt ſe datiuum volunt, vt auxilior, ſuffragor, medicor, minor, iraſcor.

4 Quædam ſignificant actionem & id quod patitur: & propterea exigunt deinde accuſatiuum, vt ſequor, moderor, cõminiſcor, loquor, profiteor, inficior, tutor, minor, præſtolor, fateor, & cætera multa, quorum quædam verè actionem, quædam per modum actionis ſignificant.

5 Quædam verò passiones & affectiones significant, & propterea ablatiuum exigunt, vt lætor, tristor, stomachor, verecundor, expergiscor, indignor, morior: & alia, quæ alios casus exigunt, prout actus refertur, iuxta regulas datas de casibus causarum, & causationum.

Quædam quoniam significant motum vel per modum motus, exigunt casus cum præpositionibus connotantibus de loco ad locum & per locum vel cum alio, vel contra aliud, vel circa aliud, vt gradior, prælior, iocor, luctor, apicor, nascor, philosophor, versor negotior, hallucinor cauillor, auguror, & similia, quæ apud Grammaticos enumerantur: quæ ex præpositionis natura quos casus exigunt commonstrant.

Ratio regularum constructionis verborum impersonalium.

CAP. V. Art. I.

IMpersonalium actiuæ vocis primus ordo construit *est*, *interest*, *& refert*, genitiuo & infinitiuo, vt *Petri* est vel interest, vel refert scribere ad vos. Infinitiuum verò regit casum ex præscriptis regulis sibi debitum.

Ratio regulæ est, quoniam verba sunt personalia de sui natura. Sed cum additur loco personæ, patientis vel agentis aliquis actus per verbum infinitiuæ facultatis, id-est, inde terminatæ coniunctionis expressus, necessariò ille actus est personæ tertiæ, & propterea omnia impersonalia habere dicuntur solum tertias personas loco omnium personarum.

Manifestum est enim quod quando ponitur nomen & non actus per verbum infinitum, fiunt personalia, dicimus enim *Petri intersunt libri* vel nos Petri intersumus: non autem dicam, *referimus* ob aliam causam.

Quare autem postulent genitiuum, non intelligit nisi quasi

qui alium casum subintelligit ex parte verbi vel nominis siquidem *Refert* idem est ac *Reifert*: & propterea dicimus Petri refert scribere, idest, res Petri fert scribere, *interest* vero idem significat ac in re est: & propterea dicimus Petri interest, idest, *in re Petri est* scribere. Qui autem ly *inter* considerant non in sua origine, & accusatiuum ei addunt, subintelligunt Petri interest, hoc est *inter res Petri est*.

Probatur autem ratio data; quoniam ego. tu, sui, nos, & vos, & cuius, non ponuntur in genitiuo, sed in ablatiuo fœminino singulari; vt mea, tua, sua, nostra, vestra, & cuia refert, seu interest, hoc est *in re mea est*, *in tua est*, *&c.* vel forsan in nominatiuo cum *Refert*, vt mea refert, idest *res mea fert*, res tua fert, in accusatiuo neutro plurali vt mea interest, hoc est *inter mea est*.

Et propterea est vult nominatiuum neutrale vt meum est, tuum est scribere, cum pronomina primitiua ponuntur deriuatiuè.

De secundo ordine impersonalium.

IN secundo ordine ponuntur pertinet, attinet & spectat cum accusatiuo & præpositione *Ad* & infinitiuo, loco nominatiui, vt ad me spectat scribere: at si nominatiuum adest sunt personalia, vt ad me pertinent libri: vt intelligas ex infinitiuo, quoniam indeterminatum subiunctiuum est, de pondere indeterminationem personæ: & propterea fieri impersonalia. Hæc tria verba ad potestatiuum reducuntur. Nam attinet ex *Ad* & *tenet* componitur: pertinet ex per & *tenet*: quoniam possessio rei est ad herum & per herum: spectat verò *a spicio*, quando quod alicuius est ad ipsum conuersionem habet, siuè sit per potestatiuum, vt possessio, siuè per cognoscitiuum, vt ad spectus. siue per volitiuum, vt amatum, & quæsitum.

De tertio ordine imperſonalium.

TErtius ordo ſimiliter fit imperſonalis ex infinitiuo ſubſequente: quoniam continet verba quæ ſignificãt applicationem actus indeterminati: & propterea vult datiuum cum infinito; vt *mihi placet legere*; & contingit mihi gaudere: ſed vbi adſunt nomina fiunt perſonalia, vt *mihi placent libri*, dolent dentes. & omne verbum ſignificans applicationem vſus, eſt huius ordinis: vel reducitur ad hunc.

De *quarto ordine imperſonalium.*

QVartus ordo imperſonalium eſt de prima actiuorum, exigit enim accuſatiuum cum infinito loco nominatiui, vt *me delectat ſtudere*: & decet ſcribere, iuuat currere: at ſi apponas nominatiuum ſunt perſonalia, vt *me decent virtutes*, in cunctis ergo currit eadem ratio.

De quinto ordine imperſonalium.

QVintus ordo conſtruitur cum accuſatiuo & infinito ſimiliter, vt pœnitet, pudet, tædet, miſeret, oportet: etenim ſignificat paſſionem illatam ab obiecto; quod ſi eſt actus, habet ſe loco nominatiui, vt *me tædet ſtudere*. At ſi eſt res, ponitur cum genitiuo, vt *me tædit ſtudii*: & quidẽ hoc genitiuum regitur ab actu, vel ab alio ſub intellecto nomine, quando ego dico, me pœnitet peccatorũ, ſubauditur actus pecati; & me tędet ſtudij, ſubauditur exercitiũ ſtudij, & me miſeret infirmorum, ſubauditur officio infirmorum: nunquam enim ponitur genitiuus niſi quid præ intelligatur ipſius, vel vt ſæpe probatum eſt in regulis prioribus: vt videas omnia verba imperſonalia eſſe perſonalia, & pertinere ad eſſendum, vel actuandum, vel agendum, vel patiendum, & nihil vltra: & quidem ad actua.

tionem affectionum ſpectant verba quinti ordinis: Sed tranſeunt in naturam actiuorum, dum obiecta conſiderantur, quatenus afficiunt facultates mouentque.

De imperſonalibus Paſsiuis.

Art. II.

IMperſonalia paſſiuæ vocis exigunt ablatiuum agentis cauſæ ſicut cætera paſſiua: & poſt ſe non addunt nominatiuum, alioquin fierent perſonalia; ſed quemcumque alium caſum, dummodo paſſionis non receptiuum, ſed vſus, aut applicationis, aut circunſtantiæ, vt *a me ſeruitur Regi*, itur in ſiluam: & propterea fiunt ex verbis actiuis, & neutris applicatiuis & motiuis, & exiſtentialibus, vt *nocetur, ambulatur, ſtatur*, non autem dicimus *gaudetur*, aut *metalleſcitur*: quoniam iſtorum paſſio non tranſit: nec eſt plenè paſſio: ſed immanet, & eſt quaſi actus actuans verba deponentia licet ſecundum rem poſſint eſſe imperſonalia paſſiua, vt patet intuenti omnes linguas, tamen apud Latinos non fiunt ob vocis & literaturę impedimentum.

De imperſonalibus neutris.

Art. III.

BEne fit, malefit, ſatisfit, dicuntur imperſonalia neutra, quoniam neç cum actiuis nec cum paſſiuis videntur numerari apud Latinos, ſed cum neutris: & tamen ſecundum rem verè paſſiua ſunt, licet non ſecundum vocem, & quoniam applicationem connotant, exigunt datiuum, vt *a me benefit egenis*, ratio ex dictis patet: in aliis omnia imperſonalia fiunt paſſiua, non autem neutra.

De verbis seruilibus.

CAP. VI.

SEruilia autem verba non sunt personalia nec impersonalia, quoniam induunt naturam eorum, quibus adduntur ad infinitiuum: sunt autem hæc, incipio, desino, soleo, possum, debeo, dicimus enim, *ego debeo pænitentiam agere*: & *me debet pænitere*. Ratio est quoniam verba ista non significant actus plenos, sed aliorum actuum aliquid, videlicet principium, aut finem, aut morem, & propterea illorum actuum naturam sequuntur: dicimus enim: ego incipio legere, quoniam actus, qui est *legere* aliquid est eius inceptio: & propterea ad naturam eius trahitur. Sed deinde dicimus *a me incipit amare*: & *me incipit pœnitere* &c. iuxta morem infinitorum, propterea quod aliorum actuum sunt actus.

Sed si actus seruilis est plenus non transit in naturam infiniti: non enim dicimus, *me vult tædere*, sed *ego volo me tædere*, dicimus me potest tædere, ob imperfectionem actus potendi: sed non dicimus, me valet tædere, ob plenitudinem actus valentis; qui non alienatura se in alium.

De infinitiuis.

Art. II.

PRopterea infinitiua volunt ante se accusatiuum, quoniam reguntur ab alio verbo: cuius actum excipiunt tanquam cadentem in se, vt in personam patientem; etiam si non sit patiens, vt *certum est me amare*; vbi actus certitudinis cadit super me amantem.

Quando verbum aliquod caret præterito vel futuro infinito, resoluitur per ly *vt*, aut *quod*, in subiũctiuum, quoniam vterque est modus coniunctus tribus primis tem-

porum rationibus, hic determinatè, infinitus verò indeterminatè, vt dictum est prius.

De Gerundiis.

Art. III.

GErundia reguntur à nomine substantiuo, & sic sunt genitiui casus: aut à præpositione *Ad*, & hic accusatiui: aut *in*, vel *pro* vel *de*, & sic ablatiui, per se autem nihil sunt nisi participium verbi nominisque, & aliquando sumuntur adiectiuè, aliquando substantiuè exiguntque casus suorum verborum, & cum sine præpositione dicimus, *tu studendo fis doctus*; ponitur instrumentaliter, aut formaliter in ablatiuo.

De supinis.

Art. IV.

SVpina etiam sunt participiorum res, sed indeterminatorum, more infinitiui, & propterea reguntur ab alio nomine & verbo tam actiua, vt *eo amatum*; quàm passiua, vt *mirabile dictu.*

De participiis.

Art. V.

SEx sunt participia secundum rem, tria passiua vt amabile, amatum, & amandum, & tria actiua vt amatiuum, amans & amaturus. *Amabile* enim est quod potest amari & refertur ad amatiuum: quod potest amare. *Amatum* est quod actu amatur, & refertur ad amans actu. *Amandum* est quod amabitur, aut debet amari, & refertur ad amaturum, id est ad eum qui amabit, vel est vt amet. Quicumque aliter refert, fallitur.

Declaratio & correctio.

GRammatici non agnoscunt amabile & amatiuum, ædificabile & ædificatiuum inter participia: & falluntur: hęc enim partem capiunt à nomine & partem à verbo: & regunt casus suorum verborum: dicimus enim *hoc est amabile à te.* Sed *amatiuum* non dicitur cum accusatiuo quoniam de nomine plus sapit quā de verbo, nam &

ly *amans* cum ſumitur nominaliter exigit genitiuum, non accuſatiuum, vt Petrus eſt *amans tui*, ſed etiam aliis participiis accidit. Participium autem futuri paſsiui tranſit, in gerundium ex præpoſitionibus & ſubſtantiuo ſubſequente nomine.

Hinc videmus quod quoniam à re egreditur actus idcirco à nomine egreditur verbum, vt ab *amore amor*, à patre patrizo, & deinde ab vtriſque participium, quando res cum ſuo actu concipitur ſimul, & à participiis gerundia & ſupina, & infinita præteriti & futuri, quidquid Grammatici non animaduertentes aliter docent.

NOTAMEN.

SVnt verba neutro paſſiua triplici actiuo participio inſignita, vt *cœnans, cœnatus, cœnaturus*: & duobus paſsiuis, vt *cœnatus* & *cœnandus*, vnde apparet quod actiuum præteritnm deeſt plurimis verbis, ſicut paſsiuum prȩſens aliis multis. Quæ aut horum paſſiua non fiunt, primis tribus ſunt contenta, vt *placens, placitus, & placiturus, ſolens, ſolitus, & ſoliturus*, quomodo autem agnoſcuntur ex natura actus paſsionis, & actionis, & actuationis, & exiſtentię nouerimus, vt ſupra.

De ratione comparatiuorum & ſuperlatiuorum.

CAP. VII. Art. I.

COmparatiua propterea exigunt ablatiuum, quod id, ad quod comparatur, ſe habet, vt inſtrumentum & forma, & menſura: vt tu es *doctior Petro*. Si autem ponatur ly quam cum nominatiuo, vt es *doctior quam Petrus*, ſubintelligitur verbum ſubſtantiale, *videlicet, doctior quam eſt Petrus.*

Art. II.

SVperlatiua verò exigunt genitiumm pluralis numeri, vel rei pluralitatem includentis, vt *tu es doctiſsimus Romanorum* vel *gentis Romanæ*, quoniam ſuperlatio non

refertur nisi ad numerum. Sed si dicas, *fortissimus super Romanos*, tunc superlationis actus bene exercetur per præpositionem circunstantialem, vt dictum est, cum de præpositionibus ageremus.

De ratione participiorum, vniuersalium, particularium & patronimicorum.
Art. III.

QVidquid Grammatici dicunt de nominibus partitiuis & vniuersalibus, pertinet ad doctrinam de pronominibus: omnia enim hæc sunt pronomina loco propriorum nominum posita. Similiter & patronimica, vt dictum est ibi, sunt pronomina gentilitia, vt *priamides*, *cesarianus*, *dominicanus*, quæ aliquando absque substantiuo intellecto nominum rationem habent adiectiuorum, sicut suo in loco dictum est. Ratio denominationis istorum ex Grammaticorum vsu agnoscenda est.

Ratio, qua genitiuum aut ablatiuum cum præpositione exigunt, patet ex regulis communibus: dicimus enim *quis vestrum*, & *quis est vobis*, quoniam de numero vnum vel vnos subaudimus.

De figuris. CAP. VIII.

FIgurarum alia constructionis, alia verborum, alia sententiarum.

De Figuris verborum & sententiarum diximus in poëtica, Rhetorica; ad has enim artes pertinent.

Figura constructionis propria Grammaticorum est cum à communi consuetudine loquendi rationabiliter discedunt.

Sunt autem octo, *synthesis*, *prolepsis*, *antiptosis enallage*, *euocatio*, *zeugma*, *syllepsis*, & *appositio*.

1 Synthesis respectu rei & non vocis fit vt *turba ruunt*, & *gens albi*: pro *turba ruit* & *gens alba*: vt *nescio quid absente nobis turbatum emidomi*. In lingua vulgari plurima est hæc figura, nam pro *tu* ponitur *voi* & *vosignoria*.

2 Prolepsis cum totum in partibus præsumitur, vt *discipuli student: alius philosophiæ, alius Grammaticæ*. s. studet.

3 Antiptosis ponit casum pro casu eleganter vt *Eunuchum, quem dedisti nobis quas turbas dedit*. Elegantius aut præponitur relatiuū vt, *quem dedisti eunuchum, quas turbas dedit*. Et quidem dum actus passionis respicitur plusquam actionis ponitur in accusatiuo totum nomen cum pronomine. Similiter *quorum eges librorum, do tibi*, actus enim egendi plus ad se trahit quam dandi.

4 Ellanismus est quidam Gręcorū loquendi modus: sed tamen apud nos *specificatio* dici posset & fit cum adiectiuum prædicati copulatur subiecto substantialiter, & prędicati substantiuum ponitur in ablatiuo vel accusatiuo, vt *tu es albus dentes, vel dentibus*, hoc est *habes dentes albos* actiuè; vel *es dentibus albis*, tanquam instrumentalī, aut formali prædicato, specificat enim id quo tu es talis siuè formaliter siuè instrumentaliter, siue partialiter: dicimus enim *accinctus ensem, decoratus literis, &c.*

5 Euocatio est cum pronomen tacetur, & eius locum supplet nomen, vt *troes rezamus*, pro *nos troes*.

6 Zeugma est cum vnum verbum vel adiectiuum seruit pluribus, vt *Pœni & Hannibal crudelis est*: vbi ly *est* etiam ly *sunt* vicem gerit. Similiter & *pater & filij sunt digni*, vbi ly *digni* etiam ly *dignus*, locum habet.

7 Syllepsis est, quando singularis numerus comprehenditur à plurali tanquam à digniori, vt *Dux & milites præliantur*. vel sexus masculinus comprehendit fœmininum, vt *Rex & Regina iusti sunt*. Aliquando etiam neutrum, vt *herus & mancipium sunt boni*. Sed in inanimatis neutrum concipit masculinum, & fœmininum, vt *ficus ficulnea, & pyrum, sunt bona*, dicimus & *labor, & voluptas sunt corpori vtilia*, idest *vtiles*.

8 Appositio fit quando substantiuo vni aliud apponitur, vt eius declaratiuum in eodem casu, vt, *Effodiuntur opes, irritamenta malorum*. Quando autem non est declaratiuū solet poni in genitiuo, vt suo in loco declarauimus.

FINIS.

THOMÆ CAMPANELLÆ GRAMMATICALIVM, LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

POstquam de locutione locuti ſumus, de Scriptione, & Lectione ſermo debetur. Siquidem Grammatica eſt Ars rectè loquendi, & ſcribendi, & legendi. Triplex ergo illius actus, videlicet, dicere, ſcribere, & legere: licèt primum ſit ſolùm per ſe actus: ſcribere enim & legere eiuſdem accidentia propria.

Definitio ſcriptionis.

CAP. I. Art. I.

VIdetur quidem *ſcribere*, eſſe ipſum *dicere* permanens: *dicere* autem, *ſcribee* tranſiens. Hoc autem ex receptiuo inſtrumentali, non autem principali, accidit. Anima recipit principaliter orationem, tenetque: ſed per aërem, & cartam, vt per inſtrumenta dicentis. Aër autem,

cum ſit tenuis, figuraſque non habeat proprias, recipiatque facilè alienas, non retinet ob ſui inſtabilitatem, propterea ſermo in eo eſt ſcriptio tranſiens. Nec niſi ſemel audiens anima percipere poteſt. Vt autem pluries, certuſque, & obliuioni non obnoxius ſermo fieret; per lapidem, aut lignum, aut aliam quancunque ſolidam, conſtantemque molem, ideoque potentem ſeruare ſermonem, qui in aere euaneſcit, loqui Ægyptius Theuth, ſi Platonis Philebo credimus, adinuenit: licèt ſuccenſeant illi, quòd negligentiæ cauſam ſtudioſis dederit. Lucanus autem Phœnicibus id adſcribit. Philo & Ioſeph ante diluuium Enoch excogitaſſe in duabus columnis, memorant.

DISTINCTIO.

Literæ ergo in ſolido aut inſunt, vt characteres Romanorum in cera: aut extant, vt Typographorum notulæ ferreæ; aut ſunt, vt hac in pagina ex coloris tetri, vel rubri leneatæ ſucco.

De imitatione rerum in dictionibus & ſcriptionibus.

Art. II.

Res in natura poſitæ imitando ideas Diuini intellectus ſunt veræ: *veritas* etenim, ait Aug. *eſt ſui principij ſimilitudo.* Intellectus humanus imitando res; quas percipit, ac proinde intelligendo eas, ſicuti ſunt, verus eſt. Conceptus enim obiecto, vnde concipitur, eſt ſimillimus. Sermo vocalis imitatur conceptiones, ſeu notiones mentis; vt in primo libro, & in Poetica latiùs demonſtramus. Scriptura tandem ſermonem vocalem, proptereaque ſcribendo, eas figuras imitari conuenit; quas exprimendo mentis notiones per inſtrumenta vocalia, ſcilicet, guttur, linguam, palatum, labia, denteſque,

in aere ſpirato figuramus. Hinc Alphabetum elementa vocis explanans inuentum eſt. At varium, atque multiplex apud nationes multas; quoniam imitari idem variis modulis inuenere.

Imitatio per characteres.

Art. III.

ALij quidem vno charactere ſcribunt vocabulum vnum; & hoc dupliciter contingit, vel delineatione imitando, ita vt ver gr. *O*, ſignificet panem & *V*, vinum. Sicut Chinenſibus vſurpatur; ex quibus ille doctior, qui plures characteres ſcit: quoniam plura vocabula & res. Aſcendunt autem characteres quaſi ad octies mille. Alij verò vtuntur figura conſimili, vt Ægyptij, vel ſymbolica; quemadmodum Chaldæi Planetas, & Zodiaci ſigna iis notant animalium figuris, qua in circuli partibus locantur, aut illorum aliquid pingunt, vt pro Tauro cornua Tauri; caudam Leonis pro Leone, &c. Sicut Aſtronomi ipſorum hæredes adhuc vtuntur; quemadmodum Ægyptij myſticè ſcribunt pro Deo, characterem Solis, qui Dei ſtatua eſt; pro vbertate cornucopiam, &c. Alij imitantur particulas vocis indiuiduas: vt Hebræi, Chald i, Latini, Græci, veruntamen charecteres ſcripſerunt parum imitantes. Vocales enim, quæ ſola arteria proferuntur, ſimplici linea ſcribenda eſſent: quod tamen in *O*, & *I*, ſolùm obſeruatur. Hebræi verò rectiùs pro vocalibus punctis, vtuntur; conſonantes autem figuris, quæ ſimiles ſunt inſtrumentis, quibus formantur: vt *M*, quoniam labiis compreſſis formatur, pingendum eſſet figura referente labia duo, *C*, verò, quoniam sũmitate linguæ tangente dentes ſuperiores formatur, charactere id fingente delineandum: ſicut in Poetica docuimus: vbi quomodo cæteri characteres formandi eſſent à linguarum inſtitutoribus, & cui ſignificationi deſeruirent, conſiderauimus.

De numero figurarum.

Art. IV.

CHaracteres tot esse debent, quot sufficiant ad omnẽ expressionem. Ideoque ad viginti octo in primo Libro illos reduximus: quorum viginti duo consonantes, sic dictæ: quoniam instrumentorũ verberantium aerem concursu formantur. Item quoniam coniungi non possunt, nisi per vocales; vt Plato in Sophista putat. Arabes etiam viginti octo habent omnes consonantes pro eorundem sonorum differentiis exprimendis; in quo abundant. Tres autem vocales, quibus tamen vtuntur vt quinque, situ, ordinéque variantibus. Hebræi viginti duas consonantes, siquidem pro vocalibus, punctis vtuntur, variatis quidem modulis decem simplicibus, vt ipsi putant, tribus verò compositis, diphthongorum instar. Nobis autem in Italica lingua hac ratione tot essent diphthongi, quot vocalium copulæ, vt planum est. Galli pluribus diphthongis vtuntur. Græci viginti quatuor habent figuras: quarum septem sunt vocales, quoniam *O*, & *E*, strictè & amplè apud eos, sicut & in nostra vulgari lingua, proferuntur. Nationes excedentes hunc numerum viginti octo, non vidi, nisi Iaponenses, qui quadraginta octo litteras habent; quod equidem inde euenire puto: quoniam consonantes duas conflant in vnam, quemadmodum nos X, pro *S*, & *C*, vtimur. Sic possemus litteras alias duplices facere: vt pro *B*, *L*, sit character vnus: alius pro *B*, *R*, alius pro *C*, *H*, &c. sicuti vtimur *con.* & *rum.* 9. & ꝛ. pro tribus litteris: atque 2 pro duabus &c. Quæ obuia sunt syllabarum varietatem perpendenti: siquidem, vt dictum est in primo libro, aliæ syllabæ constituuntur ex vocali vna, vt *A*, aliæ addunt vocali consonantem, vt *Ab*, aliæ duas, vt *Ba*; aliæ tres, vt *flo*, aliæ quatuor, vt *stro*, aliæ quinque, vt *trans*, aliæ sex, vt *stirps*. Nullibi autẽ plus vna vocali, nisi in diphthongis.

Germanorum verò & Polonorum lingua ſeptem & octo conſonantes vni vocali affigunt. Cuius rationem in Phyſiologia diximus. Non rectè tamen Ariſtoteles ſyllabas poſſe ex ſolis conſonantibus fieri docet; nullum enim ſonum habent, niſi ex vocali, cui adſtant conſonando.

Poſſunt etiam literę per puncta multiplicari: vt Arabes & Hebræi faciunt, vt *P*, cum puncto ſeruiat pro duplici *P*, ſimiliter & vocales: vnicuique ergo regula eſt vſus: Philoſophis autem ratio.

Regula figurandarum literarum Art. V.

DEbent in ſe literæ apparentiam habere elegantem, claram, diſtinctionem ab inuicem perſpicuam. Item occupare modicum ſpatium, nec ſe inuicem impedire. Propterea vocales punctis, & ſitu vtiliores, quàm figuris.

Formoſi characteres Arabici, & miri: ſed protenſi ſpatium multum occupant. Occurrunt puncta huic defectui. Hebraici graues, ſed non adeo diſtincti, nec figuratu faciles: Latini diſtincti, clari: at non ſatis elegantes: Græci, clari, formoſi, exigui, modicum occupantes ſed ex parte complicati. Aliarum nationum Alphabeta conſulantur.

Documentum de poteſtate literarum.

LIteræ Latinæ pro literis tantùm valent: Græcæ pro literis & numeris; *Alpha* enim dicit *A*, & *vnum*: Hebraicæ pro literis, & numeris, & vocabulis: *Aleph* enim ſignificat *A*, & *vnum*, & *principem*; Beth *B*, *duo*, & *domum* &c. Propterea ex literis Rabbini philoſophantur: noſtri vix Anagrammata eliciunt.

De ratione scribendi per vsitatas literas.

CAP. II. Art. I.

QVoniam caremus Alphabeto rationali imitante prorsus instrumenta; nec speramus illud nisi à nouę linguæ conditore; qui vocibus res, & voces characteribus ad amussim imitetur. Vnde facile rebus inspectis ipsis discerent homines duce similitudine, legere, scribereque: donec ergo & linguam, & characteres proprios Philosophis edere non datur. vtendum consuetis in scribendo. Pro quo sequentes dantur canones.

1 Literas claras à propria figura non desciscentes delineabis, vna continuata dimensione; quæ incipiet, vnde faciliùs duci potest per totam calamus.

2 Literas maiusculas & minusculas obseruabis in omni lingua, quamuis Hebræis id non vsurpetur. Maiusculis vteris in principiis orationis, & in omnis periodi principio, & nominum propriorum exor iis. Dicimus propria indiuiduorum præsertim humanorum, & rerum nomen elaturam sortientinm indiuidualem; vt Petrus homo, & Brunellus canis. Item earum rerum, de quibus sermo attexitur, quæcunque sint, erit maiuscula exordiens figura. Cum enim tracto de Sole, aut de Aqua, aut de Iride in Physiologia, dico Sol, Aqua, Iris, in toto tractatu. Nomen autem D E I totum maiusculis pietas scribendum docet.

3 Omnes literæ vnam dictionem componentes, simul ponantur; nec inter eas punctum nec spatium interuenire licebit, ad retinendam signo rei vnitatem. Omne enim ens necessariò vnum est. Dantur in vulgari lingua apud nos, & Arabes literarum copulæ eiusdem vocabuli; at extremæ figuræ præcedentis extensio ad principium consequentis, non inepta, si perspicuitatem lectionis non

interturbat: alioquin fugienda. Rectè Typographi huiusmodi complexus omnes sustulere.

4 Si quando in fine versus non potest terminari dictio, Arabes præcedentem extendunt. Si potest finalis recipere extensiones: sin minus, ampliant medias. Aliæ verò nationes apponunt notulas, quibus absolutam non esse dictionem, signant, vt in nostra scriptione apparet. Vbi præterea notabis, quod vna litera, quę est in fine versus spatium non habet, in quo scribatur, non est ponendo in principio sequentis: sed vel coarctanda cæteris, vel integra syllaba, si tamen non est vnius characteris, asportanda ad sequentis versiculi exordium. Francis tamen contrarius est vsus.

5 Omnes dictiones, & singulæ seorsum ab aliis, non per puncta interposita, sed per spatiola distinguantur, ne confusio sensuum fiat. Spatiola verò inter literas eiusdem dictionis sint æqualia: ne videantur dictiones duæ.

6 Causa breuitatis solent, vbi duplicanda est eadem litera, apponere punctum Hebræi medium in omni consonanti, nos titulum superponimus: sed solùm in *N*, & *M*, duplicationem exigente, & solū super vocalem, aut cæsuram consonanti causa breuitatis. Sed aliter alij ipsa vtuntur. Consulendus est vsus. Nam, *per*, scribimus sic ꝑ: *præ*, p̄, *pro*, ꝓ. Similiter etiam vsus est in dictionibus seruandus. Nam pro dictione literam aliquando scribimus. Siquidem pro enim, scribimus *.n.* pro autem *.a.* vtrique punctatum: pro verò *.v.* consimiliter aliquando paucis literis pro multis, vt pro vniuersaliter, *ūlr.* pro, *quoniam*, qm̄.

7 Est etiam vsus Arabum, vt aliter eamdem literā formēt in principio, aliter in medio, aliter in fine. Nostrates solum *M*, in fine deflectunt: nam pro *m*. vtuntur ʒ, vt *Inquaʒ*.

8 Obseruandum est, ne eadem abbreuiatio aliter alibi significet: si enim confusionem parit: vnde ruditer quidam, loco *per*, & *præ*, vtuntur *p*: & si qui, nouam abbreuiaturam intrudit, perpetuo ea vtatur, semel tamen ita scribat clarè: vt in aliis dictionibus illa prima scriptio sit lumen.

9 Ponendæ etiam ſunt notulæ tonorum, qui dicuntur accentus, vt pronunciatio non aberret. Sunt autem tres, *acutus*, qui acuit, eleuatque ſyllabam: *grauis*, qui deprimit: *circunflexus*, qui componitur ex acuto, & graui. Pluribus abũdant Cocincinenſes, quoniam illis monoſyllaba, ſunt omnia vocabula, & plura ſignificant, pro plurali varietate accentuum. Teſte P. Borro.

10 Ponitur accentus ſuper vocalibus: quoniam vocales ſunt ſyllabarum ſubſtantia, & anima; conſonantes materialiter ſe habent, & accidentaliter quodammodo vel tanquam corpus.

11 Cum aliqua vocalis in fine dictionis cadit per ſynalæpham vtimur in lingua Italica accentu ſurſum retorto. Græcis quoque vſurpatur, Latinis rarò, niſi vbi cadit ſ. ſemiuocalis apud Lucretium, qui dixit, *ſopitu' quiete*: pro *ſopitus*.

Appendix ad 1. *Art. Cap. 1.*

QVÆSTIO.

CHaldæi, Arabes, Hebræi à dextra parte ſcriptionem exarant ad ſiniſtram: Græci, Latini, & alij è contra. Contenditur, vtrum rectius. Antiquitas, authoritaſque ſacræ linguæ fauet illis: iſtis vero Phyſis. Magis enim ſecundùm naturam eſt ab imperfecto & ſiniſtro ad perfectum dextrumque ire. Metaphyſis è contra. Præcedit enim ſemper optimum perfectiſſimum, trahens materialia de imperfecto ad perfectum.

Si mundi poſitionem ſpectes Pythagorico ritu, quem nos, dum ſcribimus, noſtra poſitione imitari debemus: Scriptio enim quidam motus, cœli motum imitans: dextrum eſt polus Boreus: ſiniſtrum Auſtrinus. Et ſic nos, ad Occidentem vultu ſpectante ſcribere oportet. Ergo inciperemus à ſiniſtro ad dextrum, imitantes motum latitudinis, tanquam ſi ex Auſtrali plaga cœpiſſet huiuſmodi motus: ſicuti in Phyſicis putabamus. Qui autem pu-

tat ncepiſſe ſolùm verſus auſtrum moueri ab initio, vti nunc viciſſim mouetur; vtique à dextro incipere ſcriptionem putat. At ſi, quod Moſes in caſtrametatione obſeruat, obſeruemus: dextrum erit Occidens: Ariſtoteli verò Oriens. Et ex his imitatio apta magis. Scriptor enim, longitudinis motum velocem, potiuſque latitudinis obſeruat etiam Lunaris. Propterea ſic ſcribendo, & qui vultum habet ad Auſtrum, ſcribit à dextro ad ſiniſtrum, ideſt ab ortu in occaſum, in ritu Græco & Latino. Et è contra in ritu Chaldaico. Qui ad Boream ſpectat, ab occaſu in Latino, ab ortu in Chaldęo.

Alii conſiderant commoditatem ſcribendi & facilitatem. Quæ melior conſtat à ſiniſtro ad dextrum: quoniam manus à centro circunforentiam fertur, vbi inuenit finem. Attamen poteſt addi tertius & quartus modus: vt ſi ſcribas ab alto & imum paginę, vt in tolo 5. Iohan. Later. Romæ factum vidimus. Et in verſibus ſybillinis & è contra. Hinc noua quęſtio, & conſimilis reſolutio.

De partitione & perſpicuitate per puncta, lineaſque oſtenſa.

Art. II.

IN ſtructura orationis interueniunt puncta: & punctum cum lineola adunca: & lineola illa ſolitaria. Hoc autē inde fit, quoniā oratio triplex: alia ſimplex, vt ego ſcribo: alia compoſita, vt ego ſcribo: dum tu dictas: alia decompoſita vt Epigramma, & Ilias Homeri, oratio Ciceronis pro lege Manilia. Quarum aliæ tribus, aliæ multis, aliæ pluribus & plurimis conſtant periodis. Oratio ſimplex nullum patitur punctum, nec diſtinctionem, niſi vocabulorum per intercapedines paruas: hac vtuntnr Logici, vt, *omnis homo eſt animal rationale.* Oratio compoſita diuiditur in duas coniunctas per copulatiuam notam: vt *Ego dormio, & tu vigilas*, vel per diſiunctiuas: vt, *hodie vel ſere-*

nat, vel ningit: vel per conditionalem: vt, *si veneris ad me, dabo tibi librum*: aut per localem, vt, *vbi thesaurus, ibi & cor*: aut per temporalem, vt, *quando magister legit, discipuli audiunt*: aut per comparatiuum: vt, *fluctus in mari, sicut venti in aere*: aut per causalem: vt, *quoniam non pluit, sterilescunt campi*; aut per relatiuam; vt, *mercatores lucrati sunt multum; qui tamen laborauerunt*. Et horum fit distinctio per lineas commata vocatas.

Oratio decomposita constat ex periodis plurimis: periodus enim fit, cum ex finali puncto, vel exordio in finem orationis perfectæ absque suspensione audientis peruenimus. Ibi punctum facimus: omnes ergo periodi punctis adstringuntur, vt in prima Ciceronis Epistola. *Ego omni officio, ac potiùs pietate erga te, cæteris satisfacio omnibus; mihi ipsi nunquam satisfacio*, &c. At periodus distinguitur per cola & commata apud Ciceronem. Cola sunt partes periodi maiores: quarum quælibet quasi perficit orationem, & in dicto exemplo terminatur in ly *omnibus*. Et horum distinctio nobis fit per puncta duo, aut per lineolam cum puncto. Commata verò sunt partes minores, ex quibus cola conficiuntur, licèt non omnia semper, vt in dicto exemplo.

Vbi postquam dixit *omni officio*, addit, *ac potiùs pietate*, quod distinguitur à priori parte per lineã. Considerandũ est etiam, quod vbi dissidium maius est inter commata, apponendum est punctum cum lineola: vbi minùs, lineola sine puncto. Similiter in diuisione compositorum, aliquando puncto cum linea, vt, *cum magister legit, discipuli audiunt*: aliquando duobus punctis: vt, *Rex castigauit milites: qui fugerunt de prælio*. Hinc est quod ante aduersatiuam ponuntur puncta duo, si non est completa periodus in vno. Quando maximè aduersatur, vt, *Petrus est doctus: sed filius eius ignorans*. Aliquando lineola, vt, *Petrus est doctus quidem, sed non valde*. Similiter ante relatiuam est lineola in modico, vt, *Petrus, qui currit, mouetur*. In multo, sunt puncta, vt supra. Similiter ponitur lineola ante notas copulatiuas, quando copulas stringit: vt, *Petrus currit*

& mouetur, quãdo non multum, puncta, vt, *petrus curru: & sol properat ad occasum.* Aliquando nihil, si validissime copulat, vt, *Petrus eruditus & clarus & nobilis*, sed & &c. idque magis, vbi deest copula, abesto & lineola.

Ponitur etiam punctum, vbi dictio est nota; & significat per vnam literam; vt M. T. Cicero: & D. Francesco: & vbi per plures vt Cic. pro Cicero: & Franc. pro Francisco. Et in his valet consensus scribentium, & ratio breuitatis.

De lect ione.

CAP. III.

Art. I.

Legere autem, est oculis, qu scripta æsunt, colligere in mente, ac mox per linguam collecta iterùm pronunciare. Itaque est circulus, ex *dicere, per scribere, & legere ad ipsum dicere.* Oculns sensus lectionis: auditus dictionis.

1 Qui ergo legit, priùs discat characterum significationes & pronunciationem. Quædã enim cum gutture, vt vocalia: quædam lingua, & palato, vt consonantes, & semiuocales: & quædam labiis, vt mutæ, pronunciantur. Similiter quid valeant puncta, & aspirationes, docendi sunt, qui legere discunt, iuxta primi libri præcepta.

2 Mox quem sonum, quæ vocalis, cum qua consonante, faciat. Vinculum enim consonantium vocalis est. Facilè autem addiscunt, si consonans eundem sonum seruet cum omni vocali. Hinc fit, vt, quoniam caremus altero, C, non possint facilè nostram nationis alienæ linguam, addiscere. Aliter enim pronuncio, C, cum A, & aliter C, cum E, similiter, G, vt notum est. Vnde deriuationes verborum, & casus nominum fallunt: Cum audisset Regis Æthiopię filius, *lego*, pronunciabat, *leghere*,

deriuationem falsam exosus. Et pro *cæco*, *cætio* dicebat, vt C, secundum esset primo simile.

Nos autem hæc non cogitamus, vsu ducti: & quia pueri nostri nesciunt dubitare, sed authoritate trahuntur.

3 Priùs quidem simplicibus syllabis, vt *Ba*, deinde compositis, vt *Bra*, assuescant.

4 Tandem vt dictiones totas pronuncient distinctas, non mixtas cum aliis, prout in copulando dicere, assuefaciendi sunt. Mox enim vsus, vt celeriter legant, præstabit: veluti Citharædi, vbi primùm elementa, & discrimina sonorum, & consonantias calluerint, in eisque assueuerint.

5 Item quomodo pronuncianda interrogatio, quomodo admiratio, & quomodo leuis oratio.

6 Item in periodi fine pausandum.

7 Item distinguant legendo cola & commata, illa magis, ista minùs: vt sensum non confundant, nec dissocient: vtrumque enim vitiosum.

8 Qui autem carmina legunt, carmineis pedibus quasi incedant, nec sensum obscurent metri amore: qui prosas, numeris, qui Philosophica grauiter.

9 Item quæ abbreuiationes sint in vsu, & quomodo enotandæ. Aliæ enim aliis nationibus.

10 Item quibus accentibus sint pronunciandæ syllabæ vltimę, & penultimæ: & monosyllaba in vocalem desinentia: & hoc ad quantitatem syllabarum spectat, ex Artemetrica.

Quæ voces quibus verbis describendis sunt aptæ, in Poëtica inuenies.

Præceptum.

Art. II.

CVm nouam linguam discere legendo cupis: pone seriatim vocabula nota tuę linguę, tot, quot sunt literæ eius, quam addiscis: ita vt primæ literę vocabulorum

iaceant secundum seriem Alphabeti discendi. Dictiones autem tuæ linguæ literis propriis priùs, deinde alienis alternatim exurabis. Tunc enim mira facilitate in vno die quibusque legere addiscet. Cognita enim sunt lumina ignoratorum.

De explicatione sermonum Grammaticali.

CAPVT IV.

1 NOn modo Grammatici videtur officium, tradere rationem rectè loquendi & scribendi & legendi, sed insuper declarandi sermonem siue dictum siue scriptum à quocunque autore.

2 Hoc quidem verum, quoniam omnis Autor Grammaticus primo est, & mox Philosophus Rhetor, Logicus, Poeta, Mathematicus, Historicus, Metaphysicus, Theologus, &c. nemo enim scribit in quacumque scientia, nisi Grammatico & congruo sermone. At plura præsumit Grammatica, Philosophica, quàm ciuilis.

3 At cum omnis scientia propriis quibusdam vtatur vocabulis, quæ apud vulgus alium faciunt sensum, res quoque de quibus tractant ignotæ sunt vulgo, vt in Theolog. & Astron. patet: Propterea non puto Grammatici esse ciuilis omnes sermones enucleare, sed tantum vulgares familiares, qui in epistolis & historiis continentur. Adde etiam in Poetis & Oratoribus. Teste Cic. 1. de orat. Ij enim propius ad vulgi instructionem adcedunt.

4 Nihilominus dicendum, quòd exponere poetas & oratores non satis valent, nisi qui artem poeticam & oratoriam etiam didicere: ergo non puri Grammatici est oratio ipsorum.

5 Plato etiã in cratilo docet impositiones vocabulorum non esse Grammatici, sed sapientissimi Dialectici, idest Metaphysici rerũ inuentoris & scientiarum ordinatoris.

6 Prius enim oportet res scire, ac deinde nomina rebus

scitis imponere: Grammaticus ergo conseruat, enucleat non inuenit nec imponit. Inuentor bombardæ dedit bombardæ nomen, & noui hemispherij Americus Americam dixit: & Iouis pedissequos planetas vocat Galileus Mediceos: non quidem èx rei natura, sed placito humano, sæpeque casu.

7 Nomina quidem debent ab ipsis rebus nominatis exprimi; vt bombarda à bombo ardente huius instrumenti, & lap s à lædendo pedem, & sol quia solus lucet. Sed quoniam rerum essentiæ latent, & proprietates sunt innominatæ, & confusæ: & philosophi rerum inuestigatores coguntur vulgari vti sermone, & Principes ad libitum sine arte imponunt nomina, & à se, & ab euentu, sæpè: non potest certa scientia fieri de ipsorũ impositione nec facta seruari; quamuis in hoc Hebræi sint cæteris tenaciores. Item quoniam quotidie voces torquentur, mutilantur, breuiantur, producuntur, transferuntur, vt ly, Ioannes in Hebræo, dicitur *Iean* Gallicè, Ans Germanicè, Grouanni in Etruria: Ianni in Calabria; Cianni Partenopeis: crescit difficultas.

8 Grammaticus ergo non declarabit quidditates rerum per vocabula signatarum: hæc enim pertinent ad scientias illarum rerum: sed tantummodo vocum significationes, & structuram orationis. Vnde Plato, profanos vocat Grammaticos, qui vocabula Theologorum declarare præsumunt, magis autem si & irridere. Idem S. Greg. &c.

9 Propria autem Grammaticorum declaratio est etymologia, quæ non respicit quidditates, ad quas nomina imponuntur, sed vnde imponuntur. Cicer. 1. Acad. & qua de causa, & à quibus & quando, si potis est.

10 Et quoniam vocabula apud alios Autores aliarum scientiarum & apud vulgus aliis temporibus aliter significant, vt apud Plautum *Aula* erat *Arcula*, & quasi *olla*, apud Virgil. est maxima ædiũ regiarum. Item ius apud Iurisperitos est *lex*, apud Oeconomos est *brodiũ*, vnde vulgo seruis distributio quotidiana dicitur *la ratione*. Quæ Phy-

ficis eſt *pars animæ*, Logicis *argumentatio*, Soloni *lex*, item *hypoſtaſis* Medico eſt *ſedimentum* vrinę: Græcis eſt *ſubſtantia indiuidua*, Theologis *perſona*: perſona autem Comicis eſt *larua* &c. Propterea Grammaticus iſthæc omnia ſcire & declarare debet, & quare alij aliter vtuntur; & confuſionem ſermonis tollere quantum poteſt.

11 Item figuras Grammaticales, etſi poteſt etiam Rhethoricas & poëticas dicet, & conſtructionem orationis, & varios dicendi modos rem eandem, & enucleandi de lingua in linguam: id quod dicitur interpretatio.

12 Vtitur enim Grammaticus etymologia: interpretatione, deſcriptione, & definitione aliquando, ſiue circumlocutione, quando vocabulum certum non habet, vel res vocata, eſt ignota.

13 Etymologia docet vnde vox imponitur, & qua ratione. Addetque quas paſſa eſt mutationes apud multos. Interpretatio de lingua in linguam fert notitias, & de proprietate ad metaphoras, & è conuerſo. Deſcriptio rem ſignificatam per vocabulum monſtrat ex effectibus, & ſimilitudine aliarum, & quibuſcumque poteſt adminiculis. Definitio per ſimilitudinem, & diſſimilitudinem proprias, eſſentialeſque, vt per genus & differentiam. Circumlocutio per multa vocabula vnum declarat.

14 Item notabit Grammaticus ſynonima, vniuoca, æquiuoca, & denominationes. Ad quas reducitur deriuatio vocabulorum ex vocabulis, & caſuum ex nominatiuo: & temporum ex primis præteritis & futurit, vt notat Gellius non ſemel. Item compoſitiones, & particulas, eerumque vſus, vt in 1. lib. notatum eſt. Item quæ pars orationis eſt quælibet dictio, quem locum habet in ſtructura: & quem caſum exigit, &c.

15 De carminis & accentus notitia dicemus in poetica, quæ neceſſaria eſt Grammatico ad docendum pronunciationes. Item de figuris orationis in Rhetorica eſt ſermo: quæ neceſſariæ ſunt ad ſermones eorundem enucleandos. De figuris vocabulornm & ſtructuræ hoc in loco extat ſyntagma.

Appendix de philosophicæ linguæ institutione.

CAP. V.

SIquis nouam linguam philoſophicè conſtituere vellet formare literas debet conſimiles inſtrumentis: & ſufficientes abſque variatione in copula vocalium cum conſonantibus, vt in 1. lib & in Poëtica docuimus.

2 Imponere nomina ex rerum natura & proprietatibus.

3 Verba omnia ex nominibus deriuare & vnius coniugationis omnia excepto ſubſtantiuo: & omnia tempora omnibus tribuere, & ordinare ea ex actibus eſſendi, exiſtendi, operandi, agendi, & patiendi.

4 Participia præteriti, & præſentis, & futuri tam actiua quam paſſiua, tam actualia quam potentialia.

5 Pronomina omnia iuxta omnes ſpecies ſuas: & non diſſidentia.

6 Aduerbia ex modis, locis, temporibus & circunſtantiis actuum addere.

7 Adnomia vero ex circunſtantiis & reſpectibus.

8 Coniunctiones temporales, locales, ſociales, diſſociales, continuatiuas, conditionales, & alias, vt ſuo in loco dictum eſt.

9 Caſus omnes diſtinctos in fine, & articulos ponet.

10 Æquiuoca, ſynonima, & metaphoras abolebit: cunctis rebus proprium dabit vocabulum, vt tollat confuſionem, quæ videtur pulcra cum ſit vitium in olitum: hæc omnia in libris hiſce tribus liquido conſtant, & ex Metap. lib. 1. altius conſtant.

APPENDIX.

ARs menſurandi verſus in poetica poſita eſt. De ſyllabarum quantitate ſufficit quod Grammatici ſcribunt rationes autem à poetica petantur.

FINIS

THOMÆ CAMPANELLÆ

Stylens. ord. Præd.

RATIONALIS PHILOSOPHIÆ:

vdelicet,

LOGICORVM LIBRI TRES,

iuxta propria dogmata.

PARS SECVNDA.

PARISIIS,

Apud TVSSANVM DVBRAY, sub spicis maturis.

M. DC. XXXVII.

THOMÆ CAMPANELLÆ DIALECTICÆ

LIBER PRIMVS.

DEFINITIO DIALECTICÆ.

CAPVT I.

Dialectica est ars seu instrumentum rationale sapientis; quo sermocinationem in omni scientia moderatur.

DECLARATIO.

ARTICVLVS I.

OMnis res declaratur per etymologiam, interpretationem, definitionem, & descriptionem. Etymologia est nominis expositio, vnde imponitur; vt Dialectica imponitur à dialogome quod Latinè est disputo. Interpretatio est vnius linguæ per aliam expositio, vt dicitur Dialectica, Græcis est qua-

si disputatiua Latinis: & vocatur alio nomine Logica, à *logos*, id est sermone, vt sit quasi ratiocinatiua.

Definitio est expositio ad quod imponitur nomen essentialiter per essentialia.

Descriptio vero, proprietates, & actus.

In definitione ponitur priùs vocabulum generale, quod significat rei essentiam, in qua est similis cæteris eiusdem communitatis: deinde vocabula particularia, significantia differentias, per quas distinguitur à rebus, quibus est similis; ideo omnis definitio constat ex genere & differentia id est ex essentiali similitudine, & dissimilitudine. Dicimus ergo.

Dialectica *est Ars*, non autem scientia, quoniã scientia est de Deo, & de rebus à Deo factis, vt de mundo, de animalibus, de elementis &c. existentibus ante operationem intellectus humani: Ars vero de factis post à ratione humana, siue extra animam, vt vestis, domus, astrolabium; siue intra, vt vocabulum, syllogismus, fabula. Omnis ergo artis obiectum est ens rationis: finis verò vtilitas Sciẽtiæ verò ens rei, finis verò cognoscere: quod tamen ens rei est ens rationis diuinæ, verbi Dei. Ens rationis fit ab arte vtiliter, siue ad docendum, siue ad operandum; vt fabula, litera, gladius; quod autem inutile, aut noxium est, non rectè dicitur ens rationis à sophistis sed ens irrationalitatis & deceptionis dici debet, vel actiuæ vt mendacia, nugæ, sophismata & fabulæ, quæ nihil docent: vel passiuæ, vt falsa propositio hæreticorum, Deus est corporeus, Sol in se non est lucidus. Parabola enim vtilis ad docendum, est rationis ens, non deceptionis. Imperitè ergo vulgus Logicorum putat ens rationis esse hircoceruum & chimeram, & falsam propositionem, homo est asinus: Cum hæc sint entia irrationalitatis actiuæ, vel passiuæ, vel vtriusque. Imo alij putant sensum facere ens rationis, quando remum factũm esse iudicat in confinio aeris & aquæ: cum hoc & omnes apparentiæ in re falsæ, sint deceptiones sicuti qui pro Petro pingit Fabiũ, & audiens sibilũ venti dicit esse diabolum. Logica ergo ars est tractans ens

rationis, & deceptionis, vt medicina sanitatem, & ægritudinem.

Dicitur *instrumentum sapientis*. Ars enim omnis est quasi instrumentum vtile, & sicut faber artis suæ instrumentis regulis faciens arcum & domum & gladium, regulat operationes suas mechanicas, ita sapiens per logicam regulat fabricam scientiarum & sermonem philosophicum.

Et propterea additur *rationale*, ad differentiam instrumenti mechanici, quod licet sit rationis, non tamen intra, sed extra vsum habet. Astronomus per astrolabium notat cursus stellarum, sed illud logicali ratione adaptat, quoniam est scientiæ instrumentum; sicuti è contra datur instrumenti scientia & artis: qualis est Logica, Rhetorica, Poetica &c. Rectè S. Thom. super Boet. de Trinit. q. 5. a. 1. ad 2. ait, *quoniam logica non est pars philosophiæ speculatiuæ principalis: sed quoddam reductum ed eam quatenus subministrat syllogismos, definitiones, &c. Scientiis, vnde secundum Boet. super prædicam. non tam est scientia, quam scientiæ instrumentum.*

Alij vocant Logicam scientiam & artem quatenus docet syllogismos; sed quatenus vtimur ea in aliis scientiis vocant instrumentum: Nos autem dicimus, scientiam tractare de subiecto determinato, in natura, in vento ante operationem nostræ mentis, per regulas eius declarabili, & per se necessario sciri: sed syllogismus non est, nec nomē, nec definitio, ante opus mētis nec docetur propter se, sed propter alias omnes scientias: & docere syllogismum est dirigere intellectum in operibus suis quod non potest nisi Deus primo principaliter, & intrinsecè: at secundariò exteriusque Metaphysicus sapientissimus, qui scit quid sit intellectus & opus eius, & anima, & discursus. Logicus ista ignorat, quomodo ergo potest discursus regulas fabricari? est ergo Metaphysicus magister scientiarum seruientium Theologiæ, qui fabricatur Logicam docentem, & ideo Plato super omnes scientias Dialecticam exaltat. Et Arist. in Metap. cogitur logicā docere, & vo-

vocat ipsum modum sciendi.

Deinde dixi *sapientis*. Nam Metaphysicus est sapiens, alij sunt scientes & ad metaph. spectat tractare de ente reali,& de ente rationis,quod ratio facit humana: & hoc ens rationis tractatur à Grammatico, & Logico, & Poeta, & Rhetore, quorum moderator est Metaphysicus.

Deinde dixi: *quod dirigit sermocinationem in omni scientia*; quoniam sunt alia instrumenta, quæ non in omni scientia dirigunt rationem: vt fabula solum in poesi.

Item quoniam Logica non dirigit passiones potestatiui; vt Medicus,& Mathematicus:neque affectiones volitiui ipsius animæ vt Moralis, & Rhetor: sed notiones cognoscitiui,neque omnes. Neque enim sensum & memoriam, sed discursum, non subitaneum, qui ex sensu patiente statim fit, sed temporaneum, quem *mens* ex sensatis & memoratis obiectis elicit.

Et est duplex alius inuentiuus, qui etiam ad sensum spectat:finitque in nominatione & definitione, alius doctrinalis, qui ex his definitionibus & vniuersalibus elicit conclusiones: & vterque mentalis & vocalis. Logicus ergo tractat de syllogismo vero,& de sophistico,& de definitionibus veris & falsis vt illos sequamur, hos dissoluamus(vt Medicus de morbo & sanitate,illo fugado,ista seruanda & instaurãda) in omni scientia. Et quidem Logica est lingua sciẽtiarum extrinsecus intrinsecus vero mentis regula in cognoscendo & inuestigãdo res scibiles, sermocinatio vtrũque dicit, Nã etiam quod absque discursu mẽtali statim concipimus, non tamen absque sensitiuo; & per hoc distinguitur à Grammatica quæ est instrumentum Reip. locutionem moderans: à Rhetorica quoque, quæ est legislatoris instrumentum suadendi bonum verum,dissuadendique malum apparẽs bonum. Et à poetica,quæ est ars fingendi sermonem numerosum,& transferendi voces per metaphoras, & significata per fabulas, ad docendum cum delectatione, vel occultandam veritatem cum securitate, propter boni suasionem, vnde figurata Rhetorica dici potest, vt in alio libro docebi-

bimus. Sunt autem ſcientiæ aliæ ſpeculatiuæ, quæ de rebus tractant ſcibilibus in natura inuentis, & hæ propriè ſcientię ſunt; alię practicæ, quæ potius artes dici debent, quoniam de intentionibus vtilibus, & de factis à ratione humana tractant: ſpeculatiuæ aliæ reales, vt Phyſica & Metaphyſica & Mathematica, quatenus de rebus non ad vſum tractat, aliæ rationales, vt Logica, Grãmatica, Poëtica, & Rhetorica, in quãtũ docent: ſed quoniam earum finis eſt regulare animos, dicendæ ſunt artes, & quidem rationales, cum, quoniam inſtrumenta quibus ratio humana regulatur, conſiderant. Tum quoniam obiectum ipſarum non eſt à natura ſed ab ratione in natura factum, & inuentum ad commodum ſciendi & docendi, & non errandi: nec per ſe: vnde ſi ſcientias quis eas voces dicat inſtrumentales. Quatenus enim docent, ſcientiæ forſan dici poſſent vel ex ſubiecto ſi non ex obiecto, ex hoc enim non datur ſciẽtia rationalis. Aliæ artes regulant exteriora, & dicũtur mechanicæ, & practicæ quæ verò interiora, liberales, quoniam liberant animum ab actionibus vilioribus. Practicarum tamen alię factiuæ vt agricultura, aliæ actiuę, vt Politica, aliæ mixtæ vt Medica.

Prętereaaliæ regulant poteſtatiuum vt Mathematica, aliæ cognoſcitiuum vt Logica; aliæ volitiuum vt Ethica; & iſtæ omnes fortaſſe dicuntur liberales, aliæ operatiuũ, vt manuales artes, & iſtæ ſunt mechanicæ: & ſeruiles. Quæ vel ſeruiunt poteſtatiuo vt militaris, vel cognoſcitiuo vt pictura, vel volitiuo vt coquinaria. Theologia autem omnibus vtitur ſcientiis & artibus tanquam ancillis: quarum magiſtra eſt Metaphyſica. Quæ Logicum pro omnibus parauit inſtrumentum.

Dicunt etiam *Logicam eſſe ſcientiam diſcretiuam veri à falſo*, id eſt inſtrumentaliter: hæc enim diſcretio principaliter & propriè Metaphyſici eſt per Logicum inſtrumentum à ſe paratum: omnis enim ars propria ſibi parat inſtrumenta, vel parata ab alio ſuſpicit.

DISTINCTIO.

Art. II.

Tres ſunt partes Logicæ .ſ. definitiua, enunciatiua, & argumentatiua.

PROBATIO.

TRes enim ſunt actus intellectus quos Logicus moderatur, ſcilicet conceptio, enunciatio & diſcurſus.

DECLARATIO.

PRimò enim intellectus apprehendit concipitque & nominat ſeu definit ſingularia diſcretiuis propriis notis, ſeu vocibus: vniuerſalia collectiuis communibus, notando ſimilia in quantum ſunt vnum, quò ſimilia vno vocabulo. Secundò enunciat quę concepit affirmando rerum notarum copulam & negando oppoſitionem. Tertiò diſcurrit ex his notis ad occultas & ignotas probando vel reprobando. Ideo actus Logici tres ſunt. Definire, dicere & argumentari. Ac proinde tres ſunt Dialecticæ partes. Vnde rectè quis dixit: eſt ars actuum rationis directiua.

Peripateticis dicuntur tres intellectus operationes, ſimplex apprehenſio: Compoſitio, diuiſio, & diſcurſus, non ſatis rectè. Apprehenſio enim non pertinet ad artem, ſicut definitio apprehenſi, ſed ad naturam. Item compoſitio & diuiſio pertinent ad artem definitiuam. Affirmatio autem & negatio ad enunciationem vt mox patebit: cætera benè.

De obiecto.

Art. III.

Obiectum Logicæ est sermo philosophicus.

PROBATIO.

ETenim principia, partes, & proprietates philosophici sermonis in ea tractantur. Omnis autem scientiæ sermo est philosophicus. Et fit definiendo, dicendo, & syllogisando. Ens rationis excedit Logicam, quoniam de eo tractat etiam Grammaticus, & Rhetor. & Poeta. Argumentatio exceditur, quoniam etiam definitio & diuisio, & alia tractantur in Logica: adæquatur solummodo sermo Philosophicus. Quapropter quando Albert. docet argumentationem esse obiectum Logicæ, loquitur de obiecto principali, sic & Scotus. D. Thomas dicens ens rationis, de communi.

De arte definitiua dicendum esse.

CAP. II. Art. I.

AD definiendum perfectè rerum essentias necesse est compositiua vti methodo, ac diuisiua, primò enim incertitudinem & multiplicitatem rerum ad supremam inter se seu transcendentalem similitudinem colligimus, per quam merentur vocabulum vnum, quod dicitur ens: mox diuidimus ens in certos modos essendi generales, propterea que Logicis vocatos genera: quæ eadē methodo diuiduntur in strictiores essendi modos, vocatos species, propterea de his noster erit sermo antequam definiamus.

Diuisio.

Art. II.

Definitio duplex alia perfecta totam rei indicans essentiam, vt homo est animal rationale; alia imperfecta, vt homo: quod idem dicit quid rationale animal: sed minus explicitè, & vtraque vocatur terminus, scilicet perfectus & imperfectus, quoniam inquisitione intellectus & rei terminant significatũ.

DECLARATIO.

TErminus propriè est finis rei, vt agri & lineæ; quoniam ita terminat agrum hunc, vt non includat de alterius agro: nec excludat de hoc quem concludit. Transumptiuè ergo terminus in Logica dicitur omne vocabulum, quod includit rei naturam totam in significando, terminatque: & excludit, exterminatque omnes alias, vt ly homo ita dicit naturam humanam totam licet non totaliter, quod excludit bouinam, lapideam, & omnes alias. Propterea est definitio imperfecta ipsius naturæ humanæ. Idem enim est finire quod terminare. Definitio tamen, totaliter & explicitè dicens naturam humanam est ly animal rationale, si quidem intellectus primò mouetur ab obiectis: concipitque ex notione rerum entitates: deinde notat rei entitatem conceptam signo mentali, quod est verbum menti impressum siue rerum conceptarum vt vnam siue vnius rei, & illi dat notam seu nomen vnum: quod vocamus terminum & definitionem, quoniam inuenta ac signata re, & inquisitio intel-

lectus terminatur, & res ipsa signata mentali nota (quæ in voce postea exterius expressa dicitur vocabulum) terminatur, quoniam vocabulum illud rem illam terminat, & aliis exterminat à se.

Ordinis assertio.

Art.. III.

Quoniam terminus imperfectus apud homines prior est perfecto, ordine naturæ & doctrinæ, idcirco à terminis incipiemus sermonem: quos deindé colligemus in Cathegorias, deinde diuidemus per suas differentias, deinde terminos perfectos, vocatos definitiones, & epilogum scientiæ, construemus.

DECLARATIO.

TErmini imperfecti sunt nomina & verba & aliæ partes orationis, ex quibus construitur definitio; quæ secundum vocem videtur oratio, sed non est, vt infra patebit. In cœlo enim omne vocabulum est definitio, id est perfectus terminus, vt in p. Metaph. docuimus & quoniam apud nos prius est imperfectum quàm perfectum, & notitia totius ex notitia partium dependet proprerea à terminis erit in arte definitiua incipiendum doctrinaliter, sicut in inuentiua à singularibus ad generalia. Cathegoriæ sunt decem genera, ad quæ rerum multiplicitas colligitur: Quæ mox per artem diuisiuam discernentur ab inuicem.

Notand.

Art. IV.

Finis inuentiuæ scientiæ est principium doctrinalis, ideò termini sunt semina, definitiones vero principia doctrinalium; inuentio spectat ad Metaphysicum, doctrina ad Logicum, vtraque enim facultas est vniuersalis.

DECLARATIO.

QVamuis inuentores scientiarum & artium fuerint sæpè periti Mechanici, & illiterati, Logica naturali non artificiali præditi, tamen cognoscere inuenta sapientis est. Sapientiam Metaph. profitetur: ordinare autem ad docendum, Logici est: & propterea Stoici dixerunt à vocabulorum notione esse incipiendum, îdest à definitionibus communibus imperfectis, & mox à perfectis, in quibus terminatur inquirentis animi labor. Cum enim inuenerit notat rem; eiusque nota est terminus, vt cum bene inspexerit, definit, idest epilogat totam scientiam de re inuenta. Isti autem termini & epilogi cum docemus alios primo ponuntur, exque ipsorum declaratione scientia in discipulo generatur. Metaph. est communis philosophia ad sciendum, Logica est communis ad docendum, & vtraque in omni scientia includitur & præest.

ANIMADVERSIO.

Logica naturalis non est ars a Metaphysico inuenta: sed participatio quædam diuinæ artis & rationis, seu ver-

bi Dei, à quo dicimur rationales. Logica artificialis est ars directiua actuum rationis humanæ in omni scientia vt dictum est prius.

DECLARATIO.

NOn immerito D. August. scientias naturales attribuit æterni Dei potentiæ: Logicas & rationales sapientiæ seu verbo: Morales Amori. Primæ humano potestatiuo, secundæ cognoscitiuo, tertiæ volitiuo inseruiunt. Logica ergo naturalis est lumen rationis humanæ à ratione diuina deriuatum. Logica artificialis est sapientis ars directiua operationum animę rationalis, idest concipere, enunciare, & argumentari, vt dictum est prius. Conceptus impressus exprimit in se notiones primas, enunciatio dicit compositionem & diuisionem earum. Argumentatio seu discursus ex notorum lumine ad ignota procedit: & ideo triplicem diximus partem artificialis dialecticæ: quam sapientia humana, imitando diuinam, inuenit.

De terminis.

CAP. III. Art. I.

DEFINITIO.

Terminus est signum notionum mentis, quo quidquid cognoscit, distinctè notificat.

APPOSITIO.

Ideoque orationis constitutiuum immediatè.

DECLARATIO.

SIgnum est quid notum ducens in cognitionem ignoti: positum à natura, aut ab arte, vt à Deo: ideo & maximè conuenit sensilibus, quæ penitus nobis innotescunt.

Signum in hac definitione ponitur loco generis communis: omnis enim terminus est signum, sed non è contra, omne signum terminus.

Dicitur *notionum mentis*; quoniam mens primò patitur ab obiectis, deinde noscit obiectum; deinde afficitur benè vel malè, & amat vel odit. Terminus ergò non est passionum signum vt Arist. docet in Perhyerm. neque affectionum nisi quatenus cognoscuntur; quod enim est passio in potestate, & affectio in voluntate, id notio est in intellectu. Terminus ergo signum notionum est, non reale, vt fumus ignis & sonus passionis, sed artificiale, vt vox scientię.

Et quando totã rem significat, sicuti est, vocatur definitio; quando ex parte, vocatur nomen, vel verbum, aut quæcumque pars orationis Grammaticalis.

Dicitur, *quo quidquid cognoscit, &c.* intellectus enim non modo res noscit in potestatiuum animæ agentes, sed etiam se ipsum, & passiones, & affectiones, sed alio modo: vel enim per se, vel per aliud, vel sensu, vel discursu; & tunc eis notam apponit, sicut armentarius caballis, diuersas, vt possit ea sibi & aliis cognita facere, nec vnum pro alio accipiatur: hæ autem notę seu signa sunt termini, sic dicti, quia terminant & discursum mentis & significatum vocabuli.

Dicitur, *constitutiuum orationis* corollariè ex proprietate, non ex essentia: eius enim est significare: sed vtitur illo intellectus in complexu notitiarum; sicut nauifactor ligno natatili ad fabricam nauis natatilis, & dicitur ad differentiam signi mentalis, non constituentis, vt est cogitatus impressus menti, sed non expressus ser-

mone mentali, vel vocali, vel ſcripto.

Et dicitur *immediatè* ad differentiam ſyllabæ & literę, conſtituentium *mediatè*, & remotè. Intellectus conſtituit actiuè, terminus materialiter, & ſunt vt faber & lignum in conſtitutione Nauis. Quoniam omnis terminus eſt ſignum : ideo omnis eſt ſignificatiuus.

DIVISIO I.

Art. III.

Terminorum alius ſignificat naturaliter, vt heu, & ah, ah, ah, & homo in mente, cæteræque interiectiones, qualis gemitus infirmorum &c. Alius ad placitum vt homo, leo, in voce vel in ſcripto.

Significat naturaliter ille, qui apud omnes nationes idem repræſentat.

Ad placitum verò, qui ad impoſitoris voluntatem repræſentat aliquid determinatè, non autem apud omnes : non enim homo, apud Hebræos, & Scythas naturam humanam indicat, vti apud Latinos.

DECLARATIO.

OMnes videntes aliquid, mouentur ab eo ſecundum animam ; & iuxta illam impreſſionem exprimunt verbum mentale, & deinde per inſtrumenta vocis, quæ ſunt lingua, guttur, palatum, denteſque, imitanti verbum mentale, figurando illud in aere expirato per pulmonem, & quia in prima impreſſione conueniunt omnes, formant omnes eundem conceptum de re imprimente in animo ſui ſpeciem. Ideò verbum mentale impreſſum eſt, dem apud omnes, ſicut res, à quo generatur, omnes: enim homines videntes lapidem, dicunt eſſe corpus du-

rum, frangibile, inflexibile in mente. At quando exprimunt illud voce, diuersi mode, imitantur conceptum mentis pro regionum frigore, & calore; coarctantibus, & relassantibus instrumenta. Vnde Germani in frigida regione plures consonantes literas particulas vocis faciunt Hispani in calida regione plures vocales Itali in media regione miscent, temperantes. Propterea in voce aliter significat; sed passiones naturales per interiectione expressa çqualiter vbique exprimũtur, & vix insigni differẽtia discernũtur in rebus verò externis exprimẽdis, quas aliunde & non à se ipsis, aliter se habent & aliter. Propterea vocabula sunt ad placitum nationum, quæ autem Adam protulit, erant secundum rei propriã imitationem: mixtio autem hominum ea confundit, vt typto Græcè repræsentat tup. tup. verberatorum lignorum, rectè Latine verbero vibrationem lori stridentis: sed homo non habet hanc proprietatem; dicitur enim ab humo, à quo factus est. Sed in his non oportet respicere ad quod sunt imposita, nam lapis dicitur, malè à pede lædendo, quoniã & lignum lædit pedem, & ferrum: sed ad quod est impositum decet Logicum respicere: Vnde imponitur, Grammaticæ est considerare, sed imponere Metaphysicæ: nisi vulgus, & principes indocti hanc vsurparent authoritatem. Si quis Metaphysicus linguam nouam faceret in ciuitate Solis, vocabula omnia ex rerum natura bene imitantia imponeret.

Subdiuisio termini ad placitum.
Art. III.

Terminorum significatiuorum ad placitum alius cathegoregmaticus alius synchathegicorus.

Cathegoregmaticus est qui per se sumptus & cum

& cum alio tam in oratione, quam extra orationem semper significat se, & aliquid aliud, vt homo, lapis, curro, legens, & dicitur cathegorematicus græcè, prædicatiuus latinè. Siue enim curro solitariè, proferatur, siue cum alio, vt ego Petrus curro, semper significat actum currendi, præter sui vt verbum est notitiam. Sunt ergo cathegorematici, nomen, verbum & participium.

Synchategorematicus dicitur quasi comprædicatiuus, & consignificatiuus, quia per se sumptus præter se non significat rem aliquam, sed cum alio consignificat, & habet officium in oratione.

Synchategorematici ergo sunt pronomen, aduerbium, adnomium & coniunctio: vt ego, ille, velociter: per, sicut, vel &c. quæ nihil significant, nisi dicas, ego Petrus. Tunc enim ly ego habet officium indicandi Petrum, & ly omnis homo, Petrum & Paulum, et Franciscum, & singula indiuidua contenta sub significatu hominis. Similiter ly velociter nil dicit, nisi addas, velociter currit ceruus: tunc enim qualificat actum currendi. Et sic de cæteris.

DECLARATIO.

NOmina ergo substantiua, & adiectiua, quæ rem aliquam prędicant, sunt cathegorematici termini: similiter & verba quæ actionem, & passionem aut operationē determinatè significant inter cathegorematica numerantur: participia itidem, quia significant rem cum suo actu simul. Pronomina verò non significantia rem certam, nisi cum alio siue vniuersalia, vt *Omnis* siue particularia, vt *aliquis*, siue singularia, vt *ego*, *&* *ille* &c. [quæ imperite inter nomina à Grammaticis scribuntur.] Et aduerbia quę verbum determinant in oratione qualitatem aut quantitatē. aut circunstātias actuum consignificando: & adnomia. quæ ad certum essendi, & operandi respectũ modumque fuerunt; coniunctiones etiam, quę nihil sunt, nisi aliud coniungant, & disjungant, vel conditionent, vel inferant: sincathegorematica putantur: Etenim pronomen *ego* nil per se significat, nisi cointelligatur ego Petrus & tu Paulus, ille Musicus, &c. Nec *ly omnes* nisi subaudiatur, omnes homines, nec *quidam*, nisi quidam homo &c. Patronimica quoque quoniam non significant, sed consignificant, inter pronomina in nostra Grammatica reputantur. Non enim ly Priamides significat nisi cointelligatur Hector filius Priami Habent hæc omnia officium supponendi pro personis & rebus, & standi loco nominis eorum. Multò autem magis deriuata possessiua, vt Meus tuus &c. & relatiua, qui, & numeralia duo, tria, & Gentilitia, vt nostras, & demonstratiua vt tu ille, iste. Non enim significant nisi cum alio, subintellecto, vt meus seruus, Petrus, qui: duo elementa, Nostrates iuuenes. ille miles & c. vide Gram. 1.

Subdiuisio cathegorematicorum.

Art. IV.

Terminorum cathegorematicorum, alius realis, alius rationalis, siue primæ intentionis & secundæ intentionis.

Terminus primæ intentionis est, qui ab intellectu conceptam rem immediate significat, vt ly homo naturam humanam intellectam & per ly homo, in mente & voce expressam: & propterea dicitur realis & naturalis, significat enim ens rei & naturæ.

Terminus secundæ intentionis significat secundum conceptum seu notam, quam intellectus format de re, ergo mediatè rem repræsentat, sed immediatè ens rationis: vt genus, species terminus, nomen. Postquam enim concipio naturam humanam, noto illam mihi, & ac simul notifico aliis hoc nomine Homo *: qui est terminus primæ intentionis: & deinde considero, quod ly homo est nomen à ratione formatum, & species prædicabilis in oratione de Petro et Paulo & aliis. Et hæc vocabula 2. impositionis seu intentionis termini vocantur, & rationales, de quibus*

est tota philosophia rationalis videlicet Grammatica, Logica, Rhetorica, & Poëtica: sicut termini reales spectant ad philosophiam realem, videlicet physiologiam, ethicam, politicam, œconomicam: vtrique tamen ad Metaphysic. secundæ autem intentiones fundantur in primis, sicut ars in natura, & nauis in ligno et ferro, & cannabe.

DECLARATIO I.

OMnis quidem terminus est artificialis seu rationalis, ab arte nimirum seu ratione humana excogitatus & inuentus. Attamen quidam dicuntur primæ intentionis & reales, quia immediatè ad rem, quæ ab intellectu facta non est humano, significat, vt ly homo, & circulus & omnia vocabula scientiarum realium. Aliqui verò secundæ, quoniam significant immediatè quod inuenit ars seu ratio nostra, vtiliter ad sui commoditatem interiorem vel exteriorem, vt ly syllogismus, nomen, verbum. Cum enim in nomine homo intelligo naturam humanam, facio primam intentionem; cum verò considero, quòd ly homo est nomen quadriliterum inuentum ad significandum res signatas & se significantem, formo secundam intentionem, & ens rationis.

DECLARATIO II.

ENs reale est id, quod in natura rerum reperitur ante considerationem intellectus humani, & ante opus artis humanæ, licet sit opus artis diuinæ & ens rationis diuinæ autoris naturarum. Ens rationis verò est quidquid fit ab humana ratione propter suam vtilitatem, siue intra animam vt syllogismi, & termini, & fabulæ, &

ſermo, ſiue extra vt calceus, nauis, pictura, domus: quando autem ars cum natura concurrit, vt in Agricultura & Medicina, miſcentur entia rationis cum entibus rei, vt aratrum cum bobus: ſemper tamen ars innititur naturæ, quam imitatur, & præſupponit, ſicut nauis in ligno & aue; quam æmulatur, & ſyllogiſmus in diſcurſu. Non ergo ens rationis eſt ratio nec ratiocinatio naturalis, nec mens, & imaginatio. Sed id quod facit ratio in regulando ſe & ratiocinio, & ſenſu, ad diſcendum & ſciendum, & docendum ſine errore. Sicut nec pes & caput eſt ens rationis, ſeu artis, ſed calceus & pileus, quibus pedi, & capiti proſumus. Quando autem facimus aliquid inutiliter vel noxialiter, vt cũ imaginamur chimeram, aut dicimus, homo eſt aſinus, Deus non eſt bonus, tunc non facimus ens rationis, ſed ens irrationalitatis, & deceptionis, ſiue actiuæ, cum quis fabricatur mendaciũ de induſtria; ſiue paſſiuæ, cum falſum pro vero habet, & fabulam pro hiſtoria deceptus: vnde miror, quomodo ſophiſtæ vocãt id ſolùm fere ens rationis quod eſt ens deceptionis: & in hoc adeò progreſſi ſunt, vt, dicant oculum etiam facere ens rationis, cum remum in confinio Aëris & Aquæ fractum videt, qui reuera non eſt fractus. Propterea iterum notandum, quod quando poëtæ fabulantur de chimera, de centauro, ad docendum aliquid vtiliter, videlicet compoſitum hominem eſſe ex parte rationali, iraſcibili & concupiſcibili: item originem artis equeſtris, vel aliud quippiam officiosè, faciunt ens rationis: ſed ſi fingant ad decipiendum, & mentiendum ſine vtilitate aut cum noxa, tunc poëta ille *facit* ens irrationalitatis & deceptionis.

Quando autem dicunt philoſophi, quod negationes & priuationes & non entia ſunt entia rationis, quæ tamen à ratione non fiunt, ſed ſunt in natura, etiam homine nõ conſiderante, imo peripatetici ſimulacra rerum & vires & colores in aëre non permanentes, vocant intentiones, verum quidem dicunt, quoniam negatio & priuatio non poteſt ab animo apprehendi niſi per ſpeciem entis, & ſic apprehenſa fiunt entia rationis, & nominantur, & prædicantur: dicimus enim, nihilum eſt non ens, & intrant in propoſitiones.

At quatenus naturaliter cõsideratur nihilum non est in anima nec extra animam, priuatio tamen vt subiectum priuat, est ratione sul i. cti, non sui:item species transeuntes subitò vt iridis coloris, non rectè vocantur intentiones, nisi similitudinariè, quia non permanent, sed euanescunt, vti imaginaria res.

Sed cur scamnum & nauim non vocamus entia rationis, cum sit rationis practicæ effectus? resp. quoniam fundantur in sensibilibus realibus ita vt plus de re quam de intentione videantur habere, vocantur tamen entia artis, & non naturæ: & sunt verè entia rationis: Vide Met.

Subdiuisio terminorum ad placitum.

Art. V.

Terminorum alius abstractus; alius concretus. Abstractus est qui significat rem vt per se existentem, dantem esse & denõminationem deriuatis ab ipsa, vnde propriè significat ideam, vt humanitas, cuius participio omnis homo est & dicitur homo, & iustitia, cuius participio sunt & dicuntur homines iusti. Concretus significat rem in subiecto vel quasi subiecto, existentem, quod participat esse & denominationem ab Abstracto. Vt ly iustus, & ly homo: vnde propriè significat ideatum.

DECLARATIO.

PRofectò res nulla fieri potest ab arte aut à natura, cuius idea non præcesserit, ad cuius similitudinem ista fiant: sicut homo facit hominem ad sui similitudinem, & lacus producit ranas ad similitudinem genitarum ranarum, vel creatarum ad instar primæ ideæ: & scriptor facit

ſcripturam ſimilem ideæ caracterum, quos in mente habet, & in cartha exprimit: & ſine ideis non magis ſcriberet hoc quam illud. Hinc admoniti aut potius inſtinctu acti impoſitores vocabulorum, alia fecerunt inſtar idearum, vt albedo, humanitas, claritas, veritas, ſignificantia rem per ſe exiſtentem & ſine ſubiecto: Alia verò inſtar ideatorum participantiũ ideas vario quidem modo: & illa plerumque ſunt ſubſtantiua: iſta verò adiectiua: vt ab albedine, albus, alba, album, quæ ſignificant ſubiectum cui inſunt participationes albedinis. Homo quidem dicit ſubiectum non participans modò, ſed toticipans humanitatem, ſed non totaliter alioquin humanitas eſſet in vno homine ſolo, ſicut deitas in vno tantum Deo. Participant ergo vocabula concreta abſtractum, & ab eo deriuantur, ita vt illud dicatur denominans, iſta denominata: denominatiuum enim forſan de vtroque dicitur.

Apud Grammaticos denominatus dicitur primitiuum, denominatum verò deriuatiuum, vt mons & montanus. Sed non ſemper deriuant Grammatici denominatum à denominante, quoniam reſpiciunt ad vocis extenſionem, non ad rem. Ideo deriuant iuſtitiam à iuſto, & humanitatem ab homine per additionem.

Fit denominatio aliquando) ſola voce, ſed non re vt ſocrus & Socrates: aliquando re, ſed non voce, vt virtus & ſtudioſus: aliquando re & voce, vt virtus & virtuoſus. Oportet quidem ſæpè nomina flectere ac fingere contra vſum, licet in doctus murmuret Grammaticus: quoniam denominans ſignificat ens per ſe, & denominatum per participationem differunt caſu, & modo ſignificandi, & ambitu & contractione ſignificati, ſed non in Deo, vt habes in Theologia, vbi ſolum in modo ſignificandi opponuntur, quoniam intra Deum participatio non eſt, ſed toticipatio Denominationes Raymũdi non ſunt inutiles: à nomine enim verbum, & participium multiplex, & actualitates, & realitates habemus: vt ab eſſentia eſſentiare, eſſentiabile eſſentiatum, eſſentiatiuum eſſentialitas, eſſentiatio, & eſſentiatura: de quibus in 1. Gram.

Subdiuiſio.

Art. VI.

Terminorum abſtractorum alius præcedit concretum, & ſignat ideam, & rem ex toto, ſicut humanitas & veritas. Alius ſubſequitur, & ſignat idealitatem & quaſi ex parte, vt veracitas, entitas, realitas.

DECLARATIO.

AB humanitate dicitur homo, ſed non dicitur humanalitas poſtmodum ab homine, ſicut à re dicitur realitas, quæ non eſt res, ſed aliquid rei, vt eſſentialitas & formalitas: & quidem rara eſt iſta denominatio vbi præcedit idea, ſicut à veritate denominatur verum, & à vero veracitas. A forma quidem dicitur formalitas, ſed non præcedit terminus abſtractus, qui debet eſſe formeitas: iſta tamen regula neceſſaria eſt in Theologia, quoniam attributa Dei plura dicunt plures realitates & eſſentialitates, non tamen plures eſſentias ſecundum rem, licet ſecundum vócem, & in anima mens, notitia, & voluntas, ſunt vna eſſentia, vnaque res, teſte Auguſtino, non tres res, ſed tres realitates, non tres formæ, ſed tres formalitates, non accidentaliter ſed eſſentialiter; vidit hæc ſubtiliſsimus Scotus.

Alia diuiſio.

Art. VII.

Terminorum cathegoricorum, Alius incomplexus, alius complexus. Incomplexus

eſt

est, ille, qui vnum significat, vt dictio, homo, sapis, signifer, summus Pontifex. Complexus verò plurium significata complectitur, vt hominem esse album, & talis est quasi oratio.

DECLARATIO.

Dicitur terminus incomplexus, & simplex quo ad significatum, & quo ad vocem, vt homo. Alius quo ad significatum tantum & non vocem, vt summus Pontifex, signifer. Alius secundum vocem & non significatum, vt hem, heu. Nam significant admirationem, mirum, & admiratorem; dolentem, dolorem, & dolorificum; & habent vim orationes interiectiones. Similiter responsiones vnius dictionis, vt si dicam, vade domum, & tu respōdes, vado. Notandum quod etiam definitio est terminus incomplexus secundum rem, & non secundum vocem, quia omnes partes eius simul vnum significant, vt animal rationale hominem.

Complexum verò non dicimus hic esse oratione͂; alioquin cum terminus sit pars constitutiua orationis, & non oratio, idem esset pars sui, & non id quod est. Vocatur autem terminus complexus infinitiuum verbum cum nomine, quatenus est pars orationis modalis; vt hominem currere, est possibile, vel in cathegorica compositũ, vt animal rationale albũ, est habitator septimi climatis.

Diuisio.

Art. VIII.

Terminorum cathegoricorum alius communis alius singularis. Terminus communis est

qui de pluribus dicitur, vt homo dicitur de Petro & Paulo et Thoma: & aqua de hac aqua, & de illa, et de ista: & fit ab intellectu plura similia vno nomine notante. Terminus singularis dicitur de vno solo indiuiduo: vt hic homo est Petrus, & Petrus est hoc album: et fit ab intellectu rem vnam proprio nomine notante aut communem contrahēte. Dicitur enim indiuiduum, seu singulare, seu persona, per nomen discretum, vt Petrus: & per terminum communem cum pronomine demonstratiuo: demonstramus enim digito singulare, vt hic homo, ille equus: & per circumlocutionem, vt filius Ianuarij, si Ianuarius habet vnicum filium: & per notam Logicam, ly, vt ly, homo est singulare, quoniam intelligitur materialiter non res, sed hic terminus homo. Aliquis homo verò est indiuiduum vagum, et dicitur de pluribus.

DECLARATIO.

QVamuis dicamus, hic homo est Petrus, & ille est Petrus, tamen ly Petrus solum nomen est commune, & non natura aliqua, quæ per ly homo importatur: sed quando dicimus, Petrus est aliquis homo, & Carolus aliquis homo, nomen est res particularizata &c. dicatur ideò est terminus communis per D. Tho. in 1. dist. 1.

Nota quod indiuiduum dicitur de se ipso secundùm Boetium, vt Petrus est Petrus identicè: sed nihil

notificat. Dicitur & de se aliter nominato, vt hic homo est Petrus, quem quæris, & notificat, quod ex parte latebat.

Diuisio.

Art. IX.

Terminorum communium, alius æquiuocus: alius Metaphoricus: alius vniuocus: alius Analogus: alius synonimus: seu æquipollens.

DEFINITIONES.

Synonima sunt plures termini eandem rem significantes secundum rationem essentialiter vt amo, & diligo significant eundem amoris affectum; & vestis & indumentum, & tunica eandem rem: & propterea æquiualent, sicut & definitio cum definito.

Æquiuocus verò est vocabulum vnum, significans plures res diuersarum naturarum; differentium essentialiter secundum illud nomen, vt populus, arborem & hominum multitudinem.

Vniuocus verò est, qui vno vocabulo significat plura quorum ratio essentialis secundum illud vocabulum est eadem, vt homo & animal. Animal enim significat hominem, vel leonem vel equem, &c. quorum ratio, seu definitio in quantum sunt animalia eadem est: est enim animal corpus animatum sensitiuum; at homo & bos, & leo sunt itidem corpus animatum sensitiuum.

Analogus verò significat plures res sub vna voce conuenientes in proportionalitatis ratione vna, vel in respectu ad vnum, vt remigium dicitur de alarum instrumento, & triremium: nam sicut alis in aere natat auis, sic remis in mare volat triremis.

Et animal dicitur ſanum per ſe ; ſed vrina & medicina dicuntur ſana, reſpectu animalis, quatenus ſigna aut cauſa ſanitatis animalis.

Metaphoricus terminus eſt, qui transfertur de ſignificato proprio ad alienum, remanens idem voce, & ſimilitudine quadam, ſed non re; vt dicitur volare auis & ſagitta: ſed auis propriè: ſagitta per tranſlationem, & mutuationem, quia quid ſimile habet.

DECLARATIO.

Vocabula ſynonima, metaphorica, & æquiuoca confundunt ſcientiam & pertinent ad fallaciam. Ideò eis vtitur Rhetor, Sophiſta, & Poëta ex electione. Theologus verò metaphoris propter neceſſitatem, quia caremus nominibus rerum inuiſibilium, & per viſibilia nominamus. Semper autem ad analogiam declinat, quæ eſt media inter vniuocum, & æquiuocum, à qua degenerat metaphora: & vocatur ęquiuocatio à conſilio quia prius conuenit nomen vni primo, & poſtea aliis reſpectu ad illud: vti fit in analogia attributionis, propterea per ſæpè cum analogia attributionis, aut vt melius proportionis colligatur, alioquin ad metaphoram labitur.

Datur terminus communis, qui dicitur analogans, vniuocans, & æquiuocans; & termini particulares, quibus conuenit, dicuntur analogati, vniuocati, & æquiuocati, & ratio diuerſa, vel eadem ſimpliciter, aut ſecundum quid intelligitur ſecundum quod importatur à nomine communi, cuius eſt definitio, ſeu deſcriptio; & propterea dicitur ratio nominis, nam ſtella, & piſcis ſecundum quod ſunt corpus, vniuocantur, Sed ſecundum quod habent hoc nomen canis, analogantur, poſſunt ergo eadem ſecundum diuerſas rationes vniuocari, & æquiuocari, & analogari. Metaphora enim eſt pars analogiæ attributionis.

Ly Petrus quoque metaphoricum eſt de Apoſtolo Pe-

tro,& de lapide; at de Petro Apoſtolo,& de Petro Lombardo.

Æquiuocum: quoniam ratio eſſentiæ numeralis eſt in eis diuerſa: & ſi ſpecie ſit eadem.

CAPVT IV. Art. I.

De vniuerſalibus prædicabilibus per methodum notionum collectiuam.

OMiſſis æquiuocis, & tranſlatis, ad vniuocos, & analogos terminos accedamus: ex his enim conficitur argumentatio & actus vnitiuus mentis notionum reperitur. Omnis autem terminus communis huiuſmodi, aut eſt tranſcendẽs, aut gennus, aut ſpecies; & hi ſemper ſunt communes. Additur eis differentia, proprium, & accidens, quæ ſunt communia, & vniuerſalia, quando ſunt differentię & propria, & accidentia, tranſcendentis, aut generis aut ſpeciei: ſunt vero ſingularia & particularia, quando iſtorum: eſt autem particularis omnis communis terminus particularizatus vt aliquod animal, aliquis homo: ſingulares vero idem ſingularizatus, aut perſonatus, vt hic homo eſt Petrus: ſunt ergo ſeptem termini vniuerſales, ſeu communes, qui nominantur prædicabilia à Peripateticis, quibus tamen tranſcendens, & indiuiduũ vagum non ponitur, & profectò propter inconſiderationem. Nec prædicatũ repugnans, quod eſt octauũ.

Vniuerſale ſumitur multipliciter, & qui fiat vniuerſale prædicatum,

Art. II.

Vniuerſale eſt nomen æquiuocum.

Et ſumitur pro ſigno ſyncathegorematico di-

stributiuo, vt omnis, nullus, quilibet.

2 *Et pro vniuersali in causando, vel materialiter, vt materia prima; vel formaliter, vt humanitas; vel finaliter, vt beatitudo, vel efficienter, vt Deus, & artifex.*

3 *Et pro vniuersali in repræsentando, vt idea domus in mente mea omnes domus repræsentat.*

4 *Dicitur & vniuersale in essendo, vt Deus: qui est omnia & in omnibus eminenter & simul causaliter.*

5 *Dicitur & vniuersale in prædicando, & significando, sicut terminus communis aptus prædicari de multis, vt homo de Petro, Iosepho, & aliis. Qui compositiua methodo fit ab intellectu comprehendente plura vt vnum, quo enim similia sunt vnum sunt, possuntque vno nomine donari: quod illa signet, deque illis dicatur.*

PROPOSITIO.

QVid sunt transcendens, genus, species, differentia, proprium, & accidens, physice & notionaliter, ex vnitiua, & diuisiua notionum operatione animæ declaratur.

DECLARATIO.

QVoniam intelligere humanum est per quoddam pati aut ex passione, prout patitur intellectus, ita concipit sicut sentio calorem, quia calidus fio, & dolorem, quia dolens: res autem cognoscibiles agunt in

ſenſũ: & quæ diuerſo modo agunt diuerſas affectiones, ac proinde notiones in nobis imprimunt, ex quibus diuerſos conceptus formamus, & diuerſis nominibus connotamus: quæ verò ſimili modo agunt ſimilem affectionem, ac notionem in nobis generant. Vnde vnum de illis ſimilibus, quatenus ſimilibus, conceptum notionalem formamus, & vnico nomine notamus illa multa, nam quatenus ſimilia ſunt, vnum ſunt.

Quæcumque ſunt in rerum natura ſingularia ſunt, & diuerſa inter ſe, ſed quatenus ſimilia, ſunt vnum: primo ego Petrum cognoſco, & Paulum &c. & quia non ſunt in eodem loco, & carnibus & oſſibus & figura & colore: dico eos differre numero & nominibus differentibus noto, dicendo Petrum, & Paulum, &c.

Deinde video in eis eſſe aliquam ſimilitudinem eſſentialem, quia omnes habent ſenſum, & motum, & organa conſimilia corporis; & ratiocinationem, & tunc in quantum ſimiles ſunt in his, apprehendo eos vt vnum, & voco nomine vno dicendo, *homo*; quatenus autem ſunt ſimiles in accidentibus, vt in albedine & curuitate, & velocitate non ſemper: dico has ſimilitudines eſſe accidentales, quæ adſunt & abſunt: ſed quæ ſemper adſunt, proprias. Poſt hæc ſenſibus haurio Petrum eſſe ſimilem equo in ſenſu, & motu; ſed nõ in rationalitate: & tunc inuenio communiorem ſimilitudinem, & dico, *animal*, vnico vocabulo. Deinde quia conuenit cum lapidibus in corporeitate, facio huius ſimilitudinis communiorem cõceptum, & vocem, & dico, *corpus*, & quia ſubſiſtit ſicut Angelus, dico, *ſubſtantiam*: & quia eſt ſicut linea, & motus, & quæcumque ſunt in natura, dico *ens*.

Quapropter cum has communitates conſidero in ſecunda intentione, video alias ſuperiores, alias inferiores; & illas dico *genera*, tranſlato vocabulo à multitudine generatorum ab vno patre: has verò *ſpecies* à particulari apparentia. Vocabula quoque do eiſdem in quo differunt, & voco differentias. Quapropter ſecundum rem, ſpecies eſt communitas indiuiduorũ ſimilium comprehenſorum

ab anima vt vnum, & vno nominatorum termino, vt homo. Genus verò est communitas communitatum aliquarum vno nomine donatorum, quatenus in eo, quod similes, vt vnum apprehenduntur: Transcendens est communitas omnium communitatum, vt similes sunt in esse, &c.

Distinctio autem ab intellectu in methodo diuisiua per differentias fit: quas notat dum in quo dissimiles sunt res inuestigat: est enim vera differentia proprietas, vel potius essentialitas, eius cuius est differẽtia, ergo identificatur cum eo, & distinguit ab aliis: & propterea alia est differentia generica, qua genèrum communitates dissocientur, & dicitur diuersitas. Alia specifica, quæ propriè vocatur differentia: vt rationalitas distinguens communitatem hominum à communitatibus brutorum, & mox omnium: alia numeralis, qua Petrus non est Paulus: atque à Paulo seorsum numeratur & dicitur singularitas & hæcheitas, & indiuidualitas: vt simitas hæc, & audacia hęc, & hic locus, & hic pater, & hęc mater, & hæ actiones, & hæ affectiones, hæ carnes, hæc ossa. Logicus autem considerat de his, non quomodo sunt, & quomodo fiunt, sed quomodo nomina idest notiones ad signata indiuiduis & communitatibus eorum, & communitatibus communitatum prædicantur in oratione propter quod dicuntur prædicabilia.

Prædicatio enim oratio est dicens coniunctionem, aut identitatem rerum notarum primitus, non notionum, si est affirmatiua: vel separationem, & non entitatem, si est negatiua. Nec possent fieri prædicationes, nisi realiter inuenirentur in natura similitudines essentiales, accidentales ac differentiæ; coniunctio physica rerum diuersarum essentiarum: vnde notiones fiunt. Notionum autem similium ad quædam prædicamenta idest prædicabilium coordinationes reducit animus, vt possit facile ex illis ad omnia singularia noscenda quę infinita sunt per similia saltem peruenire.

De vniuersalis veritate:

IN diuino intellectu est vniuersale causatiuum, modo significatorum à se, vt idea hominis, cuius participio omnes homines sunt vnus homo: & hoc est vniuersale Platonicum. In rerum natura extra causam primam sunt solum singulares homines, vt D. Thom. docet: Non autem vniuersalis homo à parte rei, vt vult Scotus: Sed solum similitudo singularium hominum essentialis: quæ similitudo cum sit influxus vnitatis, vt in Metaphysica probauimus, non posset reperiri nisi ab vnius opificis vna idea prodierunt. In intellectu humano est vniuersale causatum ab ipso intellectu, ex similitudine multorum singularium comprehensorum vt vnum, vnoque propter hoc nomine donatorum, ideoque significatiuum & prædicatiuum de indiuiduis. De quo dixit Arist. *intellectus facit vniuersalitatem in rebus*: & contra Platonem dixit, *vniuersale aut nihil est aut posterius est*; hoc est post indiuidua, à quibus abstrahitur: non enim Peripatetici vniuersalis hominis participio, sed Platonici plures homines sunt vnus homo apud Porphyr. nisi desipiat. Vniuersale enim hoc non causat singulares, sed causatur ab eorum similitudine vt matre, ab intellectu vt patre: & hoc potest facere in lumine intellectus diuini, teste Augustino. Homo autem vt est scientiæ obiectum, est ens reale, vt concludit Plato in Thææteto, non enim scientia realis tractat de homine vniuersali, qui vt est in intellectu, est ens rationis, vnde concludebat dari ideas, eadem ratione Scotus dat vniuersale à parte rei: cum enim Philosophus tractat de homine, non tractat de homine mentali, neque de hoc aut illo homine reali, sed de homine in cõmuni reali, ergo est à parte rei vniuersale. Nec Plato satisfecisse ex toto huic quæst. per ideas mihi videtur, sed D. Thom. in opusc. de ente & essen. dicens; quod homo vt in intellectu est vniuersalis, vt in re, singularis: præcise autem sumptus nec vniuersalis nec singularis, & sic est obiectum scientiæ. Idem dic de omnibus obiectis scientiarum realium.

De Tranſcendente.

Art. III.

DEFINITIO.

Tranſcendens eſt terminus, vniuerſaliſsimam communitatum omnium rerum communitatem ſignificans: proptereaque in oratione prædicabilis immediatè de omnibus diuerſis generibus in quid analogum, vt ens, verum bonum & vnum.

DECLARATIO.

TRanſcendentes quidem ſunt tres, ens, verum, bonum: quæ ſunt obiecta, primum poteſtatis, ſecundum ſapientiæ, tertium amoris. Datur & vnum, quartus tranſcendens, qui eſt obiectum omnium primalitatum, quidquid enim reperitur in mundo, aut cogitatur, eſt ens rei vel rationis, quatenus habet eſſe in anima, vel extra à natura vel arte. Item eſt verum quatenus eſt ſimile ideæ, vnde deriuatur, vt gladius eſt verus cum ideæ artificis, iam adæquatur. Omnia autem vera ſunt, ſi ideis diuinis correſpondent. Deus autem per ſe verus eſt. Sunt tandem bona quatenus voluntati ſuæ cauſæ correſpondent: licet enim calor ſit malus frigori, non tamen eſt malus Deo, neque mundo, Dei ſimillimo. Omnia enim vt ſunt, ſunt bona.


Eſt & vnum quatenus in ſe indiuiſum eſt, & idcirco aptum ſeruari. Neque enim numerus & res diuiſæ, ſunt quatenus diuiſæ, ſed quatenus vnitates.

Addunt peripatetici quintum & ſextum tranſcendens,

Res, Aliquid. Quidquid enim eſt extra nihil, eſt res, & eſt aliquid. Sed cũ Res dicatur ſolum de ente reali non rectè dicitur tranſcendens, quia ad ens rationis non extenditur, ideò ſub tranſcendens dici poteſt. Nec Aliquid tranſcendens eſt, vt patuit in noſtra Metaph. quoniam ly Aliquid dicit aliud quid ab aliis: Deus autem non eſt aliquid, ſed omne ens eminenter: ſed forſan quatenus res omnes createç participant non ens, receduntque per hoc à Deo, Deus poteſt dici Aliquid, quia non eſt non entitas rerum. At non eſſe non ens, eſt eſſe maximè ens. Propterea ly Aliquid impropriè de ipſo dicitur, metaphyſicè loquẽdo. Liceret quoque dicere, quod ly Hoc, & ly Quid, & omnia pronomina ſint tranſcendens: nihil enim eſt, quod non ſit, hoc, & quid, & illud, & ego: ſed iſta vocabula nihil dicunt præter vnum, & ens, pro vt indicantur.

ADNOTATIO.

VOcabula tranſcendentalia, quando ſumũtur vt partes eſſentiæ & non vt totum, non ponuntur in modũ totius. Quapropter poteſtas, ſapiẽtia, amor, quatenus eſſentiant apud Ambr. Aug. non ſunt tres res, nec tria entia, nec tria bona, nec tria vna, nec tria vera, nec tres eſſentiæ, ſed tres realitates, tres entitates, tres &c. eiuſdem rei, entis &c. ſed in homine, ente, noſcente, amante, intrinſecus, non ſunt tres humanitates, quoniam humanitas eſt quid totum vt eſſentia, & res & ens, non ſicut entitas ac eſſentialitas &c. Quapropter cum dicuntur res tres intelligo realitates eiuſdem rei, & ſic in Deo eſſentia eſt res vnum ens &c. attributa verò vt particulariter ſignificant, ſunt realitates, entitates, &c. Quapropter in generibus & ſpeciebus, quoniam ſignificant vt totum, non dices tres corporeitates eiuſdem corporis, ſed tres entitates. Nec tres animalitates ſed tres animalis realitates, entitates &c. niſi quis ſapiat aliter abuſiuè.


ens
potest
trans-
cend.
volit.
bonum
veru
N
sub transc.
reale
Artif.
res
ens
rõnis
Finita
Finit.
aliquid:
hoc. illud.

DECLARATIO II.

DEfinientes ergo diximus, quod sit *terminus communissimus*, quasi communitatem genericam notionis eius cum aliis notando non rei: ergo dicit quidquid est intra vel extra mentem, quoniam aliud est ens reale, vt homo, aliud rationis, vt negatio & relatio, & notio: quæ à ratione nostra inuenta sunt, & de his dicitur ens verum, &c.

Dixi, quod *prædicatur de diuersis generibus*, quoniam genera non differunt aliqua differentia: sed diuersa sunt per modos essendi, vt patebit. Dixi *immediatè*, quoniam de speciebus, & indiuiduis dicitur, sed quatenus prius de generibus: non enim Petrus & homo essent ens, nisi animal esset ens.

Dixi *in quid analogum*, ad differentiam quiditatis vniuocæ qua genera predicantur. Ratio enim quiditatiua animalis competit pariter homini, & leoni, & equo, licet perfectior fiat in homine propter additam rationalitatem; sed ratio entis, quæ est esse, prius, & essentialiter conuenit Deo: cæteris verò rebus participatiuè, non enim entia sunt nisi quatenus sunt signa idearum & effectus primi entis, sicut vrina non est sana, nisi quia est signum & effectus sanitatis animalis.

Dicuntur itidem entia proportionalitate. Nam sicut Deus est, ita & creaturæ sunt in esse suo, & sicut substantia est ens per se, ita & accidens est ens per aliud, & quamuis in analogia attributionis ponatur in ratione participantium ipsum participatum, vt animal in ratione vrinæ in quantum sana: non autem Deus in ratione creaturarum: hoc euenit, quia definitiones philosophorum sunt imperfectæ: Theologicæ verò quæ vsque ad primam causam eleuantur, ponunt Deum in definitione Angeli, & mundi, & animæ, vt in Metap. probatum est.

De essentia, & existentia.

DECLARATIO III.

ENs dicit aliquando essentiam, vt humanitatem: aliquando existentiam, vt hominem esse in rerum natura. Essentia est ab eo intellectu, qui est causa, vt essentia domus est idea artificis; quæ recipit existentiam, dum lapidibus, cæmentis exprimitur per ædificationem; non autem est in intellectu causato: non enim humanitas in mente mea est essentia, & idea, sed quid ab ideato homine in me impressum, repræsentans ideatum, & per illud ideam. In diuina autem est causaliter: vtrum autem distinguantur, diximus in Metaphysicis, quod sicut terminatum & terminus in natura. Sed essentia vt in causa distinguitur realiter ab existentia extra causam.

De Genere.

Art. IV.

GEnus quoque multiplex ęquiuocumque nomen: nam dicitur genus principium generationis, vt masculus & fęmina; hinc Grammatici acceperunt genus fæmininum, & masculinum, & extenderunt ad neutrum, & promiscuum. Dicitur & principium multorum, ordinem ad inuicem ab illo vno trahentium apud politicos. Vt Israel est genus Israelitarum, & Dominicus Dominicanorum. Eadem ratione, & patria genus est, vt Venetia Venetorum, & Germania Germanorum. Dicitur & genus collectio multorum dependentium ab vno principio per cognitionem ordinatim, vt Romanorum genus, & Iudęorum: & ita assumpserunt Logici per translationem nomen generis, etenim

Definitio.

Genus est terminus significans similitudinem essentialem multarum communitatum particularium, & propterea prædicatur de pluribus differentibus speciebus immediatè in eo quod quid.

DECLARATIO.

POsui *terminum* loco generis; quoniam omne genus est terminus, & non è contra. Alij dicunt, quod *est natura communis prædicabilis de pluribus*; & decipiuntur, quoniam natura illa non reperitur, nisi in mente Dei idealiter quæ non prædicatur de speciebus, sed efficit species.

In rerum natura est similitudo essentialis specierum; quam intellectus considerat, & donat vno nomine; quod mox prædicatur de similibus: & quidem non prædicaretur, nisi significaret id, quod est in illis, de quibus prædicatur eodem modo. Est enim similitudo influxus vnitatis, quam sparsam in multis colligit intellectus, & vno nomine donat, ac prædicat de illis. Neque tamen genus prædicatur, vt est terminus, sed vt significat illam vnitatem à multis participatam.

Dicitur *de pluribus* ad differentiam transcendentis, quod prædicatur de omnibus. Genus enim est aliquod ens, non autem totum ens.

Dicitur *differentibus speciebus* ad differentiam speciei, quę de pluribus indiuiduis differentibus numero prædicatur.

Non dixi *differentibus specie*, sed speciebus: quoniam species non differunt specie, sed differentiis specificis: quod Porphyrius non considerauit.

Dixi *differentibus*, quoniam non prædicatur de speciebus diuersis, sicut transcendens.

Dicitur *in quid*, ad differentiam differentiæ, & accidentis, quæ prædicantur *in quale*. Nam similitudinem essentialem specierum significat genus, & non accidentalem, neque qualificatiuam.

Dicitur *immediatè*, quoniam & de indiuiduis prædicatur, sed mediante specie. Sic color prædicatur de albedine, & nigredine, & animal de homine, & leone: & significat in quo istæ species conueniunt.

Vnde si quis roget, quid est homo? respondetur, animal. Qualis? rationale, vt mox patebit.

De specie.

Art. V.

DEFINITIO.

Species ergo est terminus, significans communitatem, & similitudinem essentialem indiuiduorum, & propterea prædicatur de pluribus, differentibus numero, in eo quod quid.

DECLARATIO.

INdiuidua sunt singularia, prout declaratum est in præcedenti cap. Ponitur *terminus* loco generis, vt supra.

Ponitur *significans*, quia terminus non prædicatur nisi, vt significat realiter; non enim Petrus est species: sed est homo, realis, non vocalis, & mentalis, prout in termino concluditur.

Dicitur

Dicitur de pluribus differentibus numero ad differentiam generis.

In quid ad differentiam accidentis, & differentiæ.

Sunt enim eadem numero, vt Cæſar & Imperator, & Marcus & Cicero, & Petrus & ſuum accidens, aut proprium aut ratio. Sunt eadem ſpecie, quæ ſub communitate ſpecialiſſima continentur diuerſa numero, vt Petrus & Paulus ſub homine: hic aſinus, & ille aſinus ſub aſino.

Eadem genere quæ ſub eodem genere iacent, & differunt ſpecialiter, vt aſinus & homo ſub animali: ſub eodem generaliſſimo, vt homo & corpus & Planta. ſic è contra dicuntur alia numero differre: alia genericè, alia ſpecificè.


NOTANDVM.

At quidem ſpecies dicitur multipliciter p. pro apparentia & colore, vt ſpecies ignis eſt lux. Alio modo pro forma & diſpoſitione, vt ſpecies Virginis pulchræ. Item & pro idea, vt ſpecies domus in mente: & tandem pro particularitate, quomodo pulchritudo particularizat, & ab ipſa ad omnem particularitatẽ deriuatur. vt Iuriſconſulti dicunt delictum in ſpecie: & ex hoc tranſlatum eſt vocabulum, vt communitas particularium indiuiduorum vocatur ſpecies, ſicut communitas communitatum genus: & non à pulchritudine. vt dicunt Peripatetici, niſi remotè: ergo ſpecies vt ſpecies prędicatur de indiuiduis, & ponitur ſimul ſub genere, & de ea genus prædicatur.

De generalissimo & specialissimo & subalterno.

PRopterea sciendum est, quod in prædicabilibus datur genus generalissimum supra quod non est aliud genus, nisi transcendentia; quæ non sunt genera, sed de omnibus generibus prædicantur, itaque est genus ita quod non est species. Datur & species specialissima quæ ita est species, quod non est genus, quoniam sub ipsa tantummodo indiuidua reperiuntur. Dantur verò in medio genera, & species; quæ dicuntur subalterna: quoniam respectu communitatis superioris, sunt species; respectu inferiorum, sunt genera, vt animal est genus respectu hominis, & equi: species respectu corporis, & substantiæ; substantia autem semper est genus: vti homo semper species, vt patet in arbore ista.

Sunt generalissima decem, vt in prædicamentis patebit: species verò innumeræ.


Substantia
ḡnalissimū
corporea.
incorporea
corpus
Substant-
iale
animatum
inanimatum
corpus
animatū
Sensitiuum
insensitiuum
animal
rationale
irrationale
homo
spālis.
particularis
aliquis
homo
singularis
indiuidualis
Plato
Petrus
hic homo
hoc animal

De Indiuiduo vago.

Art. VI.

DEFINITIO.

Indiuiduum vagum est terminus, significans existentiam incommunicabilem, communem omnibus indiuiduis signatis, & propterea prædicabilis de pluribus distinctis numero in quid particularizatum.

DECLARATIO.

QVoniam hęc domus est aliqua domus, ac domus in mente domificatoris est per se domus, & non aliqua & sic homo in idea Dei est homo veriùs quàm in natura, in qua est potius aliquis homo, & ly aliquis conthrait omne ens ad existentiam particularem diuisam & incommunicabilem Singularia autem omnia habent hanc existentiam incommunicabilem. Proptęrea cum sit communis singularibus terminis significans existentiam, erit prædicabilis & vocatur à Peripateticis indiuiduum vagum, & D. Thomas prædicat illum sicuti speciem: nam Petrus est aliquis homo, sicut est homo.

Definitio indiuidui signati.

Indiuiduum signatum est termiuus significans personam seu singularitatem cuiusque rei finitæ: ideoque prædicabilis de vno solo: vt Petrus est Petrus & hic homo & tu.

NOTABILE.

Dicitur etiam indiuiduum ſignatum perſona, quia per ſe ſonat aliquid ab aliis diſtinctum. Dicitur etiam ſuppoſitum, quia ſupponitur ſpeciei; dicitur & hypoſtaſis Græcè quaſi indiuiduum.

De prædicabilibus, quæ poſſunt eſſe communia et ſingularia.

Art. VII.

De differentia ſecundum diuiſiuam operationem notionum.

Poſt quam diximus de communitatibus particularibus & vniuerſalibus, ſumptis ex ſtrictioribus & amplioribus rerum cognationibus, & ſimilitudinibus eſſentialibus: de differentiis earum, quibus ab inuicem ſeparantur per operationem animæ, diuiſiuam notionum, dicendum eſt. Si enim differentiæ non reperirentur, omnia eſſent vnum, vt dicebat Parmenides, ſicuti ſi nulla eſſent conuenientia: nulla eſſet vnitas, ſed omnia eſſent nihil.

DEFINITIO.

Eſt quidem differentia largè ſumpta omne illud, quo res & non res ab inuicem diſtinguuntur, ſeu opponuntur.

DECLARATIO.

Est enim oppositio alia contradictoria, quæ est inter ens & non ens: alia diuersificatiua, quæ inter genera entis: alia differentialis quæ inter species: alia singularis, quæ inter indiuidua, alia variatiua quæ accidentaliter distinguit. Alia relatiua. Et omnes istæ impropriè vocantur differentiæ, vt suo loco docebimus: sed propriè dicta.

DEFINITIO.

Differentia est terminus, significans id, quo per se diuiditur genus, & constituitur species: prædicaturque de genere disjunctim, & de specie copulatim, & conuertibiliter, & de indiuiduis sicut species, in quale quid.

DECLARATIO.

Nam alia est differentia accidentalis separabilis, vocata propriè Alteritas & varietas: quæ facit id, cui inest, alterum à se vel ab alio: diuiditque accidentaliter, & non per se essentialiter; vt esse iuuenem facit differentiam idest varietatem à sene, vel ab alio, & esse sanum ab egro, & sedentem à non sedente. Alia est differentia accidentalis illata inseparabilis, vt cicatricem habere, monoculum esse: quæ etiam facit alterum accidentale, & semper: ideoque & ipsa indiuiduis inhæret. Alia est differentia inseparabilis ab intrinseca manans natura, siue indiuidui, siue speciei, siue generis & prædicatur per se, non tamen prorsus essentialiter, vt risibilitas de hominis specie, manducatiuum de animali, & maximum esse inter planetas de sole: & omnis proprietas vt facit differre, dif

ferentia eſt. Tandem datur differentia eſſentialis, quam vocant maximè propriam Peripatetici: & hæc eſt, quę diuidit genus, & conſtituit ſpeciem, & eſt pars definitionis ſpeciei, & facit aliud non alterum, vt rationale & irrationale diuidunt animal: & conſtituunt hominem & brutum. Rationale enim eſt hominis differentia, per quam eſt aliud ab aſino, & intrat definitionem hominis ſimul cum genere; eſt enim homo animal rationale. Sic diuerſitas diuidit tranſcendens, & conſtituit genera: & ſingularitas diuidit ſpeciem, & conſtituit indiuidua.

Differentia eſſentialis prædicatur de ſpecie cuius eſt differentia cōuertibiliter, vt omnis homo eſt rationalis, & omne rationale eſt homo. Item prædicatur de omnibus de quibus prædicatur id, cuius eſt differentia, vt rationale de Petro & Paulo, ſicut homo: & ſenſitiuum de animali, & de contentis ſub animali, ſicut ly animal. Quapropter inconſiderate Porphyrius differentiā dicit prædicari ſolum de differentibus ſpecie; hoc enim verum eſt de generica, non de ſpecifica: aliæ enim diſtingūnt genus ſuperius: vt animatum & inanimatum diuidunt corpus: aliæ inferius, vt rationale & irrationale diuidunt animal. ergò dicendum eſt abſolutè, quod prædicatur de quocunque prædicatur id, cuius eſt differentia.

Et quidem prędicatur copulatiuè de ſpecie & indiuiduis: dicimus enim, homo eſt rationalis, & Petrus eſt rationalis. at de genere diſiunctim: non enim dices, animal eſt rationale: ſed animal eſt res rationale, vel irrationale. omnis enim prædicatio eſt æqua de æquis, vel ſuperioris de inferioribus.

Additur tandem, *In quale quid*: quoniam differentia dicit eſſentialem qualitatem ſpeciei, quam conſtituit.

NOTANDVM I.

Porrò Genus, ſpecies & differentia idem ſignificant materialiter. Animal enim in ſe includit hominem & rationale: ſimiliter homo, animal & rationale: & tan-

dem rationale includit in ſe animal & hominem, vt docet D. Thom. ſignificare enim materialiter eſt quidquid primo, & ſecundario, & quomodolibet per aliquod nomen importatur. ſignificare formaliter, eſt quod primò & determinatè importatur, & ideo diſtinguuntur formaliter in ſignificatis, quoniam genus importat quidquid eſt in ſpecie, & definitione, indeterminatè & quaſi materiam, vt lignum. Differentia verò quaſi perfectionem formalem, vt lignum triangulare; ſpecies quaſi aggregatum ex his implicitè. Definitio verò aggregatum explicitè. Animal enim videtur eſſe quaſi materia hominis, rationale quaſi forma. homo, vt compoſitum, & vtrumque ab vtroque importatur. Sed communitas maior eſt animal & plurium contentiua per differentias contrahibilis ad pauca: ſiquidem genus eſt materia confuſa in notionibus, differentia eſt forma diſtinguens, contrahens, & qualificans illud.

Contractio autem participatione non entis fit. Omnis enim differentia eſt terminatiua entis per non ens. Homo enim per rationale eſt non aſinus, non lapis &c. Vnde in Metaph. diximus, quodlibet aliquid, ens, hoc eſt finitum, & creatum ex eſſe, & non eſſe conſtare: & ideò in aliquo genere eſſe: Deum verò extra genera, quia nullam compatitur ſecum nihilitatem; ſed eſt eminenter quidquid poteſt eſſe, & cogitari.

NOTANDVM II.

SCire decet, quod quamuis homo per hoc quod eſt animal, differt à lapide, non propterea animal eſt differentia, quoniam non virtute ſua formaliter, vt genus eſt, facit differre, ſic enim eſt vnitiuum; ſed virtute differentiæ, quam includit materialiter, & qua conſtituitur formaliter, quæ eſt animatum; Nec Petrus differt ab aſino quia eſt homo, ſed quia eſt rationalis, licet in homine inſit differentia hæc.

De definitione vt prædicab.

Art. VIII.

SCiendum quod definitio formatur ex genere, & differentia, non ponitur prædicabile distinctum, sed vt prædicabile.

Est terminus complexus ex genere & differentia, prædicabilis conuertibiliter de definito, & de suis suppositis, vti & definitum: sed in quid qualificatum essentialiter.

DECLARATIO.

ID ratione differentię additum est.

Omnes autem differentiæ, quæ definitiones non intrant, prædicantur in quale accidentale, vel in quomodo, vel in quantum, quando, vel vbi: sed quia differentiæ essentiales sunt ignotæ, vtimur interdum accidentalibus inseparabilibus, & affectibus propriis ad circumlocutionem eius. De his nos proprius expectat sermo.

De proprio, deque multiplicitate proprietatum.

Art. IX.

DIcitur proprium quidquid distinguitur cōtra commune: nam inest ei cuius est proprium, & non aliis sicut illud. & hoc multiplex. Nam

DIVISIO.

Aliud est proprium indiuiduale, vt Marcum ægrotare pedibus: Ideo dicitur Agrippa, & Ouidium magnum nasum habere: vnde dictus est Naso: & Beniamin nasci moriente matre, ideoque interpretatur filius doloris. Aliud proprium speciei, vt hominis esse Grammaticum, & corui crocitare. Aliud generis, vt animalis respirare, & corporis esse in loco.

OPortet etiam quodlibet horum distingui. Nam aliud competit soli, sed non omni suo consimili. Aliud omni, sed non soli. Aliud soli & omni, sed non semper. Aliud omni & soli & semper: & hoc est maximè proprium, vt esse Grammaticum soli homini competit, & respirare soli animali: sed non omni homini, neque omni animali: multi enim rustici non sunt Grammatici, & pisces aliqui non respirant.

Item esse nigrum competit omni coruo, & esse calidum omni igni, sed non soli, nam & carbo est niger, & aer est calidus Item frondescere competit omni arbori, & soli, sed non semper, nisi in vere; & luminaribus eclipsari, non tamen semper, nisi in synodis, & diametris ad nodos. Tandem esse risibile conuenit omni homini & soli, & semper in aptitudine, licet non in actu rideat, & tenebricosam esse omnem materiam actu licet tecta sit eius nigredo mistura albori s: sed per se lucere soli competit soli & semper. Ignis enim ab ipso est: & annuam circulationem facere eiusdem & semper est proprium, sicuti lunæ menstruam.

Sed quidem alia proprietas fluit ab essentia rei, sicut

risibilitas à rationalitate in homine. Alia ab ordine vniuersi sicut corpori omni & soli & semper coloratum esse, & tamen in quantum corpus non manat colorem, sed in quantum subiicitur colorantibus calori & frigori; neque sol inquantum sol eclypsatur sed in quantū luna inter ponitur. Similiter proprium est Saturni altissimum esse Planetarum; sed hoc habet ab ordine rerum non à sua essentia: sed tamen in essentia requiritur idoneitas, vt in tali ordine locetur.

Item considerare licet, quòd quamuis homini omni, & semper conueniat esse animal: non tamen animal est proprietas eius secundo modo. Est quidem genus commune, sed induit nomen proprietatis, quatenus in se differentiam claudit. Omnis enim differentia etiam simul proprietas est ea ratione, qua proprium distinguit commune. Rursus differentia essentialis est proprietas radicaliter formaliter, quoniam ab ipsa emanat proprietas. Omnia autem latent in principiis suis, sic & rationale est proprium 4. modo ipsi homini; dicitur etiam animal esse proprium genus homini, & rationale propria differentia, vt risibilitas propria proprietas, aliqua supradictarū proprietatum. sed verè proprium est risibilitas: & quod ex innata fluit virtute. Vocant ex hoc Iurisconsulti proprium in Politica, quod iure aliquo conuenit alicui soli, vt Petro suademus. Apud Grammaticos verò suum nomen.

Definitio proprii

Est ergo proprium terminus significans rerum conditiones, peculiares, & ideo prædicatur de illis conuertibiliter, & de suppositis, sicut illæ, in quale accidentale per se.

DECLARATIO.

Dixi *conditiones, siue generis, siue speciei, siue indiuidui*, ad ostendendum, quod dum res conditur, sortitur suam proprietatem essentialem, de qua est sermo.

Dixi, *peculiares*, ad differentiam communium, quas significant genus, & species essentialiter, & accidens accidentaliter.

Dixi, *prædicatur conuertibiliter*, ad differentiam proprietatum communium & propriorum primi & secundi modi.

Dixi *& de suppositis*, ea ratione, qua supra loquens de differentia.

Dixi *in quale accidentale*, ad differentiam differentiæ quę prædicatur in quale essentiale.

Dixi *per se*, ad differentiam accidentis, quod prædicatur in quale accidentale per accidens. Accidit enim homini esse album & hirsutum. Ridere autem per se inest, idest fluit ab essentialibus principiis.

NOTANDVM.

Qvatruplex enim est prædicatum per se, idest necessaria & essentialis aut definitionis, vel partis eius, puta generis, vel differentiæ, de definito, vt homo est animal, vel rationale: aut propriæ passionis de subiecto, & è contra, vt homo est risibilis, & asinus rudibilis. Aut effectus de propria causa, vt ædificator ędificat, calor calefacit. Aut quando negatur consortium, & subiectum, vt Petrus per se trahit nauim, idest solus, & non cum alio, & homo per se existit, idest solitariè absque subiecto, sicut album, quod existit in subiecto. Et iste modus perseitatis est ad primorum similitudinem: quoniam per se dicitur, quod non aliunde habet vt sic sit, aut operetur.

Datur etiã prædicatũ secundum quod ipsum, per quod explicatur: & per ly inquantum, & quo & quatenus, vt homo secũdum quod homo, est rationalis, & calor calet.

& potentia potest, & triangulus habet tres. Addit autem supra ly per se conuertibilitatem essentialitatis, homo enim per se est sensitiuus: sed non secundum quod hom o sed quatenus animal: nam non omne sentit, est homo. Sicut omne rationale.

De accidenti.

Art. X.

DEFINITIO.

Propterea accidens est terminus significans id quod rebus accidit præter earum essentiam, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem, aut ordinem, aut consuetudinem, et ideò prædicatur de eo, cui accidit in quale accidentale, vel quantum, vel quomodo, vel &c. per accidens..

DECLARATIO.

IN hac definitione complectente omnia prædicamenta accidentalia, ponitur *terminus significans*, loco generis.

Pono *præter essentiam*, quoniam quod est de essentia est definitionis pars, vel proprietas, & nullo pacto accidit, sed est de complemẽto essentiæ. Ergo hæc prædicata sunt accidentia: homo est albus, est currus, est Grammaticus, est sedens, est longus, & in platea &c. quoniam non sunt de essentia.

Dixi *rebus accidit*, quoniam respectu cuiusvis rei datur accidens, ita quod & substantia est accidens aliquando, sicut hæc, triangulus est ligneus, linea est alba, hæc albedo est in homine, domus est lateritia, vel lapidea. nam

triangulo accidit esse ligneum: si enim essentiale esset illi ligneum esse, non posset reperiri, nisi in ligno: & accidit domui esse lateritiam, quamuis lateres sint substantia. Sumitur enim prædicabile accidentale ex eo quod distinguitur contra essentiam, non contra substantiam.

Dixi *præter potentiam*, quoniam accidit imbecilli nano occidere gigantem, & non inest ex sui natura, vt differentia, & proprietas.

Dixi *præter intentionem*, quoniam quæ intenduntur à natura vel ab intellectu per se fiunt: sic ergò accidit naturæ facere mostrum: & fodiendi sepulchrum inuenire thesaurum.

Dixi autem *præter voluntatem*, quoniam multa, quæ non intendimus, tamen volumus. non enim est præter voluntatem inuenire thesaurum fossori, licet sit præter intentionem: neque est præter intentionem nautæ proiicere merces in mare, licet sit pręter voluntatem.

Dixi *præter ordinem naturæ*, vt cum pluit sub cane dicitur accidens. & cum in hyeme floret arbor.

Addidi *præter consuetudinem*, vt accidit Sanatus Veneto iniusta facere: ex quibus patet, quod aliquid est de essētia, & intentione, & voluntate, & ordine respectu vnius rei, & non respectu aliarum, vt lignum est de essentia arboris, & non circuli: inuenire thesaurum de intentione scientis ibi latere, & non de nescientis. Verberari discipulum de voluntate magistri, & non discipuli: pluere sub cane de ordine Dei & non solis & terræ: & iniustitia Veneti Senatus de consuetudine iniusti. omne enim per accidens reducitur ad suum per se: & omne per se ad secundum quód ipsum.

NOTANDVM I.

Porrò sciendum quod accidens propriè dicitur, quando subiecto præter essentiam inest. Sed quando præter potentiam, dicitur sors: quando præter intentionem, casus: quando præter voluntatem fortuna: quando

præter ordinem, & consuetudinem dicitur contingens: & casuale ac fortuitum, vt in Me. taphys. dictum est.

Ponitur, quod *prædicatur de eo, cui accidit*, quoniam semper accidit ferè indiuiduo, & singulari non enim quod toti Speciei, aut generi inest, est accidens, sed proprietas, vel essentia aut ab his fluens: non enim accidit coruo esse nigrum, sed esse album, ponitur tamen inter prædicata accidentalia; quoniam non intrat essentialem rationem corui. vel dic, omne accidens sequi principia indiuidualia existentiæ & non specifica, nisi ratione indiuidualium.

Dixi *per accidens* ad differentiam proprii quod per se prædicatur.

NOTANDVM.

TRiplex est per accidens prædicatio, aut quando prædicatur accidens de subiecto, vt homo est albus: aut è contra vt album est homo. Aut accidens de accidenti, vt album est Musicum, & quidquid opponitur ei, quod diximus per se; vt Medicus ædificat per accidens, quia non in quantum Medicus; & Petrus trahit nauim per accidens, hoc est, per alios vt per nautas. Sed hoc minus pertinet ad hoc prædicatum: sic sol frigefacit per accidens: & frigus per accidens calefacit, quando cogit calorem roborari, & ignis per se liquefacit, & per accidens indurat.

Non ergo sumitur in hoc loco accidens pro eo quod opponitur substantiæ, sed essentiæ cuiusque rei. Essentiæ enim circuli accidit esse plumbeum. sic ideis omnia videntur accidere apud Platonem. Nam domui, quæ est in mente domificatoris, accidit fieri lapideam extra: sicut homini in mente Dei fieri carneum: sed hoc verum esset si humanitas carneam materiam sibi non vendicaret. vt dictum est in Metaph & propterea accidens non modo prædicatur in quale per accidens, sed inquantum & quomodo, & in agere & pati, & in omni prædicamento. in

omni enim interrogatione poteſt reſponderi per accidens, vt circulus de quo eſt? Reſp. Ferreus: quantus eſt? quid agit? quid patitur? cui ſimilis &c. vide quæſtiones in Topicis.

NOTANDVM.

ALiud accidens eſt inſeparabile, vt candor in cigno: Aliud ſeparabile, vt ſedere, & album eſſe in homine.

CORRECTIO.

PEripatetici autem dicunt, *Accidens eſſe id, quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem*: Et *quod contingit eidem ineſſe, & non ineſſe*, vt ſedere, ægrotare &c. ſed hæc definitio etiam in Phyſica eorum eſt erronea. Nam calor febrilis, & mors & combuſtio adueniunt cum ſubiecti corruptione, & tamen accidentia ſunt. Item calor corrumpit aquam in vaporem, & tamen illis videtur accidens Imò dicunt, quod vni eſt ſubſtantia, alteri non eſſe accidens, at falſum: nam eſse ligneum ſubſtantia eſt plantæ, circulo verò accidens. Congelatio quoque accidens eſt aquæ, & tamen deſtruit aquam.

Item omnes formæ ſubſtantiales accidunt materiæ præter eius corruptionem.

Propterea alij dicunt quod adeſse & abeſse ſumuntur logicè, ita quod ſenſus eſt. Accidens eſt cuius affirmatio & negatio non deſtruunt ſubiecti definitionem. nam ſiue dicatur coruus eſt niger, ſiue albus, non propterea hæc ratio (*coruus eſt animal volatile crocitans*) deſtruitur. Hac etiam ratione differentię ſpecificæ prædicantur per accidens de genere, & omne inferius de ſuperiori. Nam ſiue dicas, eſt ens per ſe, ſiue non per ſe, remanet tamen Ens: & animal eſt rationale, & eſt non rationale, tamen remanet definitio animalis. Primo animal eſt corpus animatum ſenſibile.

Hæ

Hæ rationes acutæ ſunt; ſed non ad mentem Ariſtotelis, vnde eas acceperunt; vt totam definitionem realem transferunt ad intentiones; quoniam fallax eſt illa propotio. *Quod vni eſt ſubſtantia, alteri non eſt accidens*, &Porphyrius errauit vt meliores probant. Mors autem (aiunt) & combuſtio non ſunt prædicata accidentalia, ſed remota. Verum nihil dicunt de febri, quæ eſt accidens poſitiuè Propterea Ammonius calorem febrilem putat eſſe ſubſtantiam, nos autem calorem & frigus eſſe de conſtitutione rerum, & intentione naturæ: ſed ſatis ad præſentem tractatum.

De prædicabilibus negatiuis, & de repugnante prædicabili.

Art. XI.

DIctum eſt de prædicabilibus affirmatiuis, nunc de negatiuis dicere oportet. Et quoniam oppoſitorum eadem eſt diſciplina; ſicut affirmatur genus, & ſpecies in quid, ita etiam negatur in quid, ſimiliter homo eſt aſinus, vel albedo eſt falſa prædicatio in eo quod quid. At cum dico, homo eſt mortuus, ſi ly homo ſupponit pro eo, qui non eſt amplius homo, ſed vocatur nomine hominis, quòd fuit, quia non eſſe per eſſe indicamus, eſt prædicatio per ſe, ſicut ædificator ædificat, & interfectus interiit, quoniam non eſſe eſt de eſſentia non entis, ſi autem ſupponit pro eo qui fuit homo eſt prædicatio repugnans.

DEFINITIO.

Repugnans autem eſt terminus indicans effectum impotentiæ vel non entitatis, vel finitatis, quam omne finitum ens participat, & ideo prædicatur per ſe ex parte exiſtentiæ, quoniam fluit ab impotentia poſſe mori, ex parte verò eſſentiæ per accidens.

DE PRÆDICAMENTIS generatim.

CAP. V.

Vtilitas Prædicamentorum, & ratio ipsa instituendi.

Art. I.

QVoniam essentiæ rerum puræ non reperiuntur in mundo sensibili, sicut in intelligibili: sed mixtæ sunt, vt nescias, quid cuique essentiale, aut proprium & accidens sit. Animal rationale, videl. & circulus & albedo nunquam reperiuntur, sed humanitas mista est cum calore, sapore, & figura, quantitate, actione: sic circulus est mistus cum ligno vel lapide, vel aqua & cum albore, rubedine. Albedo verò cum pariete, & carne, & circulo, & homine, & sic de cæteris. Propterea fit vt alterum de altero prædicetur. Prædicatio autem affirmatiua indicat rerum coniunctionem; vt homo est albus, indicat albedinem homini coniunctam esse, sicut negatiua disiunctionem: vt homo non est volatilis, indicat volatum & alas homini non esse coniunctas.

Verum enimuerò coniunctio est rerum diuersarum secundum essentiam, & horum est prædicatio: sed quia homo cognoscit res ab extrinseco, transtulit prædicationem ad ea, quæ non sunt coniuncta, nisi notionaliter, sed sunt vnum: vt cum dico, homo est rationalis: non enim rationale est coniunctum homini sicut res rei cum sit ipsemet homo; sed iunguntur, sicut notio notioni eiusdem rei: sic cum dico, Deus est bonus, videor coniungere bonitatem cum Deo, quæ tamen est ipse Deus, non per con-

iunctionem, ſed per eſſentiam. Vt ergò abſque confuſione, quid cuique enti conueniat ſecundum eſſentiam ſuam & ſecundum coniunctionem & per accidens, & rerum naturas, prout homini datur in hac vita, agnoſcamus, ſcientias venando, & doceamus communicando, oportuit ipſas eſſentias ad quaſdam coordinationes redigere, & ſuis communitatibus ſpecificis & genericis ordinare, & differentiis & proprietatibus ſigillare. Vocantur autem à Peripateticis hæ coordinationes, Prædicamenta: prout ab Archita Tarentino acceperunt, quia prædicabilia in eis adunantur; quæ ſunt termini incomplexi ſignificantes rerum communitates maiores & minores, vt dictum eſt. Prædicamenta autem non differunt, ſed diuerſa ſunt, quoniam ſub nullo genere vniuoco conueniunt, nec inuicem tranſmutantur, ſed ſub diuerſis generaliſſimis ordinantur, quæ ſub Ente tranſcendenti reperiuntur.

Ex quibus & quæ fiunt Prædicamenta.

Art. II.

INdiuiduorum fieri prædicamentum non poteſt, ſed geneologia, quoniam de ſeipſis pręedicantur tantum, vt Petrus eſt Petrus: quæ prædicatio nihil notificat, niſi quando aliquid latens notatur, vt cũ dico, hic homo eſt Petrus, vel Petrus eſt primogenitus Ionæ: vbi fit coniunctio quidem notionum & non rerũ. Item omnia notare atque notificare eſt homini impoſſibile, etiam ſi vixiſſet à Mundi initio vſque ad finem, & vbique: nec quidem Angelo, quoniam niſi perueneriint ad actum exiſtentiæ, non cognoſcuntur ab eo: ſolus Deus illa ſcit, *in cuius conſpectu* (ait Salomon) *ſicut momentũ ſtateræ & ſicut gutta roris antelucani eſt orbis terrarum.* Ergo quæcunque ſunt, fuerunt, & erunt, ſunt illi nota quaſi in momento: & peruia comprehenſaque ſicut gutta. Sunt tamen aliqua indiuidua numerabilia, vt ſeptem ſub ſpecie, Planeta, & ſub elemento, duo vel quatuor

& Sol vnus & Phenix vna. Sed tamen quæ latent in istis, sũt innumerabilia & obscura ita vt solum scias numerum. Et adhuc dubitatur à Pythagoreis, & Democraticis, & Galilæo. Et horum essentias nosse est æquè difficile ac Arenæ grana, guttas pluriarum, & lucis vias. Quapropter indiuidua sunt extra Artem Platoni, humanam dico, sed non diuinam. Fiunt distinctiones indiuiduorũ & communitates, sed per materiales differentias: vt hominum alij Europei, alij Asiatici, &c. à loco: item à temperie, alij calidi, alij frigidi, &c. Item à professione: sed accidentaliter.

Species autem quæ sunt indiuiduorum communitates, sunt numero pauciores, ideo cognoscibiliores; sed ex indiuiduorum inspectione tanquam vnum notatorum: ergo ordinabiliores & prædicamento aptiores: in multis tamen difficile. Nec enim Plinius & Theoph. & Dioscorides, & Vlysses Aldob. omnes species plantarum, aut animalium diuturno studio inuenere. Ex America & suppolaribus Regionibus & Tropicis incessanter nouæ afferuntur species. Stellarum quoque, quæ vnũ genus videbantur, & species duæ, Fixa, & Errans, iam plures species Telescopio pãduntur; & quę intra ipsas stellas sunt, rerum species nescimus: imo disputatur vtrum sint plures species hominum, Pygmei, Gigantes, Astomi, Monoculi, Satyri, Pilosi, Syrenes, &c. Metallorum species septem enumerauimus, lapidum nondum exploratæ omnes. Nec species Atomorum Lucretio patent. Nec Magnorum elementorum sine lite, sint vnum, duo, tria, aut quatuor: quorum particulæ & vires, & congressiones innumerabiles. Porrò accidentium species infinitæ, etsi videantur nobis notæ, species saporum, colorum, odorum, sonorum, & qualitatum tangiblium: Entitates tamen latent, & fortasse nec vnius qualitatis species assequeris. v. g. quæ inter densum & rarum sunt, lentor, mollities, viscositas, lubricositas, fluor, humor, vapor; & horum species multæ. At gradus caloris & concinnationis quis attinget? Et tamen ex his fiunt species quemadmodum Arythmetici numeri.

Genera autem ſunt pauciora numero, in quibus confundimus ſpecies, veluti in ſpeciebus indiuidua, vt vel ſic eorum multitudo confusè ſciatur, & ſi non diſtinctè vt in ſe ipſis. Nam in Mundo inferiori animal, planta, metallum, lapis, ſunt genera ſubalternata mixto. Cuius genus eſt corpus compoſitum, aliud ſimplex, vt ignis, aliud miſtum, vt planta. Sed ſupra corpus colligendo omnia corpora, inuenimus genus vnum, idque eſt ſubſtantia, omne enim corpus ſubſtantia eſt.

Super ſubſtantiam inuenimus tranſcendens Ens, ſub quo quidquid eſt verè ens vt ſubſtantia, vel aliquo pacto ens ſeu potius entitas entium vt accidens, continetur, vt quantitas, qualitas, vis, actus, actio, paſſio, ſimilitudo, oppoſitio, & circunſtantia, tempus, locus, cauſalitas, effectiuitas, &c. quæ non ſunt, ſed inſunt, & adſunt: vndè entia non ſunt, ſed entitates entis, cuius gratia dicuntur entia.

De Tranſcendentium prædicamento.

TRanſcendens vnum eſt omnia continens propterea ſecundum rem non facit prædicationes: non enim poteſt ſubjici, ſicut nec indiuiduum, alterum extremum, prædicari ſecundum rem. Sed ſecundum rationem plures notiones de eodem contemplante, fiunt prædicationes & prædicamentum Metaphyſicum. Ens enim conſidero dici, quia poteſt eſſe quidquid eſt, & ſic videtur obiectum potentiæ. Item quidquid eſt vt ſapientiæ obiicitur, appellatur Verum, & vt Amori, Bonum: tria ergo ſunt tranſcendentia, Ens, Verum, Bonum: & hæc de inuicem prædicantur, & de cunctis entibus. Nec te moueat quod tibi ſerpens & diabolus eſt malus: hoc enim accidit ex malitia Phyſica & morali, qua tibi aduerſantur, ſunt tamen bona in quantum ſunt entia ſicut tu es: ergo tibi ſic non ſunt contraria, ergo nec mala. Ignis etiam malus aquæ, ſed non Deo & Mundo, & enti toti: & quoniam non eſt malum vt ens, ſed vt hoc ens, propterea facere

oportet ſubtranſcendentia: Hoc, Illud, Aliquid, Rem, Notionem ideſt, Ens rationis; ſiquidem particulatitas ſeu contractio ipſorum ſecernit à Tranſcendentalitate. Ens enim verum & bonum, dicuntur de Deo & de creaturis, ſed Aliquid non poteſt dici de Deo: neque Hoc, cum non ſit indiuiduum nec ſpecies nec genus, nec aliud quid ab alijs, cum omnia contineat in ſe eminenter. Res verò dicitur ſolum de ente reali, ideo etiam ſubtranſcendens videri debet. Vnum autem omnino Tranſcendens eſt, quoniam omne ens & omne verum, & omne bonum eſt vnum, & è conuersò: eſtque entis quaſi vita. De his autem in Metaph. tractatur: at in Logica ſolum in quantum prædicabilia.

REGVLÆ.

1. Ens Verum, Bonum, Vnum, prædicantur de cunctis rebus & notionibus & de Deo Analogicè.


2. Item prædicantur de ſe inuicem notionaliter & realiter, non vt res de re, ſed realitas de realitate: Ens eſt verum, & è contra; ens eſt bonum & è contra, & ſic vnum, &c.

3. Item Tranſcendentia diſtinguũtur ab inuicem ratione, & realitate non autẽ re: & hoc dicunt Thomiſtæ ratione ratiocinata, & ſic Scotiſtæ à parte rei. Poſſumus dicere formaliter non realiter à formalitate, non à forma.

4. *Res* prædicatur de omni ente reali, ſed non rationis, Analogicè, ſicut ens rationis de omnibus artificiatis notionibus intra vel extra mentem.

5. *Hoc* Grammaticaliter dicitur de cunctis entibus rei & rationis: non autem realiter, non enim de Deo dicitur niſi Grammaticè teſte S. Thoma.

6. *Aliquid* dicitur de omni ente finito tantum; non de infinito niſi abuſiuè.


ens
transf-
cend.
volit.
bonum
N
subtransc.
reale
Artif.
res
ens
rōnis
Finita
Finit.
aliquid:
hoc . illud.

De Entis diuisione ad prædicamenta.

Art. III.

1 ENs nominaliter ſumptum dicit eſſentiam: participialiter exiſtentiam. Eſſentia eſt id quod eſt ſecundum ſe; exiſtentia eſt ſecundum alia entia. ergo quod non eſt per ſe & à ſe & de ſe, habet eſſentiam diſtinctam ab exiſtentia. Aliud n. eſt homo, & hominem eſſe; i. exiſtere extra cauſam, & cum aliis & in aliis, & ab aliis.

2. Quod de ſe eſt, omninò eſt, nec habet exiſtentiam diſtinctam ab eſſentia: nec eſt in prædicamento, in quo eſt aggregatio multorum, & hoc eſt Ens: quod autem eſt non in ſe, nec de ſe, ſed cum aliis, eſt in illorum miſtura, & prædicamento, & finitur ab illis.

3. Ens ergo primitus diſtinguitur in Ens: Infinitum, quod per ſe omninò eſt, & Finitum, quod aliquo modo eſt Ens, & cum aliis: Aliquid enim eſt.

Ens in potentia Phyſica, eſt imperfectum ens actu, ſed Metaphyſicè, ens actu eſt ipſum infinitum, cui nil deeſt quod poſſit habere: Ens potentia eſt finitum, cui poteſt addi.

4. De Ente infinito prædicatur, ens primò & per ſe & ſecundum quod ipſum. Dicitur enim ſimpliciter EST, ſicuti Moyſi reuelatum eſt, & Pythag. & Plat. ſciuerunt. De nulla verò Re Finita dicimus Eſt, niſi cum additione vel ſubaudita, quoniam non eſt omnino, ſed aliquo modo, & tempore, & loco, & ergo aliquod Ens.

5. Ens eſt, dicitúrque, analogicè de QVI EST, & de his quę aliquo modos ſunt. Similiter verum, & bonum, & vnum. non. n. ſunt entia, vera, bona, vna, niſi vt Entis, veri, boni, vnius, ſigna & effectus. veluti per ſe dicitur ſanum de Animali: de Vrina, & Dieta, & Medicina, & cibo per reſpectum ad Animal. de ſe n. non diceren tur ſana, niſi quia ſunt ſignum, aut effectus, aut occaſio ſanita-

tis

tis in animali. Sic Finita omnia entia non ſunt, niſi quia effectus & ſigna, & participium Entis: & ſecundum acceſſum & receſſum à primo graduantur.

6. Scotus ergò Logicè nimis ſpeculando facit Ens vniuocum. Quod in Metaph. concedi non poteſt. neque enim intellectus ſobrius poteſt cogitare quid etiam in notionibus prius Deo, quod de ipſo & de creaturis dicatur vniuocè: ergò non eſt ly Ens quid prius re vel ratione obiectiua, ſed ſecundum rationem tantum ratiocinantem ex parte noſtri, vt dicunt Thomiſtæ. Ego dicerem, ſecundum deceptiuam irrationalitatem. Nec æquiuocè dicitur Ens, vt Porphyr. putat: cum realis etiam ſimilitudo ſit inter cauſam primam & effectus: Genera autem & ſpecies vniuocè prædicantur.

De finiti entis diuiſione in ſua prædicamenta.

INVESTIGATIO.

Ens non diſtinguitur per ſingularitates ſicut ſpecies: nec per differentias ſicut Genera, ſed per diuerſos modos eſſendi, diuerſa genera conſtituentes generaliſsima; ex quibus per ſubalterna genera & ſpecies progredimur vſque ad ſpecialiſsimas, & indiuidua, & ſic conſtituimus prædicamenta.

DEFINITIO.

PRædicamentum eſt coordinatio prædicabilium à Generaliſſimo vſque ad indiuidua, per ſpecierum differentias progrediendo.

REGVLA I.

Diuerſorum prædicamentorum ſunt diuerſæ differentiæ, & genera, & ſpecies, & indiuidua, & proprietates realiter: nec conueniunt in ſubſtantia, nec mutantur in inui-

cem. Accidentia tamen possunt esse eadem prædicamenta, ergo sunt impermista.

2. Quidquid ponitur in prædicamento est ens reale: vel realis locum tenet, non æquiuocum, nec Metaphys.

3. Ordo prædicamentorum primò ponit indiuidua signata, super hæc ponit indiuidua vaga, super vaga species, super species genera subalterna, quæ sunt species ad superiora: in supremo est genus generalissimum.

4. Generalissimum de omnibus inferioribus siue recta in linea, siue in obliqua prædicatur, & nulli subiicitur sui prædicamenti: indiuidua verò omnibus subiiciuntur, & de nullis prædicantur. sicut nec inferiora de superioribus: non enim superiora subiiciuntur inferioribus: non enim dicimus, animal est homo, vel hic homo nisi singularitate, adæquentur.

5. Omne superius si particularizetur aut singularizetur potest subijci inferiori, dicimus.n. hæc substantia est homo, hic homo est Petrus.

6. Quidquid prædicatur de indiuiduo siue essentialiter, siue accidentaliter, prædicatur de omnibus superioribus in recta linea particularizatis, vt Petrus est homo, aut albus: ergo aliquod animal est homo, & aliqua substantia est alba.

7. Quidquid prædicatur de Generalissimo essentialiter, non autem accidentaliter, prædicatur etiam de cunctis inferioribus in recta & obliqua linea. Nam, si substantia est ens per se: ergò & homo, & Petrus est ens per se: sed non si substantia est alba, homo est albus.

8. Omnis prædicatio est æqui de æquis, vel superioris de inferiori. Nec.n. non dicam, homo est animal, vt quidam putant, sed aliquod animal: hoc.n. verum est Physicè, sed non notionaliter. Nec.n. notificaret hominem cum cæteris animalibus per essentialem similitudinem, si æqua solùm de ęquis prędicarentur.

9. Quæ sunt diuersorum prædicamentorum non prædicantur de inuicem, nisi denominatiuè accidentaliter, vt corpus est album, non autem albedo, & albedo humana est, non autem homo.

10. Quando prædicatur denominatiuè aliquid de aliquo eiuſdem prædicamenti, non fit accidentalis prædicatio, ſed ſe habent ad inuicem, ſicut pars cum toto, aut cauſa cum effectu & è contra, vt homo eſt materialis eſt carneus, eſt animatus: caro eſt humana.

11. At quæ ſunt eiuſdem prædicamenti prædicantur de inuicem eſſentialiter, notionaliter, non autem accidentaliter coniunctionaliter.

12. Prædicatio generis & ſpeciei & differentiæ, & proprij, dicitur per ſe, prædicatio per ſe, quando eſt conuertibilis, dicitur etiam ſecundum quod ipſum.

13. Quidquid ſcire homo deſiderat, videat ſub quo genere vel ſpecie ſit, & quibus differentiis conſtituitur. Item inſpicienda eſt natura primum, quæ innoteſcit conſideratis cauſis, principiis & primalitatibus, & quãtitate, qualitate, virtute, actu, actione, paſſione, ſimilitudine, oppoſitione, & circumſtantiis loci, temporis, &c. Quorum omnium conſideratio Metaphyſici eſt: hic autem ſola prædicatio inquiritur.

DECLARATIO.

Apud peripateticos additur Enti, Vero, Bono, & Vno tranſcendentibus Aliquid, & Res. quæ ſubtranſcendentia eſſe probauimus. Præterea diſtinguunt Ens, in ens rei, & rationis. Item in ens actu, & potentia. Item in ens per ſe, & per accidens, item in ens ſimpliciter, & ſecundum quid. Item in ens finitum, & infinitum. Item in ſubſtantiam & accidens. Item in decem prædicamenta, quæ ſunt Quid, Quantum, Quale, Ad aliquid, Actio, Paſſio, Vbi, Quando Situs, Habere.

At quidem clarior veriorque diſtinctio eſt in ens infinitum, & finitum: de quibus eſt entis prædicatio analoga, & quidem ens per ſe & ſimpliciter, & actu, eſt ſolum ens infinitum. Cætera enim ſunt entia per ipſum non per ſe & de ſe: & ſecundum quid, id eſt, aliquod ens, & in potentia, quia eis poteſt aliquid addi perfectionis ſaltem acciden-

talis. & hoc ens finitum distinguitur in decem genera. Prius autem in substantiam & accidens, id est, ens perfectum & imperfectum, etenim substantia dicitur ens per se, & actu, & simpliciter, respectu accidentis, quod diuidunt in nouem prædicamenta: non autem absolute, & respectu Primi Entis, respectu cuius etiam ens rationis, id est, artificiatum est omnis creatura: & propè nihil, teste Dauid Diuisio igitur Entis in reale & rationis est respectu entis quod facit Deus, & quod facimus nos. Deus enim est superens, supersubstantia superres, teste Diony. Nota quod peripatetici distinguentes ens in substantiam, & accidens debent facere duo generalissima. Accidens enim est illis generalissimum ad nouem prædicamenta. Nobis autem distinguentibus per modos essendi, accidens pertinet ad ens circunstans.

De varia prædicamentorum constitutione.

Art. IV.

VEnari prædicamenta Metaphysici est, atque disponere, hic autem prælibare modos vtiliter contenti erimus.

Ens Finitum inuenio aliud per se absolutum, perfectúmque vt homo, lignum, &c. & verari ens per se & subsistens, quoniam firmam habet essentiam sub existentia, & accidentibus ab existentia accessoriis. Aliud partiale, imperfectúmque, nisi cum alio sit, & propter aliud, & hoc vel substat, vt locus, qui est ens, vt substet locatis, quasi Basis & fulcimentum.

Aliud subest, vt materia, quæ imperfecta est, & nec est, nisi, vt formis, & causis agentibus subsit.

Aliud inest, vt forma, quæ vt materiam formet, & qualificet in tali esse est, non autem per se.

Aliud præest, vt artis potestas, calor, & frigus, qui non sunt, nisi vt agant in materia ad sui formationem, nec pos-

ſunt non agere, vt noſtri opifices ab opere abſtinentes, ſicut nec materia non materiare, nec forma non formare, nec locus non locare, &c.

Aliud adeſt, vt ſimilitudo, & diſſimilitudo, hoc eſt ad aliud eſt; vt idea, neque enim eſt idea, niſi ad ideabile, & ideatum.

Aliud coëxiſtit, vt tempus, ideſt ipſa rerum ſucceſſio; non enim poſſunt res finitæ exiſtere, niſi in ſucceſſione, & poſt non eſſe; nec tempus eſt, niſi res exiſtant. Eſſentiæ enim extra tempus ſunt.

Aliud inexiſtit, vt accidentia extrinſecus aduenientia; quæ nec ſunt in alio niſi exiſtente: eſſentia enim accidentibus caret.

Aliud prodeſt, vt finis, cuius gratia res fit, & eſt; & dicitur prodeſſe, quia procul, & vltimus eſt, iuuátque, vt res ſit cauſalitate valida, vel pro aliis eſſe, quæ ſunt ad ipſum.

Aliud extat, vt quod ex conſtitutione egreditur accidens: non ab exteriore manans cauſa: ſed propter exteriora, ad quæ fiunt quaſi egreſſiones, vocatæ proprietates, conditiones, operationes, & cætera. Non enim homo eſt rectæ figuræ, niſi vt cælum ſuſpiciat; nec oculus rotundus, & tranſpicuus, niſi, vt vndique lucem, coloratáſque res accipiat, aut admittat. Nec pedes haberet, & planos, niſi tellus exterior inambulanda foret: quapropter piſces pedibus carent. Eſſentiarum enim conditor exiſtentię accommodat, & coëxiſtentibus, conſtitutionem rerum: & qualificat, & condit coniunctum.

Ex diuerſis itaque iam dictis eſſendi imperfectis modis in mundo corporali conſtituitur vnus, ad quem reſpiciunt, abſolutus, perfectúſque, qui eſt rerum ſubſiſtentium; ex quibus vnum facimus prædicamentum aggregando notiones particulares, ſub vniuerſaliſſima, quæ nobis ſubſiſtentia dicitur vel ſubſtantia? ſed impropriè forſan: hæc enim vox ad ſubſtantem locum, & materiam pertinet, dicitur tamen compoſitum ſubſtantia, quoniam ſubſtat accidentibus.

Et licet prædicamenta plura istorum imperfectorum diuersitas constituat; quandoquidem de inuicem non prædicantur nisi accidentaliter extrinsecè denominatiuè & cōiunctionaliter. Nec enim dicimus, materia est forma, nec agens, nec idea, nec finis, nec tempus, nec locus, nec accidens; sed formata, acta, ideata, finalizata, &c. & sic è conuerso. Nec materia habet esse materiam à forma, &c. Haud tamen in Logica, vbi prædicationes attenduntur modò, prædicamenta istorum fiunt, quæ tamen in Metaph. diuersificant Ens imperfectum. Perfectum tamen Ens prædicatur de eis denominatiuè essentialiter, & in obliquo; notiones enim suæ generales, specialesque omnes significant totum subsistens, non partem, nisi similitudinariè. Animal enim prædicat hominem rationalem, non materiam hominis; licet sit quasi materia, & rationale quasi forma notionaliter, ergò pertinent ad hoc prædicamentum imperfecti illi modi, vt partes ad totum; & in inuentione scientiæ considerantur seorsum in origine subsistentis cuiusque rei, & in prædicationibus se habent, vt dictum est partialiter.

Ex constitutione deinde totius subsistentis consequuntur extantia, quasi essentialitates, & complementa subsistentiæ: quæ sunt Quantitas, Figura, vis, Actus, Actio, Passio, & habent correspondentiam prædicamentis analogis aliorum mundorum; de qua in Metaph. & quoniam sequūtur essentiam cum existentia; Existentiæ autem causæ sunt, locus, tempus, materia, forma, agens, idea, & finis, propterea ista prædicamenta diuersitatem habent inter se, quoniam ex diuersis oriuntur. Quantitas enim ex materia est tanquam eius effusio extans, & ex loco commensurato: Figura ex forma, & loco; virtus ex vnione agentis cum forma. Actio & Passio ex potentia, & impotentia agentis & materiæ, & tempore; omnia tamen propter finem sunt. Deinde sequitur similitudo, & dissimilitudo, quæ ab Idea & ideatis proficiscuntur, & respectum habent non ad perfectionem substantiæ, nisi quatenus suæ ideæ similis st; nec est hoc, nisi simile sit huic; sed ad res,

existentes, vt sunt relationes formaliores, & accidentaliores. Accidens tandem siue adhærens siue adiacens exterius facit aliud prædicamentum, & tamen non est subsistentis complementum, neque res aliqua præter iam dictas; sed alterius ad alterum additione fit, ac quia habet specialem modum prædicandi, & notificandi, ponitur vnum prædicamentum, quod etiam Circunstantia dici queat. Vbi & Quando pertinent ad existentiam & considerantur in istorum naturis sigillatim. Relatio autem ad similitudinem & dissimilitudinem spectat.

Profectò Accidens, & Actio, & Passio, & Vbi & Quando, & Similitudo & Dissimilitudo, sunt potius prædicata existentiæ, quam essentiæ: & tamen radix ipsorum in essentia, cætera potius ad essentiam pertinent compositam, ex qua egrediuntur; sed tamen similitudinem habent & in simplici.

Quot Prædicamentorum modi.

QVatuor ergo genera prædicamentorum habes.

1. Alia enim prædicant existentialiter, & coexistentialiter de subsistentibus, vt Quando, Vbi ac Accidens, licet in suis Categoriis essentialiter, & notionaliter, sic enim est essentialis hæc, dies est tempus, & locus substat: sicut hæc, homo est animal, & linea est longitudo.

2. Alia prædicant essentiam partialiter, vt materia, forma, agens, finis, & idea.

3. Alia totaliter vt subsistentiæ notiones in suo prædicamento; similiter Quantitatis & Figuræ, & Actus & Actionis & Passionis in suo, quæ tamen de subsistentibus prædicant complementum subsistentiæ vel realitates essentiæ existentis, sicut proprietates, & conditiones, & egressiones; dicuntur tamen accidentia, sed propria, neque enim accidentalis est, homo est quantus, & figuræ rectæ; alioquin non quantus, & non figuratus posset homo reperiri, sicut reperitur non albus, dicitur tamen ac-

cidentalis ad essentiam non ad subsistentiam ; & hæc dicuntur inesse : sed alio modo essendi , In, atque accidentia illata exterius. Vnde Sanctus Augustinus relationem in diuinis , nec substantiam esse , nec accidens , dixit in quodam sermone , ne tres faciat substantias , nec æternet accidens. Mediat ergò proprium , & essentialitas , inter substantiã & verum accidens, similitudo, & dissimilitudo subsequuntur ad rei cum rebus coëssentiatam , & coexistentiatam simul connotionem : & in quolibet istorum prædicamentorum genus supremum vniuocum est: quoniam de mundo vt corporali tantum fiunt.

4. Datur enim quartus modus prædicamentorum, qui supremum habet transcendens analogum genus, vt ens.

1. Essentia existentiáque de omnibus reperta prædicari , quoniam inter se analogam habet similitudinem. Vnde notiò analogica suprema possit celebrari , & hoc respondet substantię in Physicis.

2. Similiter finitudo:omnis enim rei limes,per quem tantum est hoc , quod non plus , eius est essentialis magnitudo & tantitas correspondens prædicamento quantitatis in Physica.

3. Similiter qualitas omnis enim finita essentia , & coexistentia finitatis suæ modum habet, qui est qualitas, & quatenus distinguit vnum ab altero, vocatur differentia, & quemadmodum ponuntur in prædicamentis genera, & species ad essentiam notificandam , sic differentiæ & proprietates ad qualitatem essentialem , vel accidentalem, vel mediam. Vnde non potuit vniuocum prædicamentum facere qualitas apud nos, sicut apud Arist. sed qualitas, homini est substantialiter rationalitas , sicut loco capacitas, triangularitas triangulo , lineæ rectitudo , &c. propterea cum Ens, Verum, Bonum , & quæ ex his necessitas , Contingentia, Possibilitas , Harmonia , & Accidens sint in omni prædicamento ; similiter & qualitas horum modus. Accidens enim vniuersaliter est analogum , cum omne prædicamentum omni prædicamento accidat , & circunstet :

ſtet: huiuſque modus accidentalis, qualitas. Item quando Primalitates conſtituũt, Ens finitum, Poteſtas, Sapientia, & Amor, & Impotentia, Inſipientia, & Diſamor, modus horum in rebus vt finitis, etiam qualitas dicitur, & reſpondet figuræ in Phyſicis, quæ eſt modus quantitatis materialis.

4. Ponitur etiam Actus omnis rei prædicamentum analogum, vt actus eſſentiæ, eſſentiare: formæ, formare: hominis homificare: calidi calere: intellectus intelligere, intranea ratione iſta conſiderando: & reſpondet actui ſeu operationi, qua res Phyſica ſeruatur, vt ſol motu, terra quiete.

5. Item virtus, quæ reſpicit exteriora obiecta ſicut poteſtatiuum ad poſſibile, cognoſcitiuum ad cognoſcibile, appetitiuum ad appetibile; & omnis facultas ex his eſt, vt viſiua, retentiua, augmentatiua, &c. Reſpondet Phyſicis viribus actiuis in prædicamento vniuoco, quæ ſunt calor, frigus, ſapor, &c.

6. Actio, & Paſſio licet exiſtentiam Phyſicam dicant, tamen radicem habent in eſſentia, & ſic ſunt analoga: egrediuntur enim ex actu, & virtute.

8. Similitudo, & Diſſimilitudo ſunt intrinſecus vnitas, & pluralitas; & ſic in omni re analogicè comperiuntur, etiam ſi non habeat exiſtentiam: Propterea Plato componit res ex identitate, & diuerſitate, ideſt ex vno & pluralitate.

10. Accidens non eſt prædicamentum analogum niſi eſſentiæ exiſtentis, vt infra patebit.

DE PRÆDICAMENTO ſubſtantiæ.

CAP. VI.

Quid ſit & quot modis dicitur ſubſtantia: & à quo, & ad quod.

Art. I.

Si ſubſtantia ſecundum id, à quo imponitur nomen, conſiderata diuideretur, ideſt à ſubſtando: omne Ens aliquo modo ſubſtans etiam vt baſis, ſubſtantia dici poſſet: atque diuidi in primam, ſecundam & tertiam.

DEFINITIO PRIMÆ.

Ita vt prima ſubſtantia, baſis omnium, quæ propriè principaliter & maximè ſubſtare dicitur, nulloque eſt in ſubiecto, eſſet ſpatium vniuerſitati corporum ſubſtans.

DECLARATIO.

DIcitur quidem ſubſtantia à ſubſtando: & ideò quidquid ſubſtat aliis rebus, ſubſtantia largo modo dici queat, vt Fides Apoſtolo eſt ſubſtãtia ſperandarum rerum. Bonáque exteriora, quibus ſubſtentatur vita, dicuntur ſubſtantia Eccl. 13. Sed propriè ſubſt antia dicitur id, quod aliorum eſſentiæ vel exiſtentiæ vt baſis aut ſubiectum ſubſtat. Igitur baſis intranea corporis mundani ſecundum veteres Phyſicos, quibus Ambr. & Auguſt. aliique ſancti Doctores ſuffragantur, dicitur propriè ſubſtantia prima: ad differentiam Dei: qui licet ſit ſubſtantia prima ac maxima, ſi ſumatur

ſubſtantia pro eo, quod res eſt, ideſt pro eſſentia, vt docet idem Aug. ſuper Pſal. 68. Tamen ſi propriè, & vnde imponitur nimirum à ſubſtando, Deus non eſt ſubſtantia niſi impropriè & abuſiuè, vt docet idem Auguſt. 7. Trin. 5. vbi nefas impiumque reputat dicere, Deum ſubſtare, aut ſubſiſtere, aut ſupponi. Hinc Richar. & D. Thom. 1. d. 34. q. 1. ar. 1. docet omne vocabulum compoſitum ex ly ſub, à Deo eſſe alienum. Componeretur enim ex ſubiecto & accidente, ex eſſentia & actu : ex ſuppoſito & natura. Propterea in d. 8. q. 4. ar. 2. & d. 23. q 1. art. 1. & d. 26. q. 1. ar. 1. inquit : Deus impropriè dicitur ſubſtantia & ſolum ſecundum rationem, quatenus ſua eſſentia relationibus ſubſtare intelligitur : quibus non verè ſubſtat, cum in eo ſit idem relatio & ſubſtantia. Nec ſubſtat vt indiuiduum ſpeciei, licet nos aſſueti noſtrorum entium notionibus, ſic intelligamus, perſonam etiam diuinam vocando ſubſtantiam indiuiduam, quod græcè hypoſtaſis dicitur : Latinè etiam ſuppoſitum. Propterea Auguſt. Eſſentiæ nomen ſolum adaptat Deo, & Dionyſ. appellat Superſubſtantiam, Superens, Superintelligens, &c. vt omnem ſubiectionem excluderet. Profectò ſi Deus hac ratione eſſet ſubſtantia à ſubſtando : verè tunc paſſiuè eſſet prima ſubſtantia primumque ſubiectum : propter quod Auicebron putat Deum eſſe ſpatium, primitus ſubſtans Mundo : & Dauid De dinando, materiam primam : Non aduertentes, quod ſpatium & Materia ſubſtant & ſubſtentant paſſiuè, & recipiendo; non autem actiuè & operatiuè, vt Deus. Qui cum eſſentias corporeas educeret ad exiſtentiam ſubſtrauit ſpatium vacuum prius ſaltem natura, vt innuit Amb. Epiſt. 31. & Auguſt. in lib de cognit. veræ vitæ cap. 18. *Locus* (dicens) *eſt ſpatium quod quodlibet corpus occupat, longitudine latitudine & altitudine menſuratum.* Ergo, inquit, eſt vt baſis exiſtentium corporum intranea penetrans & penetrata : non autem pars eſſentialis eorum : non enim componit cum eſſentia : Materia verò baſis formarum cum eis componens vt pars eſſentialis : Compoſitum verò baſis accidentium, cum eis accidentaliter componens.

Dicitur ergo ſpatium *propriè ſubſtare*, ad differentiam rerum quæ non ſubſtant, atque ſola ratione dicuntur ſubſtantiæ: vel quia non ſunt accidentia: item ad differentiam eſſentiæ (ait D. Thomas) quæ ſubſtare ſuo actui dicitur, vt eliciens illum, non vt ſtans ſub illo.

Additur *principaliter* ad differentiam compoſiti, quod quidẽ propriè ſubſtat, ſed non principaliter: materia enim eſt principium cuius ratione ſubſtat compoſitum corporeum: & eſſentia cuius ratione ſubſtat eſſentiatũ incorporeum. Falsò enim Auer. Angelicas eſſentias negat dici ſubſtantias: ideóque corpus eſſe generaliſſimum in prædicamento ſubſtantiæ vult; deceptus eo, quod putat idẽ in eis eſſe intelligere & eſſe, ſicut in Deo; ideóque non ſubſtare putauit. Item additur, *maximè*, ad differentiam materiæ, quæ licet propriè ac principaliter ſubſtet formis: haud tamen maximè, prius enim & pluribus ſubſtat ſpatium, teſte Auguſtino: quoniam & corporibus ſubſtat: proptereà Ariſt. in 4. Phyſ. diuinum quoddam & primum ſubſtentans pronunciat eſſe locum, ſi Mundus corporeus in eo creatus locatuſque eſſet, vt dicebat Orpheus: Cui Chriſtiani conſentiunt Phyſici, vt etiam notat Auer. ſed non Ariſtotelici. Eſt ergo ante omnia locus ſubiectiuè & paſſiuè, non actiuè & entitatiuè, vt Deus æternus, ſed à Deo.

DE SVBSTANTIA SECVNDA.

Subſtantia ergò ſecunda eſt quæ propriè & principaliter, ſed non maximè ſubſtat, nec ſubſiſtit, niſi forſan imperfectè.

DECLARATIO.

Namque non ſubſtat corporibus cum ſit ipſa corpus de genere ſubſtantiæ, vt etiam S. Thomas docet Opuſc. 42. ſed dimenſionibus ſubſtat corporalibus, & formis ſubſtantialibus, ac proinde accidentalibus, & paſſionibus, & numeris, & cauſis Agentibus. Idemque principium eſſendi eſt. Dicitur etiam, *non ſubſiſtit* ad dif-

ferentiam compositi & essentiati perfecti, ideſt, non eſt per ſe ſeorſum à compoſito, vt infra declarabimus. Hæc eſt materia prima corporea moles, apud SS. Baſ. & Iuſtinum, ſubiectum principale, cui ſubeſt baſis exiſtentiarum locus: Proptereáque etiam ipſa vocatur locus formarum Platoni. Informis, iners, abnumera, apta de ſe cunctis Phyſicis formis informari, operationibus operari, & numeris diſtingui. Eique analogatur eſſentia finita, apta exiſtentiam ſubire, & actus, & operationes.

DE TERTIA SVBSTANTIA.

Tertia ſubſtantia eſt quæ propriè ſed non principaliter, nec maximè ſubſtat, ſed certò ſubſiſtit: ideóque nō in ſubiecto, ſed in baſi ſubiectorum aliqua eſt: vt lapis, & Petrus, aut extra, vt Angelus.

DECLARATIO.

SI quidem lapis conſtat ex ſua materia, & duritie frangibili, quæ ſua eſt forma: ideò non poteſt aliam formam ſubſtantialem ſuſcipere, quin ipſa deſtruatur, poteſt tamen accidentales ſolùm recipere vt lineas motum, frigus, calorem extraneum. Vt autem ſic ſubſtet, habet à materia: propterea dicitur *propriè ſubſtare*, ſed non *principaliter*, vt materia, nec maxime vt ſpatium. Additur, *certò ſubſiſtit*. Quoniam ſolum compoſitum ex materia & forma vt homo & lapis, vel ex eſſentia & exiſtentia actuve, vt Angelus, ſubſtantiæ completæ ſunt: ideóque ſubſiſtunt, ergo & ſolis accidentibus ſubſtant: non autem formis ſubſtantialibus, quæ dant eſſe; alioquin ceſſarent eſſe quod prius. Materia verò & forma, & actus non ſubſiſtunt; imò nec eſſentia ſine actu exiſtendi, niſi in Deo, vt mox declarabimus.

ANIMADVERSIO.

HAnc Tertiam ſubſtantiam ſolam Ariſt. in prædicamento conſiderauit. Materia enim & forma, & manus, & pes, id eſt, partes eſſentiales & integrales, ſunt in prædicam. Logico, reductiuè tantum vt monet S. Thom. quas in phyſiologia ſubſtantiis connumerat. Nam 2. de An. diuidit ſubſtantiam in materiam, formam, & compoſitum: & 5. Metaph. T. 15. Diuidit autem in Logicis notionibus ſubſtantiam in primam & ſecundam, id eſt, in ſingularem & communem. At quidem perperam ſingulari tribuit definitionem primæ ſubſtantiæ ſubreptam ſpatio, contra Architæ, eiuſdem inuentoris placitum: videlicet *propriè, principaliter, & maximè ſubſtare.* Cum reuerà non ſubſtet propriè niſi accidentibus, quemadmodum Aug. & Thomas ritè conſiderant; & non principaliter, nec maximè, vt dictum eſt. Vniuerſalibus verò non ſubſtat niſi ſecundum notionem, id eſt, in prædicatione notionali; non coniunctionali, etiam ſecundum Ariſt. & in ideatione ſecundum Platonem.

NOTANDA EX D. THOMA. 1.d.23.q.1.

ESſentia & Natura, vt ex dictis liquet, ſunt Tranſcendentalia nomina cuilibet prædicamento, & ſignificantur, vt quo, ſicut humanitas & Albedo: & vt quod, ſicut homo & Albus. Subſiſtentia & ſubſtantia dicunt eſſentiam determinatam ad hoc eſſendi genus, quod eſt eſſe per ſe, ex nominis impoſitione. Dicitur quippè ſubſiſtentia eſſentia, quatenus ſuo eſſe, actuíque eſſentiali ſubſtat: ſubſtantia verò vt ſubſtat accidenti, vel naturæ communi: quomodo etiam ſuppoſitum dicitur & hypoſtaſis: vt ſubſtat, id eſt naturæ, indiuiduum & perſona, vt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab aliis: & per ſe ſeorſum ſonans. Secundum verò id ad quod imponitur nomen, ſubſiſtens, eſt ens per ſe, vt homo & Petrus, &

quidem principalius subsistit homo quam Petrus: ille primo & sui gratia: Petrus secundò, & quia homo est. Partes autem essentiales & integrales non dicuntur subsistere, nisi forsan vt quo.

Substantia verò est ens subsistens, atque subiectum accidentibus, vt homo, & Petrus, sed forsan hic magis: sicut enim Petrus habet ab homine, id est, à natura, vt subsistat: sic natura à Petro vt substet, apud S. Thom. constitutiua autem pars essentialis vel integralis sunt reductiuè in prẹd. quoniam nec subsistunt, vt sic, nec substant, in notionibus, nisi quatenus vt res per se significantur.

DISTINCTIO SVBST. APVD ARIST.

Arist. diuidit alio modo substantiam, in primam & secundam. Prima est, ait, quæ propriè principaliter & maximè substare dicitur; quæ neque in subiecto est, neque de subiecto dicitur: secundæ autem substantiæ sunt genera & species, in quibus insunt primæ.

DECLARATIO ET CORRECTIO.

SEd diuisio hæc inanis. Nam in singularem & vniuersalem diuisio, non est magis substantiæ, quam quantitatis & qualitatis; vt linea ista, & linea. Albedo mea, & Albedo. Ista enim diuisio est notionum, & non rei de qua in prẹdicamentis est sermo. Item tribuit substantiæ singulari, propriè, principaliter & maximè substare: quod falsum est: substat enim solis accidentibus vt dictum est, non formis, nec corporibus. tertio falsò quidem singularis dicitur ex hoc substantia prima, quia non est in subiecto, nec dicitur de subiecto: vniuersalis verò secunda, quia licet non sit in subiecto tamen dicitur de subiecto. Non enim species dicitur de indiuiduo coniunctionaliter, sed notionaliter; ergò est prędi-

catio rationis & non rei, cum dico Petrus est homo, nec enim homo est in Petro vt accidens, sed vt eadem res concepta sine singularitatibus: & ideo purior. Petrus enim significat hominem cum hæcceitate & accidentibus extraneis: homo puram essentiam: purum autem prius est impuro. Prætereà pluribus substat Homo, quàm Petrus: quidquid enim prædicatur de Petro accidentaliter & quidditatiuè, prædicatur de homine, & non è conuerso; nisi in quidditatiuis: non enim si homo est albus, Petrus est albus: imò, ait D. Thom. in p. dist. 23. q. 1. subsistentia per prius conuenit homini, quam Petro, licet substantia per prius Petro. Petrus enim subsistit, quia homo subsistit, & non è contra: subsistere autem dat substantiæ dignitatem, non autem subiici accidentibus: ergò species est prius substantia, quam indiuiduum, vt Homo sumptus præcisè, non vt est in intellectu vniuersalis, nec vt in re singularis, sed vt species: quemadmodum à Plat. consideratur in Thææt. Accidit autem homini, vt sic, esse Petrum, & non è contra: ergo potius singulare habet rationem accidentis, quam species. Tandem prædicari notionaliter sicut homo de Petro, conuenit etiam indiuiduis, vocatis ab Arist. primis substantiis, vt cum dico. Hæc Stella est Iupiter, & ille homo est Petrus, & primus Planetarum est Saturnus; nec propterea Petrus est secunda substantia: ergò nec quia homo dicitur de Petro notionaliter est secunda substantia, nec significat quale quid vt ipse dicit, sed quid purum: Petrus verò, quid impurum, & qualificatum. Nec sublatis indiuiduis pereunt species, nisi quoad existentiam, non quoad essentiam. Cum autem dicit primas substantias esse in secundis, secum pugnat: ex hoc enim sequitur, quod sublato homine tollitur Petrus, & non è contra. Dicunt indoctè sequaces, quòd Petrus est in homine in potentia, Homo verò in Petro actu: si enim apud Arist. vniuersale nihil est, aut post indiuidua est: ergò non potest esse Petrus, quia ly Homo est: sed quia Petrus est, homo potest esse, quia potest ab indiuiduis abstrahi: vniuersale

enim

enim ideale Platonicum,& causatiuum negatur ab Arist. & solùm admittitur vniuersale causatum in intellectu ab indiuiduis: quod non potest dici in sui potentia habere indiuidua. Præterea Arist. ait, omni substantiæ proprium esse suscipere contraria: hoc autem non conuenit Homini, vt est vniuersale peripateticum: neque vt Platonicum, sed præcisè sumpto, vt D. Thomas docet, similiter etiam subsistere, quod non considerauerunt carpentes Platonem.

Definitio substantiæ secundum id ad quod imponitur nomen.

Substantia est Ens Finitum, Reale, per se subsistens, perfectúmque, accidentium per se proximúmque subiectum.

DECLARATIO.

QVoniam prædicamentorum Generalissima definiuntur pro analogum transcendens, vti species per genus, diximus, *Ens*, & *Finitum*, quoniam infinitum non habet vnum essendi modum sicut substantia, sed omnes & sine modo: dixi, *Reale*, quoniam non est ens rationis substantia: dixi *per se subsistens*, scil. suo actui, vt Angelus: dicitur autem *per se*, non vt distinguitur contra per accidens. Omnis enim essentia est per se, licet in alio: nec vt distinguitur contra ly coniunctum, id est, solitariè, sicut Petrus per se trahit nauim, sine adiutorio. Nec vt significat à se & de se: sic enim solus Deus est ens per se. Neque vt distinguitur contra ly inexistere in alio. Nam omne ens finitum existit in alio, vt pisces in mari, & cælum in communi spatio: & mundus Mathematicus in Mentali. Sed vt distinguitur contra esse in alio, sine quo non potest habere existentiam, nec essentiam naturaliter: cuiusmodi sunt accidentia, quæ etiam si substant suo actui, vt forma formationi, & calor actui suo qui est calere, tamen substant, quatenus insunt subiecto substentanti ipsorum esse: dicitur *perfectum*: quoniam compositum ex materia & forma per se existit, vt homo: vel ex potentia & actu, vt

Angelus & mens humana. At partes integrales, vt manus & pes, & essentiales, vt materia & forma, quæ non subsistunt per se, non sunt in prædicamento substantiæ, nisi reductiuè, & potius dicendæ sunt substantialitates: sicut erant in prædicamento transcendentis eius realitates: neque sic sunt perfectæ res, sed realitates: constitutiuæ tamen perfectorum: siquidem materia & calor ignis constituunt ignem: & forma & materia lapidis lapidem: quæ per se non subsistunt. Partes integrales integrant, & dum sunt in toto subsistunt totius subsistentiâ. Separatæ verò quasi per se. Dicitur ergò tandem, *per se subiectum accidentium*. Quamuis enim vnum accidens substentet alterum, vt linea curuitatem, tamen hoc habet à subiecto cui ipsa inest: & sic compositum habet etiam à materia, vt substet, non autem vt subsistat. Prædicationes autem fundantur per esse, In, sicut in subiecto, vt homo est albus, vel quasi subiecto, vt Petrus est homo: illæ coniunctionales, istæ notionales dicuntur.

De modis essendi, In; & consequenter prædicandi.

Art. III.

PRopterea sciendum quod esse, In, dicitur multipliciter, vno modo secundum considerationem. sicut dicitur Petrus esse in se, Deus est in se, quatenus idem bis consideratur, vt quod est, & in quo est. Propterea Parmenides negat vnum esse in se, id est Deum; quoniam non esset vnus; & ita esse, in, fundat prædicationem identicam, vt Deus, est Deus; quæ nihil notificat.

2. Proximus huic modus essendi, In, est sicut species in indiuiduo, & Genus in vtrisque. Homo namque est in Petro, non sicut aliud, sed sicut idem absque hæcceitate & accidentibus, non tamen cum præcisione istorum: sic Animal est in homine, sicut idem indeterminatius & communius consideratum.

3. Modus eſt,ſicut indiuiduum in ſpecie, vt Petrus in homine,& homo in Animali & Animal in ſubſtantia, non ſicut aliud, ſed ſicut pars in ſuo toto vniuerſali, & contractum in contrahibili,quod tamen totum eſt in vtroque vtrumque,ſed communius, aut particularius.

4. Modus eſt ſicut totum integrale, vel eſſentiale eſt in partibus,& pars in toto. Illud enim eſt iſtæ omnes,ſed iſtæ omnes ſunt illud; ſed non ſingulæ, vt domus in lignis, lapidibus, & cemento; & materia, & forma ſunt in domo,& è conuerſo.

5. Eſt,ſicut cauſa eſt in effectu participatiuè, & effectus in cauſa virtualiter,aut eminenter.

6. Dicitur & eſſe in poteſtate, vt omnia in manu Dei, & in ſcientia,vt omnia in ſcientia Dei,& in voluntate, vt bona in voluntate ſanctorum.

7. Item ſicut in continente,& conſeruante,vel actiuè ſicut res in Deo,& è conuerſo, vt Deus vbique; & Rex in Regno; vel paſſiuè,vt corpora in loco, & in corporibus circumdantibus,ſicut piſcis in mare.

8. Dicitur eſſe in tempore,vt pluuia in hyeme.

9. In fine, vt deſiderium in beatitudine.

10. Dicitur eſſe in Materia,vt gladius in ferro, & calor in igne.

11. Eſt tandem ſicut in ſubiecto, vt albedo in pariete,& hic modus inexiſtere dicitur,& proprius eſt accidẽtium,quæ non poſſunt abſque ſubiecto ſubſiſtere,& non dant eſſe ſubiecto eſſentiale, ſed accidentale; & hoc dumtaxat modo ſubſtantia non eſt in ſubiecto: aliis enim eſt.


At omnes hi modi fundant prædicationem rectam, vt Petrus eſt albus, & in loco, & in memoria, vel obliquam vt Petrus eſt in platea, & Ionæ, &c. Verum quoniam accidentium eſt propriũ ineſſe,& prædicari de ſubſtantia: cum genera & ſpecies prædicantur, aliud eſſe In, ſignificant,vt nunc patuit,quàm accidentia. Propterea eſt quaſi æquiuocum prædicari in eis, ſicut & eſſe In; & ſic tam ſubſtantia,quam accidens, & vniuerſale & particulare prædicant ſuum In,quod Ariſt.non agnouit.

Substantia ergò particularis non est in subiecto, neque dicitur, nisi secundum intellectionis opus, & notionaliter quoniam habet plures notiones: dicimus enim Hic homo est Petrus, & primus Pontifex est Petrus: & Ionæ filius est Petrus. Vniuersalis verò prædicatur etiam per intellectionem: sed non inest, vt in subiecto, sed vt in semet particularizato; & omnis huiusmodi prædicatio est vniuoca essentialis, & eodem modo Petrus est in hoc homine, & in primo Pontificum. Accidentium verò vniuoca accidentalis: vel æquiuoca, vt cum homo dicitur latrare. Differentiæ autem essentiales prædicantur, vt vniuersalia, & vt particularia, sicut nuper diximus, & per eas differt hoc prædicamentum, & quæ in eo ordinantur, ab aliis prædicamentis, & per proprietates.

Differentia Substantiæ ab aliis prædicamentis, eiúsque Actus.

ESsentialis est differentia, seu diuersitas substantiæ ab aliis, *Per se subsistere*; & non in subiecto: & sic distinguitur, seu diuersificatur à cæteris prædicamentis.

Idcircò actus eius est substantiare. Deinde diuiditur per differentias vsque in indiuidua, sicut ex sequenti arbore patet: quod gratia exempli positum est.



substātiā
immaterialis
materialis
actiua
calor
frigus
Corpus
animatum
inanimatum
liquidum
liquores
subtile
ventus aër celū
durū
frangibile
extensibile
metallo
viuens
sensitiuum
vegetatiuum
planta
species plātarū
animal
rationale
irrationale
Homo
uniuersalis
particularis
aliquis homo
singularis
volatile
progressiuum
natatile
Hic homo
Petrus
Primogenitus
Petri.

De Proprietatibus Substantiæ.

HÆc de essentia substantiæ, licet cum proprietatibus Arist. illam confundat; nunc ad proprietates accedamus.

PRIMA PROPRIETAS EX ARIST.

PRoprium (ait Arist.) *est singularis substantiæ significare hoc aliquid: Vniuersalis verò quale quid.*

CORRECTIO.

SEd errat, dum vult Platonem vexare: nam *quale quid*, est substantialis quiditas cum qualitate. Qualitas autem nulla est in genere & specie, nisi differentia, quæ etiam in indiuiduis reperitur: at in ipsis insuper indiuiduis insunt accidentia, & qualitates: ergò potius significat hoc quid qualificatum ipsa singularis substantia: species verò quid absolutè: non enim hecceitatem, neque qualitatem habet admistam: item Petrus prædicatur de hoc homine, sicut Rationale de Homine, nec propterea significat qualequid. Neque ratio vniuersalitatis est ideo qualitas, quia est ab intellectu, vt alij dicunt: nam & esse indiuiduum, & singularitas, sunt termini intentionis, nec tamen dant qualitatem: terminorum enim est significare, & non qualificare. Idea Platonis quoque essentia pura est, sine qualitatibus & accidentibus, teste August. & Iustino Philosophis sanctis.

PROPRIETAS SECVNDA EX ARIST.

Proprium est Substantiæ non habere contrarium.

CORRECTIO.

SEd hoc verum est de loco, & de Materia; & de his fortè loquitur Architas; quem perperam Arist. imitatur.

Si enim ſubſtantiæ formales non eſſent contrariæ, tunc, neque pugna eſſet inter elementa, neque ſe ſe mutuò caſtigarent, neque eſſet actio, nec paſſio, generatio, & corruptio: at hanc pugnam quidam ipſorum tribuunt accidentibus propriis, vt calori & frigori (qui nobis videntur formæ ſubſtantiales actiuæ, ſicuti & Alexandro, & Hipocrati, & Galeno, & Olimpiodoro, & Ammonio) ſed cum proprietates fluant à ſubſtantiis, & agant tanquam ipſarum inſtrumenta, vt ipſi aſſerunt Peripatetici, profectò contrariæ magis & actiuæ magis erunt ſubſtantiæ formales. Neque enim duo gladij ſunt contrarij, niſi in duorum inuicem inimicorum manibus. Habitus autem & priuatio actionem dare non poteſt inſtrumentis, niſi ſint cauſæ agentes: vnde Ariſt. in primo Phyſicorum rectè probat duo eſſe principia ſubſtantiarum, ad agendum; & vnum ad patiendum. Priuatio ergò eſt vile contrarium, vt frigus reſpectu caloris; & tellus eſt priuatio ignis, vt ſæpè docet ex Parmenide: præſertim in primò de Gen. & corrupt. t. 18. Cum ergò formæ agentes, non dico paſſiuas, contrariæ ſint; compoſitæ quoque ſubſtantiæ contrariæ erunt, & principia contrarietatum accidentalium. Recipit autem contraria compoſitum, quia materiam in ſe habet nullis contrariam.

PROPRIETAS TERTIA EX ARIST.

3 P*Roprietas maximè conuenit ſubſtantiæ ſuſceptiuam eſſe contrariorum.*

DECLARATIO:

VEra eſt tantummodo de loco & de materia, ſeu corporea mole. Forma enim ſubſtantialis (quam Architas non appellauit ſubſtantiam, neque eſſe dicimus nos à ſubſtando) prorſus huius proprietatis eſt expers. Neque enim calor forma ignis actiua, ſecundum noſtra dogmata, neque igneitas peripatetica ſuſcipit frigus quin de-

[illegible]

ſtruatur; ſed corpus calori ſubiectum poteſt frigus quoque ſuſcipere viciſſim: contraria enim mutuò ſe ab eodem ſubiecto expellunt: ſuſcipit autem ſubſtantia compoſita contrarietatem reſpectu materiæ, ſi non ſint vehementes, ac deſtructiuæ: ſic manus caleſit, & frigeſit, albeſit, & nigreſcit, ſed à multo calore ignitur, & aqua in vaporem corrumpitur. Anima quoque ſuſcipit ignorantiam, & ſapientiam: & creaturæ intellectuales mutantur, quoniam ſunt ſubſtantiæ mixtæ cum potentia aliqua paſſiua, quæ apta eſt, contrarietatibus: vt autem actus ſunt, nihil ſuſcipiunt, & ideò ſolus Deus non eſt ſuſceptiuus, quia nullam in ſe paſſiuam habet poteſtatem. Nullus ergò actus recipit, quin deſtruatur.

PROPRIETAS QVARTA.

QVarta proprietas, quòd ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus; hoc eſt non intenditur, neque remittitur; ſicut calor tepeſcit, & ferueſcit: verumtamen creſcit, & decreſcit in quantitate per additionem, & ſubtractionem, vt planta, & animal.

CORRECTIO.

SEd neque iſta proprietas conuenit, niſi ſpatio, & moli corporeæ: ipſa enim Baſis corporum nullo pacto ſuſcipit magis & minus, neque magnum & paruum. Materia verò ſuſcipit magnum & paruum per additionem & ſubtractionem particularum intrinſecus vel extrinſecus additarum: ſed non ſuſcipit intenſionem, vel remiſſionem. Calor verò & frigus, & omnes formæ ſubſtantiales ex materia dependentes (hoc dico ad exceptionem Mentis humanæ) intenduntur & remittuntur: Alioquin naſcentes non roborarentur, neque occumbentes debilitarentur. Item cum omnia fiant ex quatuor elementis: vel, vt nos dicimus, ex duobus, niſi in magis & minus multipliciter alterarentur, non fierent ſecunda entia, ſed ipſa tantum

quatuor

quatuor ex inuicem. In hoc enim differunt elementa ab elementatis, quod in illis sunt in esse intenso, & potentissimo virtutes essentiales; in istis verò castigatæ & remissæ. Numquid palam piper non est ignis remissus? Dicunt accidentia remitti, non formas; sed cum accidentia sint effluxus formarum, & vires, non possent debilitari, formis non debilitatis: sed hæc alibi.

De veris proprietatibus subsistentiæ.

QVapropter concessis his proprietatibus materiæ & loco & subiecto, quatenus quid materiale habet, dabimus cunctis substantiis vt proprium.

PRIMA PROPRIETAS.

N*On esse in subiecto accidentaliter.* Formæ enim substantiales sunt potius in materia quàm in subiecto: & quasi in regno; dant enim esse composito substantiale, licet respectu materię videantur accidentia, non tamen respectu compositi. Ista proprietas nascitur ab essentia substantiæ, quæ est per se subsistere: ex hac enim oritur vt non sit in subiecto.

SECVNDA PROPRIETAS.

I*Tem esse principia accidentium innatorum*: omne enim accidens à Materia & Forma, & compositione earum, & respectibus oriuntur. Et ideò forma quæ magis in materia dominatur, est intensior, teste Alberto, & habet naturales potentias robustiores ad producendas operationes & accidentia: quæ verò minus dominatur, habet naturales impotentias. Vnde Auer. concedit magis & minus in formis saltem elementorum; at quidem non rectè; quoniam elementata sunt ipsa elementa castigata & remissa, ergò in his potius relucet magis & minus.

Fit quoque generatio & corruptio secundum formam

ſubſtantialem, & compoſitum; ſecundum accidentia verò alteratio & mutatio.

DE QVANTITATE, PRÆDICAMENTO ſecundo.

DEFINITIO.

Quantitas eſt intima menſura ſubſtantiæ materialis.

DECLARATIO.

QVoniam materia eſt ipſa moles corporea, quæ replet vniuerſi vacuam baſim: eſt igitur corpus in genere ſubſtantiæ interminatum, eius autem terminus & menſura Quantitas dicitur. Omnis finita res, habet limitem ſuæ eſſentiæ, & gradũ, & hic limes dicitur Quantitas, & Tantitas trãſcendentalis, & ideò etiã Angeli ſunt quanti quantitate trãſcendentali. Deus autem dicitur quantus & magnus metaphoricè: quoniam ſi non habet menſuram & terminum, non habet propriè quantitatem. Sed quoniam ex quantis noſtris ad eius immenſitatem aſſurgimus, vocamus Deum quantum, ſed ſine fine & termino; & ſic etiã S. Bern. dicit, in Deo trino eſſe numerũ ſine numero. Materia verò propriè quantificatur, quoniã tanta fit, quãta requiritur formæ regnanti in ea; & per formas vnitur & diuiditur. Propterea dicitur, *menſura ſubſtantiæ materialis*, additur *intima*, ad differentiam menſuræ quam artificialiter extrinſecus applicamus: & loci & temporis exterius menſuratiua.

COROLLAR.

SI ergò quantitas eſt finitudò & menſura, implicat contradictionem ponere quantum infinitum ſiue continuum ſiue diſcretum: infinitum ergo incorporeum eſt & per ſe vnum: quoniam diuidi, id eſt, finiri nequit.

DISTINCTIO QVANTITATIS.

Quantitas vt ab vnitate regitur, efficit Molem continuam: quæ diuiditur in magnum & paruum.

At quatenus à Diuisione, facit numerum discretum, qui in multitudinem & paucitatem partitur.

At magnitudo seu moles quatenus propendit in situm, facit pondus.

Ergò triplex Quantitas, scilicet Numerus, Pondus, & Moles seu magnitudo, Mensurave; ex his Raritas, & Densitas, & horum intermedia.

DECLARATIO.

Vnitas transcendentalis est principij primi character. in quantitate autem principium est numeri, & dum positionem sortitur, dicitur punctum, principium & vnitio omnis magnitudinis. Nec quia indiuisibile; non principiet nec vniat quanta. *Quantitatis enim essentia est finire substantiam: extendere autem & diuidere est quantitatis vt continua est, & vt discreta est.*

NOTATIO.

PRofectò duplex est Quantitas, Transcendentalis, & prædicamentalis: illa reperitur in omni re, & vocari solet Quantitas virtualis in peripato; sic Ciceronem magnum Rethorem, & malitiam diaboli magnam dicimus. Prædicamentalis autem nascitur ex materialitate, & est per se in hoc prædicamento; per accidens in cæteris: nam dicitur albedo longa, quia est in longo corpore extensa, *Extensio autem per se est Quantitatis continuæ Passio.*

Quanti ergò materialis diuisio, facit numerum quantitatiuum. Distinctio verò rerum quarumcunque facit numerum Transcendentalem. Vnio materialis facit quan-

titatem continuam, & pondus. Vnio Transcendentalis facit entis perfectionem & vitam.

DE QVANTITATE CONTINVA definitio.

Propterea magnitudo, seu Quantitas cotninua est, cuius partes copulantur ad vnum terminum communem.

DECLARATIO.

DIcunt Peripatetici, vbicunque signes terminum, illud est principium, & finis aliorum, vt patet in medio lineæ ad quod copulantur partes.

Sed profectò alius est sensus huius definitionis Pythagoricæ; nam & terminus lineæ est punctus extremus, & tamen non est principium, & finis alterius, & alterius partis: sed omnes partes habent illum punctum pro termino At si diuidas lineam in duas partes, ille iam dictus punctus non erit vtrisque terminus, sic superficiei est terminus linea, non autem superficiei Sphericæ; & corporis superficies, vt nos declaramus; At diuiso corpore, duæ erunt superficies terminantes corpus. In Quanto autem non diuiso terminus quilibet est omnium partium signatarum terminus iuxtà verum sensum.

De Speciebus quantitatis continuæ.

SVnt ergo tres species quantitatis continuæ scilicet *linea superficies & corpus.*

Linea est longitudo sine latitudine & profunditate.

Non addo vt Euclides, cuius extrema sunt puncta, quoniam qui mensurat in Mathematica absque extremis etiam lineam supponit, & intelligentiæ facilioris gratia fingunt à fluxu puncti illam causari. Qui cum punctualiter fluat tangatque punctorum generatorum continuatione lineam constituit.

Superficies est latitudo cum longitudine sine profunditate; Quam fingunt fluente linea causari. Si tamen fluat linealiter, non punctaliter: vnde ex lineis videtur Platoni superficies constare.

Corpus verò est profunditas cum longitudine, & latitudine: & fingitur fluxu superficiei superficiatim motæ causari, & potest infinitum imaginatione poni sine extrema superficie, sed Physicè non datur, quoniam corpus esset Deus, &c.

An tempus & locus sint quantitas.

PEripatetici addunt locum, & tempus inter species continuæ quantitatis, sed tempus est quantum, non quantitas, cum enim sit rerum successio, quæ sequitur mistionem entis, & non entis, vt dixi in Metaph. non habet, quod sit quantitas; sed continuitas transcendens genera omnia, non tamen attingens Deum. Tempus autem motu Solis mensuramus; & motus non est quantitas, sed quantus non quantitate hac prædicamentali, sed latiori & per accidens respectu huius.

Locus verò non est quantitas nisi eminenter, si sumatur pro spatio, & basi rerum, vt Architas & Plato, & S. August. docent; sed quantitatis basis, & mensura primæua: longitudo enim & latitudo, & profunditas corporis à spatij longitudine, & profunditate, & latitudine dependet. Neque enim posset extendi, nisi in spatio, vlla quantitas materialis. Propterea Plato & Architas, qui ponunt quantitatem inter substantias, rectè ponunt locum speciem quantitatis: sed Arist. ineptè, quoniam si locus est superficies ambientis, vt ipse putat, tunc definiretur per speciē suam disparatam, sicut, si dicas, homo est asinus: similiter enim ponitur superficies, & locus sub genere quātitatis continuæ, sicut homo & asinus sub animali. Item cum locus sit immobilis, & superficies mobilis, nihil conueniunt: Turris enim simul mutaret locum & non mutaret, flante vento superficies nouas induente: sed respectus immobilis ad polos & ad centrum, non fundatur in super-

ficie, quæ ſemper eſt altera; neque in turri, quia idem eſſet locus ſui, ergò in ſpatio immobili; & hic eſt ergò locus formalis apud D. Thom.

DE QVANTITATE DISCRETA.

DEFINITIO.

Quantitas autem diſcreta eſt, cuius partes omnes proprios habent terminos, nec ad vnum communem copulantur.

DECLARATIO ET DISTINCTIO ſpecierum numeri.

VOcatur numerus: & habet decem partes, quoniam omnis Quantitas menſurat, id eſt, notificat ſubſtantias: menſuramus autem omnia per id, quod eſt nobis notiſſimum. Notiſſimi autèm ſunt digiti decies diſtincti in manibus noſtris: idcircò ad decem numerando peruenimus, & deinde replicamus: ſic liquores digitali vel vrceolo notiſſimo metimur replicando; & pondera grano replicato, ex quibus dragmas, & ex dragmis vncias, & ex vnciis libras. Et magnitudines palmo nobis notiſſimo in manu noſtra, & pede & digito.

Numerus ergò eſt quantitas diuiſa in plures vnitates; vel menſura quantorum diuiſorum, conſtat autem ex diuiſis vnitatibus; nihil enim eſt quod vnitatis expers eſt.

Numerus ſimplex decem ſpecies habet, vnitatem, binarium, ternarium, &c. Numerus compoſitus decadas, centurias, myriadas, & millionem.

AN ORATIO SIT QVANTITAS diſcreta.

ADdunt Peripatetici Orationem Quantitati diſcretæ; quoniam menſuratur breui, & longa; & partes eius ad nullum terminum communem copulantur; ſed profe-

ctò errant. Oratio enim vt significat, est signum, & pertinet ad Similitudinẽ; vt verò est aër verberatus instrumẽtis vocalibus, est substantia sub accidente; vt autem est sonus ex multis ictibus factus, est quidam motus, motus autem operatio actio est & passio; non quantitas: est tamen longa & breui syllaba constans, quoniam in tempore fit, qui est successio particularum motus. Potius ergò oratio habet à tempore, vt sit quanta, quam vt sit quantitas. Velocitas enim & tarditas pronunciationis syllabarum, est qualitas motus, indicis temporis. Omnis autem mensura extrinseca præter id quod est mensura, est aliquid in se, vt palmus mensura est panni secundum quantitatem: sed in se est manus expansa, non autem quidquid mensurat est quantitas, nisi præter esse mẽsuram, non habeat aliud esse, quam quantitatis, vt linea præter esse mensuram, nullum esse habet ab intrinseco, nisi quantitatis: motus autem habet: similiter & tempus præter hoc, quod est mensura motus, est insuper rerum vicissitudo, & successio, vt probatum est in Metaph.

DISTINCTIO QVANTORVM.

QVantorum alia habent positionem; alia carent: Habent quæ permanentiam partium & situationem & continuationem: idcóque linea, & superficies, & corpus sunt huiusmodi: motus autem, & tempus, & oratio, & numerus carent positione, & vnitas numeralis palam, cui respondet punctus, qui est vnitas habens positionem in re. At profectò omne quantum vt materiale habet positionem. Idem autem est punctum in linea quod vnitas in numero, momentum in motu, instans in tempore.

De paßionibus Materiæ, ex quibus oritur pondus, & dispositiones Materiæ ad omnem formam.

ALia autem materialis dispositio, affectióque pondus facit; sequitur leuitatem, & grauitatem. Graui-

tas autem, & leuitas densitatem & raritatem. Densitas, & raritas vnitionis & diuisionis participationem, hoc est, continuitatis, & discretionis: vnitatis, & numeri.

Quantitas constans ex vnitate, seu magnitudine & numero, habet nouem species: palam namque est, quod materia maximè vnita, fit densa: est enim densitas corpulentiæ constrictio, & vnio.

Ad densitatem sequitur durities, & siccitas, & ponderositas, quæ vnum sunt. Nam pumex, quia eius densitas intercepta est raritatibus, non grauat.

Cum autem densum crassúmque corpus cæperit paulatim explicari, &, vt ita loquar, disuniri, fit lentor, patet in cera igni parum admota.

Deinde magis expansa moles lenta, fit mollis; Mollities autem cedit tangenti in profundum, quia est explicata partim, & ideò potest vniri. Siccum autem densúmque non cedit, quia ita vnitum compactúmque est, vt non possit magis vniri.

Iterum molle amplius rarefactum à calore, fit viscosum, quod repugnet liquefactioni.

Viscosum autem fit lubricum, & fluit: quoniam partes eius participant diuisionem, & numerum, & multitudinem magis.

Lubricum verò plus rarefactum fit fluor.

Fluor fit liquor, sicut aqua, & ideò dicitur aqua multa, non lapis multus, quia illa plus numeri, hic plus vnitatis habet.

Liquor autem rarefactus fit vapor & fumus.

Fumus verò tenuitas inuisibilis, & summa raritas. Rarum autem est quod continet pauciores partes in maiori spatio. Densum verò eiusdem vel plures in minori spatio.

Ad raritatem sequitur leuitas, quæ ponderat sursum ad periferiam.

Ad densitatem grauitas, quæ ponderat deorsum. Et quia ponderare est tendere ad suum cognatum: ideò lignum non ponderat in aqua, sicut lapillus. Aëris enim cognatione tenetur, quia non est satis vnita, plumbum

verò,

verò, & aurum propter multam vnionem sunt. Constat enim aurum ex partibus similaribus se mutuo fortiter complectentibus. Ideóque omnes simul liquescunt, & simul indurantur æqualiter.

Sunt quidem hæ dispositiones materiales, quasi qualitates quantitatis, inditæ à causis agentibus calore & frigore. Omne enim prædicamentum proprias habet qualitates. Idcircò autem in eodem cum Quantitate locauimus, quoniam materiales,& conditiones his continentur, & ampliatio & strictio ad quantitatem est.

Ex his palam est,quomodo materiales Quantæ res cunctæ habent pro materia propinqua has dispositiones, vt caro mollitiem: neruus lentorem; os duritiem: Cera viscositatem: Mercurius lubricositatem: Aqua salsa fluorem: dulcis liquorem: Ventus vaporem: Arbor viscositatem, vaporem, & duritiem; lapis densitatem & duritiem: Metallum densitatem & viscositatem; ideóque flectitur, & non frangitur, vt lapis: Minutum verò est siccum, ruptum in frustula, vt puluis.

Differentia & actus Quantitatis.

Differentia essentialis Quantitatis seu diuersitas ab aliis Prædicamentis, huius constitutiua est intrinseca Tantificatio. Actus verò est Quantificare substantiam.

De Proprietatibus Quantitatis & materialis passionis omnis.

2. *Proprium Quantitatis videtur Peripateticis non suscipere magis & minus; neque habere contrarium.*

DECLARATIO.

VTrumq; verum est. Non enim cum sit materialis affectio, quo possit suscipere omnes formas, & determinata quantitas ad quamlibet formam requiratur; potest, ipsa formis esse contraria susceptibilibus; multo autem minus sibi: & iam declaratum est has esse conditiones materiæ in præcedenti prædicamento. Item cum Quantitas non sit actiua res, sed passiua, non intenditur, neque remittitur in subiecto, cum ipsa sit subiectum. Nihil enim recipit materia, nisi prius quanta.

3. *Proprium autem magis est secundum ipsam dici magnum & paruum Maximum & Minimum: æquale & inæquale*: vt patet in numeris, & mensuris, & ponderibus. Suscipit ergo maius & minus, sed non magis, & minus, quoniam non augetur, neque minuitur, nisi per additionem, aut subtractionem, non autem per sui multiplicationem, & debilitationem.

4. *Ergo proprium est ei, vt fiat secundum ipsum augmentum & decrementum.* Neque propterea est contrarietas in ea, sed fit à formis actiuis ad plus & minus quantitatis determinantibus propterea subiecta materialia.

Similiter raritas, & densitas non sunt contraria actiua, sed passiua, facta à formis contrariis, calore & frigore, ad commoditatem propriæ actionis ipsarum. Frigus enim melius immobilitat condensata. Calor melius mouet rarefacta. Neque humidum, & siccum sunt actiuæ qualitates, vt Aristoteles interdum docet, sed passiuæ, vt in 2. de Gener. t. 8. & 4 Meteor. t. 1. melius docet; non enim aliquid immutant agendo, sed mixtione sui, & per calorem & frigus, quod vel occultum habent. Nam lapis omnia sicca faceret. Neque humor humorem, nam aqua in aquam conuerteret ligna, & lapides, sicut ignis, & calor in ignem: sed sui mixtione aliquid exsiccant, aut humectant, non autem actione, vt diximus in Phys.

Dicitur acutum, graue, leue, & aliæ passiones de rebus

immaterialibus, & non quantis, per translationem.

5. *Item secundum ipsam fieri contractionem & extractionem* vt dictum est.


6. *Item secundum ipsam dici totum & partes*, nam de cæteris dicitur per translationem quodammodo.

7. *Item secundum ipsam dici truncum & integrum & diminutum.*

8. *Item secundum ipsam dici perfectum, & imperfectum.* Est enim perfectum, quod totam sibi debitam quantitatem acquisiuit, & translatum est ad perfectiones virtuales, & cuiuscumque rei excellentiam, & quod illi nil desit: Item & perfectus in bono, & in malo dicitur, vt perfectus Grammaticus, & perfectus latro. Imperfectum vero è contra.

9. Proprium Quantitatis *notificare nobis substantiam mensurando, numerando & ponderando per minima, & notissima, & inuariabilia*, vt digitus, Vnitas, & Granum.

10. *Maximè proprium est quantitatis tollere infinitatem.* Fluitque ab essentiali suo, quod est finire & metiri substantiam. Vnde valde errant, qui ponunt infinitum numerum, & infinitum corpus realiter, licet concedatur notionaliter. Omnis enim numerus partitur, & pari set imparis finitur differentia; & omne corpus superficie terminatur & diuiditur in partes, ergo finitur. Infinitas ergo solum in Monade incorporea indiuisibili affirmatur. Vide Metaph.


Quan titas
unita
diuisa
linea
longitudo
cēti nuū
latitudo
profundū
corpus
superficies
densitatem
constrictum
expansum
contritum
graue
minutū
pondus
hoc pondus
hoc minutum
Lentor.
Mollities.
Viscositas.
Lubricositas.
Fluor.
Liquor.
Fumus.
Tenuitas.
Hic fumus iste liquor.
simplex
lenarius
numerus
cōpositus
centenarius
de con positu.
milliones.
raritatem
acumen
humidum
tenuitatem

DE 3. PRÆDICAMENTO, hoc est de Forma, seu Figura. Art. 3.

PRIMA ACCEPTIO FORMÆ.

Forma autem primò dicta est Figura corporis extrinseca.

DEFINITIO FIGVRÆ.

Est autem Figura qualitas, seu modus, & dispositio termini substantiæ ad vsum regnantis potestatis ordinata, vt circulus, triangulus, figura humana, gladij, &c.

DECLARATIO.

Dicitur *modus & qualitas*, loco Generis transcendentalis; quoniam secundum se non subsistit, sed est modus & qualitas alterius, quod facit tale. Sicut enim Materiæ essentia dat esse, ita figura tale esse.

Dicitur *termini substantiæ*, qui est ipsa Quantitas: nam modus & talitas quantitatis est substantialis.

Dicitur *ordinata ad vsum regnantis*; quoniam Figura per se non requiritur, sed ad vsum Virtutis actiuæ, quæ regnat in ea in materia, & vt possit proprias edere operationes & actiones, & passiones subire, accommodat sibi molẽ suam ad opus, sicut Circulus est in stella, vt possit moueri in gyrum. Sphericitas in terra vt possit vndique ab inimico cœlo fugere. Oculus verò, vt vndequaque possit videre; & nasus, vt olfacere possit exhalationem, respicit deorsum; vnde calor sursum exhalat, talem habet figuram. Sic gladius, vt possit ferire, & penetrare, & falx vt possit rectè secare qui ea vtitur, figuram habent.

Ergo Arist. non rectè aufert causam finalem, & actiuam à figuris Mathematicis. Nam licet per se non agant, ne-

que finem intendant, coagunt tamen adiuuando, & sunt propter finem causarum agentium.

DISTINCTIO FIGVRÆ.

HÆC *autem forma extrinseca est alia simplex*, vt oualis vna superficie contenta; *alia composita*, vt figura gladij, alibi acuta, alibi obtusa pro penetratione, & tractione, & figura manus in multos digitos ex eadem planta extensos: *alia est de composita*, vt figura hominis constans ex figura capitis, & manuum, & cæterarum partium: Et hoc euenit, quoniam ad diuersa officia diuersis partibus, & figuris indiguit, vt patet.

De secunda Formæ acceptione.

DEinde *nomen Formæ translatum est ad ipsam rei intrinsecam qualitatem essentialem terminantem rei constitutionem*, vt forma aquæ est vltimus liquefactionis gradus, qui ipsam in esse aquæ constituit. Præcedentes verò gradus vocantur præparationes & dispositiones, at vltimus, forma, species, & enthelechia, & habitus. Sic forma aëris est vltimus habitus attenuationis aquæ, in quo non est amplius aqua, sed aër. Et videtur esse temperies virtutis agẽtis cum materialibus partibus dispositis ita, vt talis forma huius entis propria nominetur.

Et quia dat esse rei, dictum est, quod omnis forma est essentia & natura rei. Palàm enim in arteficiatis, ferrum in quo nõ est forma gladij, non dicitur gladius, sed ferrum, & in naturalibus, si formam manus non habet, non manus, sed caro, aut semen, aut aliud est. Neque syllogismus fit ex orationibus, nisi in forma dante esse syllogisticum.

De Tertia Formæ acceptione.

DEinde *nomen formæ traductum est ad omnem entitatem, quæ dat materiei aliquod esse sic, quamuis accidentale.*

Vnde ſciẽtia vocatur forma, & qualitas animæ & lux aëris & ſolis, & ſanitas ſani.

De Quarta acceptione.

DEinde *ad rem informantem intrinſecus, ſic calor & frigus,* dicuntur formæ actiuæ, & ſimiliter anima, quatenus efformat corpus, & informat ab intus.

De Quinta Formæ acceptione.

DEinde *forma vocata eſt Idea & imago, ad cuius exemplum aliquid fit*; ſicut Moyſes ad exemplar viſum in monte fabricatur Arcam; & Diſcipulus ad exemplar datum à magiſtro, ſcribit, & Deus iuxta Ideas à ſe excogitatas creauit mundum, & quæ in eo ſunt.

De ſermone Formali & materiali.

ET quia Forma dat eſſe rei Materia verò ſuſtentat & recipit eſſe. Idcirco Logici dant vocabulis ſignificatum formale, & materiale, quod ſcilicet dat eſſe ſignificatiuum principaliter, & quod ſuſtentat illud. Sicut hoc nomen, homo, formaliter ſignificat naturam humanam: materialiter vero vocem quæ ri literam: & ſpeciem predicabilem ſpecialiſſimè.

Item & quod ſecundario ſignificat, poteſt dici materiale ſignificatum, vt homo ſignificat Petrum, Martinum, & indiuidua materialiter. Formaliter vero ſolam hominis eſſentiam.

Dantur & formæ ſyllogiſmorum ſimilitudinariæ, & omnium notionum.

Forma ergo analogiam ſapit, ſed figura eſt vniuocum genus huius Prædicamenti.

Quòd omnis modus Formæ est à causa formante.

OMnis forma physica exterior deriuatur ab interiori. Nam sicuti particulæ materiales ab intus disponuntur, ita ad extrà exprimuntur in superficie. Vnde res liquidæ & tenues, quoniam partes habent disgregatas, propriam non habent figuram, sed recipiunt figuram tangentis. Densæ vero in sui ipsarum terminantur figuram, quoniam particulas habent vnitas. Habent tamen humidæ res formam intrinsecam, quæ est ipse humiditatis gradus ex particularum positione dependens. Forma autem extrinseca est passiua, & quantitatis materialis modulus. Intrinseca vero componitur, ex passiua & actiua re, & dependet à causa agente, & regnante, quæ ad sui vsum res regnatas concinnat, sicut calor dat materiæ tenuitatem, vt possit eam mouere: Frigus vero densitatem, vt possit immobilitare, & sellarius sellæ formam in qua possimus sedere; sic & vocabula, & syllogismi habent significatum ab intellectu operatiuo, & modum probatiuum pro forma ad vsum declarandi & probandi, quod ipse vult. Et Dux dat formam exercitui qua possit vincere, & non vinci: & domificator domui, qua possimus defendi à frigore, & æstu, & feribus.

Distinctio alia Formarum.

DAtur Forma totius, & Forma partis. Quæ est duplex alia materialis, vt tenuitas in igne, alia actiua, vt calor in igne. Forma totius est igneïtas, quæ potius vocari debet essentia, vt Richardus asserit.

Et quidem materialis datur extrinseca vt figura, & intrinseca, vt ordo particularum: & composita, vt temperies ex actiua & passiua, vt ex calore & tenuitate.

Quid

Quid Forma pro pulchritudine.

FOrmam autem ſequitur pulchritudo.

DEFINITIO.

Quæ eſt apparentia boni conſeruantis id, cui eſt bonum.

DECLARATIO.

ET ideò appetitur ab eis, quibus eſt conſeruatiua. Non enim pulchritudo ſerpentis eſt bona nobis, ergò nec pulchra, ſed ſerpenti, & pueris nondum agnoſcentibus eius malum. Non etiam pulchra manus, ſi habet quatuor, aut ſeptem digitos, quoniam non eſt bona ad conſeruationum opus; neque pulcher oculus ſi habet colorem croceum: ſed croceïtas pulchra eſt in auro, quoniam ibi ſignum mali, hic boni.

Bonitas autem ex potentia, & ſapientia emanat, nam bonum eſt in arteficiatis, quod efficitur à potenti & ſcienti artifice ad finem. Ideò bonus eſt gladius acutus, non autem obtuſus, neque plumbeus.

Et qui poteſt, & ſcit bonum, facit: ſimiliter & in natura. Anima ergo quæ male fabricatur corpus, facit illud deforme. i. ineptum muneribus animæ, ſicut imperitus ſartor diploïdem ineptum, male cohærentem corpori. Sed de Potentia, Sapientia, & Amore quæ ſunt Primalitates rerum, & de Bono, Vero, & Ente, quæ ſunt ipſorum obiecta, in Metaph. dictum eſt à nobis, & probatum, quod non ſint qualitates, ſed Primalitates eſſentiales, vel tranſcendentes.

Pulchritudo ergo non eſt ſola forma, nam & color eſt pulchritudo. Sed in homine ex coloribus & figura fit, procera, viuida, bene proportionata: nam parua eſt ſignũ impotentiæ, vel defectus: torpida debilitatis; improportio inſcitiæ.

De speciebus qualitatis secundum Arist. Et correctio.

SCiendum, quòd habitus, & dispositio; naturalis Potentia & Impotentia; Passio & qualitas passibilis; figura, & forma; quæ sunt quatuor species qualitatis apud Aristot. sunt res disparatæ. Et non possunt in vno prædicamento conuenire, quoniam non habent commune subiectum. Scientia enim pertinet ad animam. Figura ad Quantitatis terminationem: passio ad Transmutationes.

Propterea non rectè ab Arist. Prædicamentum Qualitatis ex his compositum est. Vt ostendimus in p. Metaph. sed qualitas est modus omnis Prædicamenti. Vnde & ipse omnes differentias substantiales qualitates appellat in v. Metaph.

Similiter hoc nomen, Forma, prædicamentum non cõstituit, sed reperitur in omnibus. Affectio tamen formalis à forma dante esse deriuans, specialem modum Entis dicit, sicut affectio quoque materialis, & ideò secundum hanc hoc prędicamentum composuimus: quoniam figura specialem modum declarandi habet esse rei.

Sciendum ergo quod habitus & dispositio ad illum, pertinent ad tertiam & quartam acceptionẽ formæ, sed scientia vt scientia est de Primalitatibus rerum constitutiuis, & extra Prædicamentum naturale, sed pertinet ad Metaphysicale, quamuis partim modò sapientiæ signũ est. Dispositio verò, & passio, quæ fit in nobis per scientiæ acquisitionem, materialiter sumptæ, sunt formationes quædam, & dici possunt qualitates: sicut sanitas, & ægritudo vocantur boni, & mali habitus ab Hippocrate. Naturalis verò potentia, & impotentia pertinent ad Metaphysicale Predicamentum, quod est Primalitatis primæ. Sed Passio, quæ in nobis fit ex eis, dicitur quędam qualitas naturalis ab influxu entis, & non entis indita. Et sunt aptitudo, & ineptitudo ad operationes quasdam, vt ad cursum, ad scientiam. Passio est de prædicamento Passionis; sed illa affectio

in nobis remanens, vel est color, vel sapor, vel sonus; & omnes hæ proprium habent Prædicamentum. Non quidquid patimur passione immanente, vel transeunte, ad idem pertinet genus, nisi sint ab eadem agente causa, vt lux, color, & visibile, à calore. Formarum autem passiuarũ aliæ sunt rationes & vsus, atque actiuarum.

Definitio Qualitatis Aristotelica nugax est, nil docens. Ait enim. *Qualitas est secundum quam quales esse dicimur.* Etiam Figulus scit hoc. & Anima erit, à qua dicimur animati, quantitas à qua quanti, motus a quo mobiles, &c. & homo est qui homificat. Non tamen dicit quid sit qualitas: nec quid est quale. Sed denominationem grammaticalem tantum.

DE CONFIGVRATIONE.

DEFINITIO.

Configuratio est dispositio decomposita partium in toto, relatarum ad inuicem, & ad coexistentia in Mundo corpora, propter vsum proprium & totius, & regnantis causæ.

DECLARATIO.

Est enim figuratæ rei ad alias res configuratas situalis respectus. Non solum enim figura dicitur de re, cui inest, sed de ipsa, & aliis coexistentibus. Vnde dicimus stellas mutuò configurari, & alias esse ante solem in Horoscopo, alias post. Et profectò sicut in corpore humano ex diuersis partibus, diuersimodè figuratis, fit vna figura totalis decomposita; sic & in partibus mundi, & requiritur ad hanc figuram distinctio partis & ad vnum respectus: & est idem quod ordo.

A Peripateticis vocatur situs, & positio, & fit Prædicamentum distinctum, propterea quod addit relationem.


Sed profectò relatio habet ſuum prædicamentum apud Ariſt. Et ex illa & alio non componitur tertium, ſecundum eorum decreta. Mihi autem libuit hic apponere ſitum, ne multiplicatio Prædicamentorum fiat abſque neceſſitate: eſſe enim in Platea non eſt eſſe ſicut in loco, ſed ſicut in parte Mundi, & Ciuitatis talis, in tali forma ad vniuerſum, & configuratione. Et hoc patet quoniam poſitio militum in exercitu cauſat configurationem & formam, quæ eſt eſſentialis exercitui. Abſque forma enim multi homines exercitum non faciunt, neque ſenatum abſque ordinibus ſuperioribus, & inferioribus. Similiter ſitus partium in homine facit figuram humanam, ſicut ſitus partium in temperamento facit formam temperiei liquidam, aut denſam, aut viſcoſam: & differunt, ſicut ſitus interior & latens ab exteriori & patente. Sedere ergò, & ſtare dicunt ordinem partium hominis in ſe & ad mundũ, ſicut figura hominis dicit ordinem partium hominis in ſe, & ad mundum, vt caput verſus cælum, pedes ad terram oculos ad anteriora, ſpinam in tali ſitu, &c. Ex quibus omnibus eius reſultat figura decompoſita. *Situs ergo eſt configuratio decompoſita ex partibus ſituatis corporis ad adiacẽtia corpora, & ad totum vniuerſum, & propter vſum virtutis regnantis, tam in corpore illo, quam in toto vniuerſo.* Sol enim in diuerſis Zodiaci ſitibus fit, quia gaudet motu, & conflictu, ad deſtructionem terræ anhelans; & ad vſum Dei, qui ex talibus ſitibus diuerſas actiones ſolis facit ad diuerſa Entia generanda, conſeruanda, & tranſmutanda. Sic Papa ſedet in ſella propter commodum ſuum, & Reip. & Dei vſum, qui vtitur eo ad munus. Et quod dicimus de Papa de omnibus rebus verum eſt. Neque enim lapillus habet ſitum in mundo, niſi ad vniuerſi ordinem, ſui cõmoditatem & vſum Dei, vt probatum eſt in Metaph. Licet ſecus videatur ignorantibus opificium Dei, vti muribus has literas inſpicientibus.

FIGVRÆ DIFFERENTIA ET ACTVS.

Figuræ diuersitas ab aliis prædicamentis est modificatio quantorum: & formalitas.
Actus vero est figurare & formare, & dare tale esse, siue accidentaliter, siue essentialiter.

De Proprietatibus formalibus.

Figura non habet contrarium actiuum, sed paßiuum, & dicitur difforme, non contrarium; vt curuum & rectum: aut concauum & conuexum: & asperum & lene.
Non suscipit magis & minus, sed maius & minus. Est enim triangulus triangulo maior non magis.
Item secundum ipsam dici quale & tale vnumquodque.
Item dimensiones modificare.



DE 4. PRÆDICAMENTO: quod eſt, Vis, vel Facultas.

Quemadmodum in Analogis ad Qualitatem ſequitur virtus, ita in vniuocis ſequitur facultas, illi correſpondens.

DEFINITIO.

Facultas eſt Poteſtatiuæ eſſentialitatis virtus, ad Actum & Actionem emergens.

DECLARATIO.

Ponitur *virtus* loco generis, omnis enim facultas virtus eſt, non è conuerſo. Nam primitus eſſentiant ens Poteſtas, Sapientia, & Amor: idcirco vocantur primalitates: quæ mox vt reſpiciunt ad extra dicuntur principia, quia primo capiunt opus internum vel externum. Dicuntur etiam virtutes à vi: qua poſſunt exeri ad opus. Item potentiæ à potendo operari. Facultates etiam dici queant à faciendo per actum vel actionem: Hoc tamen vocabulum Phyſicis rebus conuenit magis: & operatiuæ ſunt ex poteſtatiuo principio manantes. Virtus enim & naturalibus, & moralibus, & metaphyſicis accommodatur. Vnde potius dicitur virtus cognoſcitiua, & volitiua, quam facultas: propterea diximus virtutem quid communius eſſe; & addimus idcirco *eſſentialitatis poteſtatiuæ*, quoniam vt facultas à poteſtate eſt, non à Sapientia & Amore. Et in Phyſicis dicitur a forma emergere, vt potens eſt. Poteſt autem cum viget poſſidétque materiam, & vocatur Ariſt. naturalis potentia: Cum autem torpet, naturalis impotentia. At quoniam Poteſtas, Sapientia, & Amor ſunt idem realiter, teſte Auguſtino, licet diſtinguantur formaliter, vt formalitates eiuſdem rei: Dicitur etiam facultas cognoſcitiua, & volitiua, vt viſiua, eſuritiua, &c. dixi, *emergens ad actum & actionem*, quoniam eſſentia vt ſe actuet, & vt agat, manat à ſe vim & facultatem, & non ob aliam cauſam finaliter, vt Calidum vi caloris calet actu, & calefacit actione. S. Dionyſ. in omni reponit eſſentiam virtutem, & operationem, ſed non negat Finitatem, Qualitatem, & Actum.

DISTINCTIO I.

Facultatum alia ad actum eſt: vt quieſcitiua in Tellure & motiua ſui in Sole: Alia ad Actionem quæ ſemper fere ſubſequitur illam vt grauitare ſub tangentem Telluris: & motificare Aërem Solis. Sic in ſpiritu motus eſt Actus, qui quatenus arteriæ communicatur eſt actio, & dicitur pulſatio.

DECLARATIO.

QVid ſit Actus & Actio in ſeq. prædicamentis patebit. Operatio autem aliquando pro Actu, aliquando pro Actione ſumitur. Soletque dici Actio immanens, & Actio tranſiens in Peripato.

DISTINCTIO II.

FAcultas operatiua ſeu actuatiua alia eſt Metaphyſica, vt poteſtatiua, cognoſcitiua, volitiua. Alia Phyſica vt motiua, & quieſcitiua, & receptiua.

DECLARATIO.

HArum declaratio in Metaph. liquet. Logica tamen cum ſit vniuerſalis Ars, etiam prælibat eaſdem, vt ad prædicationes ſpectant. Nota, quod omnis res ſuum Actum habet, innominatum ſæpè, tamen à nomine deriuatur ſine adiuncto. Caloris enim eſt Actus calere: & ſi addis facio, i. calefacere ſignificat Actionem: hominis ergo homare, & homificare: Lætantis lætare, & lætificare. Et ad vtroſque eſt innata facultas. Vnde apparet, quòd ſi materiæ eſt materiare, vt cauſa enim eſt, cauſatiua eſt, eius potentia receptiua poſſet dici facultas materiatiua. Si enim nihil eſſet, poſſet quidquid materia non eſt materiare. Sed profecto magna potentia eſt, & quoniam facultas à faciendo videtur dicta, propterea ægrè conuenit materiæ patienti tantum. At potentia receptiua cum ſit acquiſitiua, facultas dici queat, non autem potentia deperditiua, qualis eſt in frigore cum deſtruitur à calore. Verbo enim videtur potentia, ſed facto impotentia eſt.

DISTINCTIO III.

FAcultatum Actiuarum Aliæ ſunt naturales in materiam opus edentes, vt calor & frigus, vocatæ vires naturæ, & virtutes materiales, & principia rerum Phyſicarum. Aliæ ſunt

morales vt virtutes & vitia, principia operationum moralium & politicarum bonarum vel malarum. Aliæ sunt Animales, spectantes ad potestatiuum, & cognoscitiuũ, & Appetitiuum Animæ, vt sustentatiua, visiua, generatiua, nutritiua, &c. quæ omnes reducuntur ad trium primalitatum opera in Animatorum deriuata structuram & vsus.

DECLARATIO.

Rerum naturalium Actiuas causas Philosophi veteres etiam vocauere potestates, & vires naturæ, & formas agentes, & substantias agentes, & virtutes. At moralium Actionum, imò & factibilium principia, scientias, Artes & Regulas, & leges, vocauerunt facultates, & virtutes; vt facultas Theologica, facultas rectè viuendi seu probitas, & facultas fabrilis, & militaris, passim dicuntur. Item virtutis nomen, quod fortitudinis est proprium in Sap. 8. & apud Iul. Cæsarem, ad omnes facultates, & Regulas, & leges morales transiuit non iniuriâ. Sunt enim principia faciendi aliquid, Animam ad illud aliquid præparantes, & qualificantes & habituantes. At in Animalibus operationibus multiplex facultas elucescit, ex parte Animantis, & ex parte obiectorum, vt facultas visibilis & facultas visiua.

De facultatibus sentientis Animæ, & sensibilis rei per se, & per aliud.

Qvatenus Anima sapit, habet facultatem sapiendi se per actum, & alia obiecta quasi per actionem vitalem, de quibus iudicat. Et obiecta etiam habent facultatem agendi in Animam sui similitudinem & speciem, per quam Anima ad obiecta noscenda extenditur. Propterea ex parte Animæ sentientis datur facultas tactiua, gustatiua, olfactiua, visiua, auditiua, tam in recipiendo, quàm in iudicando de receptis; & ideo duplicatur. Obiecta verò quatenus sentiuntur, quædam habent facultatem tangibilem, vt calor & frigus, quædam visibilem, vt lux: quædam audibilem vt soni. Et hoc per se: nam per aliud obiecta alia etiã sentiuntur, vt per frigus glacies: per saporem caro: per odorem

pomum: per lucem color & figura & mons: per sonum Cythara, Campani, lupus, &c. Sic de intellectu, & scientiæ communicatione philosophabere.

DECLARATIO.

IN Physiologia hæc disputantur: hic ordinantur ad scientiam, per distinctiuam & vnitiuam Artem. Et profectò extendi potest ista doctrina ad sensus interiores, & obiecta, vt imaginatiua sit facultas & imaginabilis, memoratiua & memorabilis; reminiscitiua, & reminiscibilis. Item ad intellectiuam & intelligibilem, consideratiuam & considerabilem; & similiter ad Actiones Animæ directas ad alios, vt declaratiua & declarabilis: doctiua & docibilis facultas.

De facultatibus appetentis Animæ, & appetibilis rei per se & per aliud.

QVatenus Anima appetit, habet facultatem recipiendi speciem appetibilis, & ad ipsum se inclinandi si bonum. i. iuuans, vel declinandi, si malum, i. nocens. per actus vitales. Et similiter obiecta habent facultatem mouendi appetitum siue ad sequelam siue ad fugam. Propterea ex parte Animæ appetentis datur facultas esuritiua, sanguificatiua, spirificatiua, nutritiu, & generatiua, & expulsiua, sicut datur esuribilis, seu manducabilis rei facultas, & ratio qua appetatur. Similiter sanguificabilis, spirificabilis, generabilis, & sequestrabilis. Et per se, & per accidens, vt in Phys. apparet.

DECLARATIO.

HÆc dicta sunt ad similitudinem cognoscentis cum hoc discerniculo, quoniam appetitiua opere mechanico etiam exercetur, & in contrarium inuehitur stomachata. Cognoscitiua autem non habet contrarium nisi falsum, omnis enim res vt cognoscibilis illi conuenit. Falsum autem vt respuitur appetentis vi respuitur ea prose-

quentis operatorij instrumenti; si quando opus. Idem intellige de volitiua & desideratiua concupiscitiua, ambitiua, sine organis.

De potestatiuæ animæ facultatibus, & potestabilium per se & per accidens.

QVatenus anima potens est, sui corporis & externorum, habet instrumenta, & obiecta, & facultates. Nam datur substentatiua & sustentabilis, quæ est in mole corporis: colligatiua & colligabilis: contentiua & contentibilis; Munitiua, & nocitiua in obiecto: pugnatiua, & expugnabilis in hostili obiecto; quæ eodem ritu, quo supra tractantur.

DECLARATIO.

REuerà Anima ossibus sustentat statuæ suæ pondus; & neruis & membranis ligat compages & artus: vasis continet humores & viscera & spiritus. Carne & corio & pilis & squammis se defendit à nociuis. Cornibus, dentibus, spinis, rostro, vnguibus, pugnat contra hostes; & vtrinque est facultas: nec tamen vniuoca. Nam Anima formidat à re non habente facultatem ingerendi formidinem, vt à linea in muro, quam putat esse Colubrum: & fit formidabilis ab apprehensione falsa. Ergo facultas illa non est in linea, sed in anima: dicitur tamen in linea, quatenus potens est excitare imaginem formidabilem in Anima. Prætereà notandum quod aliquando ponitur pro facultate & potentia id, quod est impotentia, & debilitas. vt cum Peripatetici ponunt in corpore animali non solum facultatem nutritiuam & augmentatiuam; sed etiam diminutiuam in senio. Et falluntur, quoniam ista non est facultas actiua nec receptiua; sed deperditiua tantum, vt dictum est: ergo æquiuoca.

CONSIDERATIO.

QVamuis dixerimus facultates ab intrinsico potestatiuo formaliter vel realiter, emergere: sunt tamen quædam adscitæ ad quas a'ci'cen las idoneus est animus; hec autem idoneitas est prima emersio acquirens quod non complete inest, vt cum homo addiscit Logicam vel Cytharam; & cum per instrumentum mechanicum potens fit eleuare centum millia librarum, qui per se potest vix sexcentas. Ad hæc autem non est idoneus canis, nec lapis. Similiter habet facultatem ad recipiendam gratiam Dei supernaturalem quæ mox est virtus & facultas supernaturaliter operandi, ad quam receptionem non est apta anima Lupi.

DECLARATIO.

HInc habemus, quod nulla facultas adscititia est in reb⁹ non habentibus eam ex se saltem incompletè & imperfectè, & radicaliter: quod Peripatetici dicunt habere in potentia, vel remota, vel propinqua; vel in habitu: qui est potentia proxima ad actum.

De facultate instrumentali.

SVnt etiam facultates instrumentales, quibus res aptæ sunt fieri causarum principalium organa ad operationes, quas per se non possent, vel ex defectu virtutis, vt homo non potest scribere sine penna: ergo facultas instrumentalis est in penna ad scribendum, quæ non est in ligone; vel ex excessu, vt Deus non potest manducare sine ore & dentibus, nec mingere sine corpore humano. Nec ad malum actum, quà malus, concurrere: quoniam isti actus modificantur ab homine, cui dedit Deus instrumenta & potestatẽ. Modificatio autẽ ex participio nihili est, quod in Deo esse non potest: & id non posse est potentissimum esse sine modo & fine. Nec enim dat finitudinem Deus & modum cum sit infinitus & immensus, nisi vtendo non ente tanquam ente, vt in Metaphys.

DECLARATIO.

HAnc miram doctrinam vide in Metaph. Interim nota quòd instrumenta quædam sunt coniuncta naturaliter, & diuiduntur in potestatoria, vt ossa ad sustinendum; & in sensoria vt oculus ad videndum, & in appetitoria, vt ventriculus ad famescendum. Quædam sunt separata, & reducuntur ad hæc tria, nam arcus est potestatorij, pictura sensorij, coquina appetitorij, instrumentum.

Prima Assertio.

ITem quædam sunt instrumenta animata rationali anima, vt Seruus Domini, & Iudex Regis. Quædam sensitiua; vt bos & Caballus: quædam inanimata vt Aratrum & Cythara. Sed magis accedunt ad rationem instrumenti, quæ minus de se operari possunt: vt calamus: quæ minus, minus, vt bos: quæ minimum, minimum, vt Iudex & Consiliarius. In tantum enim instrumentum dicitur, in quantum non operari potest per se, sed ad motum Agentis principalis. Principale est à se, instrumentale ab alio meliori vt sic.

Secunda Assertio.

OMne instrumentum eatenus instrumentum est, quatenus facultatem habet operandi aliquid cum agente principali, quod per se principale agens, aut non potest, aut non commode potest; veluti sine calamo scriptor non potest scribere; aut absque cultello non commode quis secat panem. Igitur verum non est quod instrumentum non attingit effectum aliquo pacto; sed quod non attingit absque causa principali. Imo per se non potest ad effectum sine principali causa moueri.

Tertia Assertio.

NVllum instrumentum potest eleuari ad opus, quod non potest attingere sicut nec auris ad videndum, nec Cythara ad scribendum: ergo nulla creatura ad creationem, vt terminum à quo

eleuari potest; sed forsan vt ad quem, nam sic sacramenta sunt instrumenta gratiæ vt recipitur in homine, non vt exit à Deo.

DECLARATIO.

HInc collige, nullum ens posse fieri causam absque facultate causatiua; nec instrumentum absque concausatiua; & totum corpus humanum est instrumentum animæ multiplicem secundum eius multiplicem virtutem. Item fenestram domus non esse instrumentum vidẽdi sed viam: Imo nec oculum: sed viam, qua admittatur res visibilis ad videntem spiritum. Nam & sine oculo videt etiam, ait Bern. Sed fortasse est instrumentum non vt videat, sed vt sic videat: quod Telesius, negans instrumentalitatem oculi, non negaret.

Facultates omnes reduci ad tres.

FAcultates omnes reducuntur ad potestatiuas, cognoscitiuas & appetitiuas, tam in causis quàm in instrumentis. Etsi quæ adduntur, ex eis dependent & ex instrumentatione, vt attractiua, retentiua, digestiua, & expulsiua apud Medicos.

DECLARATIO.

POnit quidem Galenus in ventriculo attractiuam, retentiuam & expulsiuam non ineptè. Nam & si spiritus vitalis inoperans sit vnus; cum tamen triplici instrumento hæc faciat. Nam rectis trahit fibris, transuersis expellit; & obliquis retinet; ergo triplex facultas, quæ vna radicaliter, triplex ramaliter. Similiter manus habet vim trahendi, stringendi, & pellendi, & hæc facit curuando, claudendo, & aperiendo digitos: Et nihilominus vnum est organum, ab vno principio tractatum.


Differentia, & Actus, & Proprietas Facultatis.

ID, *quo Facultas ab aliis prædicamentis diuersa est, est egressio ad a tum intraneum, in se, vel in aliud.* Qualitas enim vt dat modum, est qualitas, vt respicit actum, in virtutem eminet, seu facultatem.

Actus virtutis, seu facultatis est principiare. Per virtutem suam enim res omnis agit, principiatque internos & externos actus.

Proprium omnis facultatis est manifestare id, cuius est facultas. Quoad naturales potentias, & impotentias.

Suscipit omnis facultas magis & minus, & habet contrarium: Quoniam à vi actiua sunt. Et motus enim, & sonus, vt à sonante & resistente fit, intenditur, & remittitur, nisi potius dicas, fit maior & minor.



potestatiua, cognoscitiua, amatiua.
constitut.
facultas
Metaphys
physica
obiectiua
poßibile, verum, bonum.
vigor
ad actionem,
calefacere, frigefacere, vectare.
ad actum,
mouere, quiescere, torpere.
moralis,
virtus, vitium, lex, ars.
naturalis,
vires, sapores, odores, lux, &c.
animasticus
vitalis, senßitiuus, appetitiuus,
principaliter vel instr.
hac & illa fatui.

PRÆDICAMENTVM V. De Operatione, ſeu Actu.

Procœmium.

IN omni Ente Actus ſequitur virtutem, & quæ ad ipſum ordinatur, ideò de Actu ſequitur prædicamentum, qui Operatio interna in Phyſicis dici poteſt, vt S. Auguſtino videtur. Et ſumitur aliquando etiam pro forma operante, vnde apud S. Thomam Deus dicitur purus Actus. Sumitur etiam pro exiſtentia propria: vt cum dicimus, Roſa eſt in actu: quoniam tunc per ſe operari poteſt.

DE OPERATIONE, SEV ACTV, Prædicamentum 5.

QVID SIT OPERATIO.

DEFINITIO.

Operatio eſt peremnis actus habitualis internæ virtutis conſeruans eſſentiam in ſua exiſtentia propter ſe editus, & non in aliud, vt motus ignis, & quies terræ.

DECLARATIO.

VOcatur *Operatio*, vt vniuocetur. Et dicitur ad intra vel interior: quoniam Operatio frequenter pro Actione in aliud, ſumi ſolet.

Dicitur *actus* tam ex genere ſuo largè ſumpto. Eſt enim actus eſſendi vt Petrus eſt homo. & exiſtendi, vt Petrus eſt in Platea; & actuandi, vt Petrus petrizat. & agendi

& patiendi, vt Petrus verberat, & verberatur. Hic actus ſumitur ab actuatione. Et quoniam duplex actuatio, alia, quæ ad obiectum reſpicit, vt amare litteras, alia quæ eſſentiam, vt amare: Idcirco dicitur *peremnis*. Hæc ad differentiam illius.

Dicitur *nternæ virtutis conſeruans eſſentiam in ſua exiſtentia*. Quoniam eſſentia non eſt niſi per proprium actum. In Deo eſt Actus idem cum eſſentia, quoniam eius exiſtentia eſt idem cum eſſentia. Dicitur ad differentiam quoque paſſionis, quæ in exiſtentia non conſeruat, ſed euertit in aliud mutando.

Dicitur *propter ſe editus, & non in aliud*, ad differentiam Actionis, quæ in aliud editur, & propter aliud: vt Calefactio eſt in rem calefaciendam, & vt aſſimilet illam calefacienti; quo facto ceſſat actio. Et generatio hominis eſt propter genitum, non propter generantem niſi extrinſecè: quo genito, ceſſat generatio cum gaudio: at Actus ceſſat nunquam, quoniam eſt propter id, cuius eſt Actus: & in id ipſum, & non in aliud & ideò ceſſante actu ſeu operatione, corrumpitur Entitas operantis, vt ignis priuatus motu extinguitur, & terra quiete carens, corrumpitur. Actio requirit paſſum. Operatio non requirit; ſed remanet in operante.

Et quia Actio fit propter aliud ſibi aſſimilandum. Et Operatio eſt propter conſeruationem rei in ſe; Ideò finis actionis eſt operatio. Cum enim res aſſimilata eſt agenti; eius operatione donatur, vt tellus facta ignis, ſumit motum ignis: qui & ſurſum reuertitur ad ſui operationem ab actione.

Notabile.

PAſſio eſt actus Entis in Potentia. Operatio entis in actu. Hinc eſt quod Theologi in Deo ponunt operationes ad intra peremnes; & in hoc earum perfectiones: Actiones verò minimè: quæ niſi ad finem perueniant imperfectæ ſunt: non enim ſunt agentis conſeruatiuæ in

se: neque beatificatiuæ, sed ostensiuæ beatitudinis. Beatitudo enim est in ipsa operatione, & ad ipsam actiones omnes diriguntur, & ab ipsa manant. Ergo indoctè Arist. posuit beatitudinem Angeli in mouendo cœlo. Et peius, qui Deo eandem tribuunt. Beatus enim est etiam si non moueat, & nihil operetur ad extra: cum non sit propter exteriora, vt seruus & panis: sed propter se, vt dominus.

Non omne, quod mouetur ab alio moueri, nisi motu qui est passio.

QVando ergo Arist. probat, omne quod mouetur ab alio moueri, verum dicit de motu, qui est passio, & mutatio ab externa vi, vel arte, vt ædificatio, & calefactio; sed non de eo, qui est actus, & operatio vitalis. Non rectè ergo probat cælum moueri ab alio, nisi prius probet cæli motum esse passionem, quod nunquam fecit. At decipiuntur vocabulo; Moueri enim secundum vocem est passio, & amare est actio; & tamen amare rem, est actus & simul affici & pati à re amabili. Et moueri est quandoque se ipsum ferre. Nam quando ignis vadit sursum à se se mouet à propria forma, & non vt vult Arist. à generante, qui est mortuus, & motu generationis solum mouit. Sed vnumquodque naturaliter motum, à se mouetur. Natura enim est principium motus intrinsecum.

Et in his idem est agens & patiens nisi separes materiam à forma agente, cui facta est vnum, vt in igne calor mouet, & tenuitas mouetur.

Quæ autem mouentur violenter, & ab arte, habent principium motus extrinsecum. Quapropter non quia lapis à proiiciente mouetur, & nauis à nauta, & ædificium ab ædificatore, & doctus à doctore, rectè concludit Arist. cœlum ab alio moueri, nisi probet prius motum cæli esse artificialem, vel violentum, quod non fecit, vti nos ostendimus in Metaphys.

Diuiſio & Differentia Operationum Phyſicarum, & Metaphyſicarum.

S*unt operationes aliæ metaphyſicales, vt Poſſe, Velle, & ſapere;* quas Ariſt. paſſiones vocat in libro de Anima, quoniam ab obiectis patitur volens, & ſciens. In Metaphyſ. verò actiones immanentes, & melius. Sed multa altercatio de his eſt apud Peripateticos. Nos autem operationes vocamus; & ad intra propter cautelam Auguſtini poteſt addi; vel potius actus, qui mediat inter formam & operationem.

Nec puto à rebus ſcitis & volitis, & poſſibilibus, moueri Potentiam, Sapientiam, & Amorem, ad potendum, volendum, & ſciendum: Primalitates enim nulli humiliantur viliori enti: ſed ſemper Ens vult, poteſt, & ſcit; ſed ab obiectis ſpecificatur Poteſtas, Voluntas, & Sapientia, vt poſſit hoc, velit hoc, ſciat hoc. Ergo neque quoad exercitium Operationis, ſed quoad ſpecificationem requiruntur, vt dixi in Metaphyſ.

De Phyſicis Operationibus.

A*Liæ operationes Phyſicæ, vt motus & quies,* qui diſtinguntur à mutatione, vt dictum eſt, & fiunt cum voluptate. Mutatio verò cum moleſtia. Motus videtur eſſe cæli, potius autem ignis, vt diſputauimus cum Pythagoricis. (Nam Quinta eſſentia Ariſtotelica exploſa eſt iampridem) Quæcumque corripit ignis, attenuantur vt moueantur: quoniam Motus operatio caloris. Quæ verò corripit frigus condenſantur vt immobilitentur, vt vapores mobiles in grandinem immobilem acti. Quies verò frigoris, torpor autem materiæ adſcribendus. Item delapſus corpulentiæ ſiue frigidæ, ſiue calidæ deorſum Non autem caloris, nec frigoris: ergo materiei fulcimentum quærentis.

Vel melius, deſcendunt omnia noſtri ſyſtematis cor-

pora propter conſeruationem totius, quando carent partis operatione: ergo ad concentrationem, quæ vnit, & ideo accelerant. Vnitio.n. conſeruat, diuiſio deſtruit.

Motus autem ignis ſurſum eſt regreſſus ad naturam: conueniens partibus extra ſuam vniuerſitatem poſitis, & illam appetentibus.

Ex operationibus prima elementa noſcuntur eſſe duo.

HInc patet, cum ſint duæ operationes phyſicæ, & torpor tertius, duo eſſe principia actiua, & vnum paſſiuum, calorem, & frigus, & corpoream molem. Ergo duo elementa ſolem & terram: nec rectè duos motus ſurſum, & duos deorſum, qui ſunt omnes duo & non quatuor probare Ariſtot quatuor elementa; ſed potius duo. At quia motus motui non contrariatur, ſed quieti, duo eſſe elementa, mobile & immobile putandum erat, conſtituta à duobus actiuis cauſis, quas & ipſe fatetur cum Parmenide; licet duas addat poſteà cum Ocello, ſecum pugnans vt ſolet.

Operatio rectè eſſentiam declarat.

De languidis & mediis Operationibus.

SVnt Operationes mediæ in natura, miſtæ ex his. Nam aqua mouetur, & quaſi quieſcit, & venti & animalia interdum mouentur, interdum quieſcunt, quoniam ex terra, & igne conſtant, & vtriſque oportet ſatisfacere, ne diſſoluatur compoſitio. At ſpiritus, cum ſit igneus cæleſtiſque ſemper mouetur, vt thoracis & venarum pulſus admonet.

Quæ velocius & magis mouentur viuidiora ſunt: quæ & pigirius, torpidiora. Ideò ſtellæ & in ſe circumuoluūtur, & terram ambiunt, ſi tamen à ſe feruntur & igneæ ſint, quod de ſole tantummodo pro comperto affirmo, vt patet in Metaph. noſtra, & in libro de motibus Aſtrorum.

CORRECTIO.

QVI autem quietem esse priuationem operationis in terra dicunt, non rectè philosophantur. Nam veluti motus conseruat mobilia, ita & quies immobilia; & vterque est actus vitalis & perennis. Et perperam Aristot. terram, quia est demortua, & à cœlo procul, immobilitat, & non quia eius naturæ est bonum esse sic. Est autem quies priuatio in igne cum non mouetur, & motus in terra est priuatio, cum agitatur. Otiositas autem est, cum aliquod ens non operatur quod debet ad sui, vel aliorum quibus tenetur, vtilitatem. Vt si Musicus non canat. Deus autem non tenebatur Mundum creare hunc; nec alium nouum: ideo non fuit nec est otiosus, nisi cesset operari ad intra.

De Diuersitate, actu, & Proprietatibus Operationis.

DIfferentia Actus ab aliis Generalissimis est virtutem subsequi natiuam, & essentiam vt existentem, conseruare, & immanere in eo, in quo fit, & cum vita incipere, & perdi.

Actus eius est actuare virtutem. Actus enim non dicitur actus.

Proprietas. Suscipit magis & minus, quia vis operatiua extenditur & remittitur, languet & roboratur; sic & Operatio.

Habet contrarium Physica tantùm Operatio. Metaphysica contradictorium:

Est finis actionum:

Et beat esse.


Indicat Operatio immediatè robur Operantis:

Est principium actionis.

De operatione mista.

NAM quando duæ res diuersarum operationum vniuntur; Operatio transit in naturam actionis, & passionis, vt motus spiritus est operatio: sed quando mouet corpus, operationem in ipsum intorquens & in illa fit actio, & corpus motum patitur; & hic miscetur violentia. Datur ergo & operatio mista actioni, passionique per accidens, de his alibi. Dicitur etiam motus mutatio in cœlo si respicis ad locum exteriorem. Operatio, si ad internum perennationis vsum.

Nota. Ex his patet, operationem non conuenire accidentibus materialibus; neque formalibus; sed ipsis agentibus subsistentibus, aut per se actiuis. Calor enim & frigus licet non nisi in corpore subsistant, tamen regnant in eo, & actionem dant non accipiunt.



DE ACTIONE.
Prædicamentum VI.

Quid sit Actio; & Diuisio illius: & Declaratio.

DEFINITIO.

Actio est Potentiæ actus effusiuus similitudinis causæ agentis in patientem, vt calefacere est effusio caloris in rem, quæ calefit.

DECLA-

Declaratio & Diuisio primo ex ratione similitudinis.

DVplex est similitudo: Idealis .s. & naturalis; vt cum ego scribo effundo similitudinem scripturæ, quæ est in mente mea idealiter: & omnis artifex agit effundendo Ideam. Cum verò homo generat hominem, & calor calorem, est similitudinis naturalis communicatio. Nam genitus est similis in natura ipsi generanti, scriptura autem in Idea: non enim est homo.

Principium actionis in fieri est actus, qui dum communicatur fit actio. Motus enim Spiritus est actus, qui dum cõmunicatur venæ est actio pulsifica. Sed virtus est principium à quo, seu causa potius, quæ vt respicit ad extra est simul Potestatiui, & Cognoscitiui & Volitiui. Sed in actione naturali, Potestatiuum magis elucet, licet concomitanter sit & præscientia & voluntas. Et ideo dicitur *Actus* loco generis transcendentalis. Additur *Potentiæ*, nam agens naturaliter agit quantum potest.

Actionis verò idealis videtur magis scientia cum voluntate, vel appetitu esse principium, concurrente Potestate concomitanter. Nam & bruta fabricantur nidos, qui similes sunt Ideæ & non naturæ ipsorum.

Agens enim ideale agit quantum vult, non quantum potest; egressio tamen actionis est à Potestate vt sic. Quæ enim est prima in essentiando, est etiam in operando.

Omnis autem actio naturalis & idealis requirit patiens & receptiuum, quoniam facit partem rei, & non totum: vt Calor facit Calorem, sed non materiam Caloris. Actio verò supereminens transcendentalis, non requirit subiectum, sed facit, quoniam facit totum esse: talis est Creatio, qua Deus effundit similitudines ideales, & ideatum simul. De hac actione Theologus considerat.

Dubitatio & solutio.

SED dices. Homo viuus dat mortem alteri à se occiso, & lapidi proiecto dat esse sursum, vbi ipse non est, & spina non perforata perforat. Vbi nam est similitudinis communicatio in his?

Resp. Quod homo viuus dat mortem, quia in idea habet, & non quatenus viuus, sed quatenus volens. Quando verò occidit hominem, quem non intendit occidere, concurrit vt instrumentum primi intellectus, qui regit Mundum, & vtitur cunctis rebus tanquam instrumentis, vt ait Moyses in lege de eo, qui casu hominem percusserit, *quoniam tradidit illum Dominus* (ait) *in manu sua*. Sed quando Calor occidit frigus, est per accidens occisio frigoris; calefactio autem est actio eius per se; ad quam per accidens sequitur frigoris mors, non potentis cum calore manere, si enim posset calor absque occisione frigoris materiam occupare, & regnum frigoris vtique faceret. Spina autem quando perforat, propriam iniicit similitudinem; nam foramen facit tantum, & cuiusmodi ipsa est, & gladius vulnus quantus ipse est, eiusdemque figuræ.

2. *Diuisio ex modo agendi.*

Actionum naturalium, alia est sine materiæ effusione, sed tantum virtutis agentis, vt calefactio, & illuminatio, quæ extra subiectum suum porrigitur in aliud. Alia est cum effusione subiecti ex parte, vt seminis cum spiritu effusio ad generandum animal. Illa prior fit cum voluptate agentis, quoniam sui multiplicat naturam. Ista secunda cum aliqua consequente molestia, quoniam partem suę naturæ deperdit.

3. *Diuisio.*

ALia vocatur actio materialis, vt cum humidum humectat mistione suæ materiæ cum patiente, non au-

tem effundendo ſe extra ſubiectum, niſi vi caloris cum lapis cadens frangit caput, & homo in clauuem incidens ab eo perforatur, & in his materialis ſimilitudo effunditur, quoniam vulnus lapidem in figura, & clauo fit ſimile: ſed intellectus diuini idea principaliter concurrit, nobis occulta in omnibus. Alia eſt actio immaterialis, vt cum calor calefacit, & Angelus mouet lapidem, & homo vim in re proiecta imprimit abſque ſui corpulentia.

4. *Diuiſio ex natura agentium.*

ALia eſt actio principalis, vt ſcribere reſpectu ſcriptoris. Alia inſtrumentalis, vt ſcribere reſpectu manus, & calami. Omnis actio effundit ſimilitudinem agentis principalis, non autem inſtrumentalis, niſi extrinſecè, vt ſcriptura hæc ſimilis eſt mihi in Idea, non autem in calamo niſi in craſſitiæ & tenuitate: Tenues enim gracilúſque facit lineas calamus autem acutus; obtuſus verò craſſas, ergo quæcúmque fiunt in mundo habent principalem in Deo ſimilitudinem, inſtrumentalem verò in rebus, licet enim calor phyſicè principaliter calefaciat, tamen metaphyſicè conſideratus calefacit adnutum Dei, qui agit omnia in omnibus & dat eſſe & agere, & dirigit actiones: vt docet S. Thomas, & Theologi meliores.

5. *Diuiſio ex eſſentia.*

ITem alia eſt Actio per ſe, vt caloris calefacere ſcriptoris ſcribere, alià propter ſe & non per ſe, vt caloris attenuare, & mouere, & hominis ſcribere. Alia per accidens, vt caloris indurare & frigefacere, & Medici ſcribere, & frigoris per antiperiſtaſim calorem roborare. Alia propter ſe, vt homo ædificat: Alia propter aliud, vt Aſini geſtare vinum.

6. *Diuisio ex vocabulo.*

SEd alia est Actio secundum rem & vocem, vt frigefacere: alia secundum vocem, non secundum rem, vt peccare adulterare, quoniam non sequitur potentiam sed impotentiam; & peccare ergò est deficere, non efficere, teste Augustino; Deus autem non concurrit ad peccatum, quoniam deficere non potest. Aliâ secundum rem, & non vocem, vt auxiliari.

7. *Diuisio de simplici & composito.*

SCiendum est, quod Actio aliâ est simplex, aliâ composita cum passione.

Significatur vt simplex, ly calefacere; cum passione ly occidere frigus; quoniam semper calefactioni concomitatur frigoris occisio, quæ est passio.

Ad passionem non concurrit Potentia agens, & ens ergò neque Deus, agit enim cum calore, sed non patitur cum frigore: sic in peccato adulteri est actio vt motus, & generatio in seminatione: & est defectus quasi passio, quæ est à legis diuinæ recessu, quando fit cum vxore aliena; non facere autem secundum legem, est deficere; & ad hoc Deus non concurrit, quoniam nulla non entitas est in eo, sed de his in Metaphys.

Repatitur omne Agens dum agit; neque Deus ad repassionem concurrit, vt repatiens.

De compositione Actionis cum, &c.

DAtur Actio composita ex se, & passione, & operatione, & paucis, & plurimis, sic bellum Troianum vocatur vna Actio, vbi innumeræ passiones & Actiones affuerunt. Item mouere nauim videtur vna Actio, & tamen est operatio spiritus, quæ communicatur manibus, corpus patitur operationem, & communicat illam naui & nauis mari; similiter quando homo ambulat, est actio spi-

ritus, & vectatio corporis passiua, & spiritus repassiua, & effusio Idealis animæ in spiritum, & naturalis spiritus in corpus, & corporis in plateam effusio est totalis, & non solius similitudinis participatæ,

Notabilia.

OMnis autem actio habet finem, quando iam impressa est similitudo optata.

Omnia entia agunt, vt propriam conseruationem acquirant in alio; & esse proprium multiplicent, aut commodius acquirant, excepto Deo, qui solus agit, vt det, ideoque eius propr issima est actio, quoniam non recipit, vt dixi in Metaphys. Materiæ autem est recipere, & non dare: formæ ergò à causis agentibus dantur.

Triplex agendi genus.

OMne agens; aut est naturale, vt calor, aut artificiale vt scriptor, aut eminens vtrisque sicut Deus: Agens autem à casu & fortuna non datur nisi respectu nostri, quoniam absque prima causa nihil fit. Natura est Ars indita rebus. Ars est natura extrinseca, vt in ficulnea est Ars intrinseca faciendi ficus, & non ars faciendi cera sa; secuti extrinsecè alius habet artem faciendi calceos aius vestes, alius libros, quæ autem fiunt à casu instrumentaliter sunt à causis manifestis. Sed principaliter ab Angelis, & à Deo omnibus intima, & ab omnibus separatissima.

Sed ex Passione Actio magis innotescat.

DE PASSIONE.

7. Prædicamentum.

Quotuplex dicitur Paßio.

PAssio sumitur primò pro entis finiti proprietate seu conditione ex essentiali differentia resultans, sicut dicitur Risibilitas passio hominis, & respirabilitas animalis, ex hoc enim quod eius entitas finitur, & qualificatur, pacitur hoc in conditione accidens proprium. Secundò sumitur Passio pro exteriori accidente, quod ens omne à coexistentibus patitur, vt dicimus eclipsationem esse passionem Lunæ. Tertiò pro accidente coniuncto ex exteriori, & interiori, sicut dicimus iram esse passionem animi, quoniam partim est ab obiecto occasionante partim à Potestatiuo animæ, occasione accepta, in malum irruentis, & hæc diximus in Metaphys. Passiones esse Potestatiui, vt ira: notionis cognoscitiui vt reminiscentia; affectiones volitiui, vt voluptas, & beneuolentia. Quarto sumitur Passio pro perditione suæ propriæ similitudinis, seu entitatis, & iterum pro receptione alienæ, vt cum frigus extinguitur à calore; & materia frigida recipit calorem, & sic definitur hic prædicamentaliter.

DEFINITIO.

Passio est Actus impotentiæ deperditiuus propriæ entitatis, siue essentialis, siue accidentalis, siue ex toto, siue ex parte: & receptio alienæ.

DECLARATIO.

VT cum frigus à calore occiditur amittit esse: sed frigidus suam amittit similitudinem alienam suscipit. Non ergo formaliter Passio est receptio similitudi-

nis agentis : ſed perditio entitatis propriæ, & ideo dicitur Actus impotentis.

DISTINCTIO DECLARATIVA.

Verùm duplex eſt Paſsio, Alia perditiua, vt frigoris expulſio; Alia receptiua, vt caloris receptio. Materia ergo ſemper patitur recipiendo; contrarium verò ens perdendo, licet ex Materia dicatur amittere, quod habebat ex impotentia non ſui ſed habitus, & recipere quod non habebat ex Potentia ſui: nunquam tamen dat, neque in eius gremio latent formæ, ſed recipit eas ab actiuis cauſis. Atque ſedis Actionum, & Paſsionum & formarum. Paßio ſæpè cum Actione miſcetur, vt nauis mota mouet.

NOTABILIA.

PAtiens ſemper eſt aliud ab Agente, idem enim in ſe ipſum agere non poteſt, niſi ſit multiplicis naturæ, vt homo cuius pars agit, pars patitur. Calor autem non agit in Calorem: quoniam cum Actio communicatio ſimilitudinis ſit: non fit quod iam eſt.

Vtrum ſit idem motus Actio, & Paſſio: & & vtrum in patiente.

DIſputant Peripatetici, vtrum ſit idem motus Actio, & Paſſio, & differant, ſicut ab hoc, & in hoc, & vtrum ſit actio in agente vel in patiente. Nos autem dicimus duo inueniri in Actione: ſimilitudinem fluentem ab agente in patiens, quæ eſt particula agentis ſe multiplicantis, vt Calor à Calore genitus effuſus in patiens: non enim agere poteſt, quod ſe ſe multiplicare non poteſt, & ſic idem eſt Actio & Paſſio receptiua; quoniam id quod, recipit paſſum, eſt id, quod dat agens.

Alio modo ſumitur pro ipſo fluxu, qui eſt miſtio enti

& non entis, & propriè tempus dici potest, quoniam ab impotentia agentis, qui non potest totum, quod vult simul dare, & efficere; & à resistentia patientis nascitur, vnde illuminatio fit in instanti absque perceptibili fluxu, quoniam & Sol potentissimus est agens, & aër obedientissimus receptor. Transpiciuus enim est, eique similis, ideo non est labor in assimilando. Fluxus ergo est Impotentiæ, Potentiæque mystura; & hoc est tempus mensura fluentis entitatis: & similiter videtur idem actio, & passio pro fluxu composito: sed ex natura rei differunt, quoniam Passio est impotentiæ proles, actio verò Potentiæ, at propter misturam videntur vna res, vt dixi in Metaph.

Si autem sumatur Passio deperditiua, prorsus sunt duæ res, & sic faciunt duo Prædicamenta, quod Peripatetici perquirentes nunquam inuenerunt.

Errant autem, qui dicunt actionem esse in agente, vel in patiente, vt enim est in patiente, vocatur passio, vt in agente, est ipsa virtus agens, sed vt in fluxu, est Actio, & non est in agente, sed ab agente: nam & qui vadit in plateam, paulatim dat se plateæ quia simul nequit: & hæc datio, & ipse datus, non est in se, sed in via recipiente, est tamen à se.

De ordine Actionum, Paßionúmque primorum contrariorum & materiei.

AB eodem agente possent simul tempore fieri plures actiones naturales, sed non simul natura, vt calor simul calefacit, attenuat, albefacit & mouet: sed natura prius calefacit, quia se ipsum effundit, & deinde expellit frigus, quia per accidens est posterius ad per se; & deinde attenuat: deinde albefacit; quando enim attenuat vincit opacitatem; & deinde mouet sursum: sed quando vehemens est prius tempore mouet, vnde aliquando nubes motas verum nigras spectamus adhuc.

Sic etiam quando blandus, prius facit lentorem, deinde mollitiem, deinde viscositatem, vt patet in aqua, & cera;

cera; ſed cum vehemens eſt, iſti gradus non ſecernuntur, ſed fiunt ſimul tempore non natura, vt patet quando in fornacem, ſtuppam, aut ceram iniicimus.

Frigus è contra conſimiliter oppoſitas actiones agit, & materia patitur. Deus autem potentiſſimus omnia ſimul faceret, ſi quantum poteſt, & non quantum vult ageret: idem intellige de paſſionibus receptiuis, quæ plures ſunt; expulſiua autem vna eſt.

De ſpeciebus mutationis, quæ eſt ſimul actio & paſſio in omni prædicamento.

QVoniam omnis actio facit aliquid: ex nihilo autem & in nihilo, nihil fit ab agente finito: ab infinito verò fic, qui extendit mundum ſuper nihilum, teſte Iob. Idcircò ſumit actio denominationem ab eo, quod fit: ſic & paſſio.

Item ergò, quia res nulla ſimpliciter fit, niſi à Deo, ſed tantummodo mutatur materia de eſſe alio in aliud; quot ſunt eſſe, tot ſunt mutationes duplices. Si enim mutatur ſubſtantia, vocatur Generatio, vt cum ex ligno fit ignis, & ex ſemine homo, & ex ſanguine ſemen: omnis autem generatio eſt etiam corruptio: non enim generatur ignis, niſi corrumpatur lignum: nec lux in aëre, niſi corrumpantur tenebræ.

Quando autem eſt mutatio in quantitate, vt cum fit magnum, aut paruum, dicitur augmentatio, & diminutio. fit autem. per additionem & ſubtractionem, vel intrinſecus, vt in animali, vel extrinſecus, vt in cera ab apibus, & in domo ab ædificante.

Si autem fiat in numeros, ſimiliter vocatur auctio & decrementum; ſi in pondere pari modo: ſed condenſatio, & rarefactio ſunt augmentum & decrementum non partium, ſed ſpatij intercepti in partibus.

Si verò fiat in figura & forma, vocatur transformatio, ſi manet eadem figura dicitur etiam auctio, & diminutio, vt cum amplificatur circulus, aut cubus diminuitur; quo-

niam sola quantitas non qualitas mutatur.

Si verò fiat in forma substantiali semper est generatio, & corruptio.

Sed si non interuenit corruptio, esset Transformatiò, sicut cum de vermi fit papilio.

Si verò mutatio fit in virtute, vt cum ex vino fit acetum, non habet nomen: quoniam virtus non mutatur, nisi & substantialis qualitas mutatur, & fit generatio, sed posset dici transmutatio in genere; sed in specie dicitur transcoloratio, transaporatio: potest dici quoque generatio coloris, & generatio frigoris. Si in operatione, vt quando ex motu fit quies, & è contra, non habet nomen peculiare, sed potest dici Transactuatiuo. Sic neque cum ex passione fit actio, vt cum calefactum calefacit.

At Peripatetici negant esse inter hæc mutationem, sed falluntur, nam & eadem operatio, & actio intenditur, & remittitur, nedum mutatur. Intensio autem & remissio est Alteratio, vt patet in colore ipsorum testimonio. Mutatio autem in respectiuis, & in similitudine & dissimilitudine, sequitur has iam dictas mutationes, vt simile fit dissimile, quia de nigro fit album. Mutatio per accidens omnis reducitur ad per se. Sed non quia sequitur propterea non est mutatio: nam mutatio quanti, idest augmentum & decrementum, non fit primò & perse, sed sequitur ad motum localem, per quem fit additio & subtractio; similiter generatio & corruptio sequitur ad alterationem, & omnis mutatio ad calefactionem & frigefactionem: nec propterea non sunt mutationes, vt Arist. putat, vide quæst. Physi.

Mutatio verò localis aut est operatio, vt in cælo; aut eius participatio, vt in corpore humano, & respectu loci exterioris dicitur mutatio, & cum aliquid gyrat in se ipsum mutat solum secundum partes; fit etiam mutatio temporis, vt res hesterna fit hodierna; sed neque hanc considerarant Peripatetici; considerandam quidem; nam neque loci mutatio est intrinseca.

Quot autem sunt actiones totidem sunt passiones, semper perditur vnum esse, vel locale, vel temporale, ve-

quantitatiuum, vel ſubſtantiale; & acquiritur aliud; & quando totaliter fit, dicitur generatio; quando diſpoſitiuè, alteratio, quæ nullius eſt prædicamenti, ſed imperfecta mutatio ſingulorum, vt cum rareſcit aqua alteratur, vltimus gradus rarefactionis eſt aëris generatio, & ipſa corrumpitur; ſic cum tepeſcit calor, alteratur; cum frigeſcit, corrumpitur.

Diuerſitas & Actus Actionis & Paſſionis.

DIfferentia, ſeu diuerſitas actionis ab aliis prædicamentis eſt effuſio ſimilitudinis propriæ in aliud: Paſſionis verò eſt propriæ deperditio; vt prædicamentum eſt, vt in materia eſt receptio alienæ. Actus actionis eſt agere: paſſionis pati; at ſimul tempore ſequitur mutari ad paſſionem omnem.

PROPRIETAS MVTATIONIS.

Proprium eſt autem omni mutationi fieri cum tempore, vel in tempore.

DECLARATIO.

EST enim tempus fluxus in mutatione, ſeu ſucceſſio, hoc eſt, paulatim fieri: vt autem fit res à Potentia habet: vt paulatim ab impotentia.

Cum ergò omne agens finitum ſit compoſitum ex ente ac non ente, ex Potentia & Impotentia, vt dixi in Metaphyſ. (excepto Deo infinito) vtique in tempore operatur. Illuminatio etiam fit in tempore, quoniam prius eſt lux in Orientali puncto Horizontis, quàm in Occidentali, ſed velocitas tanta eſt vt lateat nos: nam & in tempore mouetur ignitus Stylus in gyrum, at videtur eſſe in omnibus circuli partibus, cum non ſit, niſi in vna.

Quid sit tempus & esse in tempore.

ET quia tempus est successio in mutatione, & est ipsa mutatio, & fluxus fluentis rei: inter omnes autem mutationes prima est localis, Inter locales licet sint aliæ priores, tamē solaris est nobis notissima, id circò tempus est idem, quod solaris motus, quo alios motus mensuramus, & quietes. mensurare autem est dignoscere, omnia autem per notius cognoscuntur, & per simile: sic ergo dicimus hanc actionem durasse per diem, per horam, & per mensem, & aliquid esse in tali die, &c. idest quandc sol erat in tali particula sui motus localis: qui, vt est in eo, operatio est; vt verò refertur ad locum & situm, dicitur mutatio localis. Non ergo oportet facere prædicamentum ipsius, Quando, vt Peripatetici, nam, Quando, est particula motus localis solaris, quo omnis mutatio regulatur, & oritur. si enim Sol non gyraret alteratio non succederet, nec vicissitudo, nisi à stellis, quibus sublatis aufertur successio pugnæ inter cælum, & terram, & vicissitudo rerum, & generatio, & corruptio, vt & Theologi confirmant de his aliter.

Esse ergò in tempore, est esse in mutatione, idcircò substantia immutabilis est extra tempus, & intellectus, & Voluntas, & Posse excedunt tempus, præsertim quando fuerint abstractæ à rebus corporeis mutabilibus. Esse ergo, Quando est esse in aliqua parte mutationis magnæ ambientis alias mutationes, quæ sunt Actiones & Passiones.

Secunda Proprietas.

ITem omnis actio aliquid mutat ex parte, vel ex toto & passionem affert.

Tertia Proprietas.

ACtio habet contrarium, sicut & passio, sed prout prædicamentum in quo fit mutatio, recipit contrarietatem: nam alia est oppositio in quantitate, & in calore.

Quarta Proprietas.

O*Mnis actio & paßio recipit magis, & minus, quoniam fit in tempore, & per partem post partem: & acceleratur, & tardatur.*

Quinta Proprietas.


A*Ctio indicat vires agentis; & paßio resistentiam patientis; & materiæ subiectionem.*

Correctio Peripateticorum in definitione Actionis & Paßionis.

EX his facile cernis imperfectionem Peripateticorum, qui definiunt idem per idem, dicentes.

Actio est secundum quam in patiens agere dicimus.

Etquis nescit Petrum esse eum, qui vocatur Petrus? & actionem à qua dicimur agere? sic solet Arist. definire, qualitas est, à qua dicimur quales. Anima ergo à qua dicimur animosi. Humanitas, à qua humani. vix concedenda Grammaticis hæc nugatio. Idem dicunt de passione; & lux, ajunt, est actus Diaphani; & motus mobilis, & anima corporis Physici: quasi dicere subiectum rei, sit ipsam rem definire, sed de his alibi.



Actio,
Passio,
Transcendentalis
creatio
naturalis
Mutatio
realis
idealis
scriptio
modific.
seminatio
effusio
sine mat.
calefact
frigef
cum materia
gener
nutrit.
plant.
in
substantia,
quant. figura,
facult. &c.
simplex
verberatio
compositum
bellum
Troian
hoc bellum
hac illuminatio, &c.

Exempla de actione & Passione sunt eadem, si distinguas in super passionem receptiuam, & deperditiuam.

DE SIMILITVDINE praedicamentum 8.

PROOEMIVM.

QVoniam res omnis est sibi vna simplex, cæteris verò aliquo modo: idcirco datur Transcendens prædicamentum vnitatis in Metaph. In mundo autem materiali vnitas dicitur Similitudo, qua idē est sibi simile, vel aliis. est etiam in omni re oppositio & diuisio, quoniam constant ex essentia, quantitate, qualitate, actu, &c. item sunt ab aliis diuisæ & oppositæ: ideò datur prædicamentum pluralitatis, & oppositionis in Metaph. hic autem vocatur Dissimilitudo. Sed horum neutrum potest vniuocari, nisi formaliter & Logicè, vt Scotus vniuocat Ens sunt n. in omni prædicamento materialiter.

DEFINITIO.

Similitudo est influxus vnitatis participiúmque.

DECLARATIO.

QVæcúmque enim similia sunt in eo quòd similia vnum sunt. Dicitur influxus, quoniam vnitas prima influit similitudinem rebus se participantibus, & ipsa Idea in qua conueniunt. Nec datur Idea vnitatis, vt vult Plato, sed ipsa constituit Ideas omnes.

DIVISIO.

E St ergò alia similitudo æquiuoca, vt quorum est nomen vnum, & essentia, per illud nomen importata, diuersa; vt Ius est

vnum nomen; significans brodium & legem, res diuersas.

Alia est similitudo synonima : vt cum duo nomina sunt: res verò vna, vt vestis & tunica.

Alia est similitudo Analogia, vt *quorum est vnum nomen & essentia secundum illud nomen vna, sed proportionaliter vel in respectu ad vnum*, vt ens Analogum est ad hominem, & ad lineam. Nam sicuti ille est ens substantiale, ita hæc est ens quantitatiuum; & armare hominem gladio, & syllogismo est idem proportionaliter, nam sicut gladius defendit militem, ita syllogismus disputantem.

Exemplum secundi, vt homo viuus est per se homo; pictus verò est homo, quatenus est viui similitudo.

Et inter Deum, & Creaturas est vnitas analoga, & inter diuersa genera pariter, vt dictum est prius; vt bonus Deus, bonus religiosus, bona linea, bonus latro per analogiam dicuntur.

Alia est similitudo vniuoca, vt quorum nomen est vnum, & essentia secundum illud nomen eadem : & hæc reperitur sub eodem generalissimo, nam communitates genericæ, & specificæ, & indiuiduales sub vno nomine dicunt eandem rationem.

Substantiarum ergò omnium est similitudo vniuoca.

Sicut quantitatum & formarum, & colorum, & operationum, & actionum, & passionum inter se.

Sed sub eodem generalissimo ponit Aristot. inaduertenter etiam Analogiam. Qualitas enim de triangulo, & de scientia etiam ad æquiuocationem inclinat, & quantitas de tempore linea & oratione. Sed quidem difficile est similitudines ordinare & distinguere.

Species Similitudinum in Prædicamento.

QVoniam verò in omni Prædicamento reperitur similitudo; erit & ipsa analogum ad similitudines prædicamentales materialiter: Sed formaliter vniuocum; & nomina sortitur plura, secundũ pluralitatem influxus vnitatis, vt quæ sunt similia essentialiter in quocúmque Prædicamento

dicamento dicentur eadem, vt linea & superficies : Petrus & Ioannes, vel genere, vel specie, vel numero. Dicuntur etiam vnigena.

In Prædicamento substantiæ verò, similitudo vocatur cõsubstãtialitas, & in cæteris intra suos limites coessentialitas : sed extra secundum ipsam dicuntur in Quantitate æqualitas ; in forma conformitas, in virtute conuirilitas: in colore similitudo solet dici vulgo. Sed quia hoc nomen generalissimum facimus, quia notissimum, potest dici comparentia & concoloritas.

In operatione concordia.

In actione conuenientia.

In passione compassio, vel consensio.

In similitudine, similitudo duarum similitudinum dicitur consimilitudinitas, aut proportionalitas.

In dissimilitudine condissimilitudinitas.

In Accidenti concurrentia, vel concidentia. Sed non oportet in his vocabulis superstitiosum esse, & valent, quando de aliis prædicantur, præsertim de substantia, nam Petrus est æqualis Paulo in quantitate, conformis in figura, conueniens in Actione, &c.

Item datur similitudo temporis, vnde dicimur contemporanei, & coetanei : & loci, vnde conterranei, & in via comites, in labore socij, in mensa sodales, &c.

Signum est in Prædicamento hoc reale, & rationis.

ADuertendum est, quod ad hoc Prædicamentum reducitur omne signum in ratione signi, vt nomina & verba, & orationes, significantia res conceptas, & ipsæ conceptiones, quæ sunt signa, & similitudines rerum, & omnia entia rationis, Nam rationabiliter Ammonius exquirit ab Arist. prædicamentum signi omissum, non uidem omittendum.

Et licet Peripatetici dicãt in prædicamẽto nihil poni, quod reale nõ sit : attamen res quædam sunt nomina,

& verba & ſyllogiſmi, & licet, per opus rationis tamen, gladius, opus rationis & intellectio. Neceſſe eſt etiam hos genera & differentias habere: cum de ipſis loquimur ſcientificè.

Sed & hæc ſententia eſt contra ipſos, quoniam Logicus tractat de ente rationis, non ergo excluditur à prædicamento rationis: item obiectum Logici eſt ſermocinatio, & argumentatio, cuius partes ſunt orationes, & termini, ergo de his maximè determinat Logicus; item Logica eſt lingua ſcientiarum; ergo & ſui; ſi autem neſcit ſeipſam eloqui, neque alia ſciat.

De Signo ad ſignificatum.

SVnt autem ſigna ſimilia ſignificatis ſemper, quando ſignificant naturaliter, & exprimunt rei naturam, vt Plato putat nomina rectè impoſita naturaliter ſignificare, ſicut & Typto, & Abraham, & Adam, & Agrippa, & Sol, & Bombarda, quæ à proprietatibus naturalibus imponuntur.

Quando autem ſignificant ad placitum, ſicut ly vinum, caſeus, cornu, ſunt ſimilia rebus ſignificatis, ex inſtituto humano. nam vinum in mente eſt ſimilitudo vini realis, ſed in voce, licet non ſit ſimilitudo prorſus; eſt tamen aliqualis: & tanquam ſimilitudo poſita eſt ad notificandum ſimile. Eſt autem vox rectè impoſita à non rectè differens, ſicut imago Petri prorſus Petro ſimilis ipſum repræſentans, & ſicut alia imago Petri ipſum non rectè repræſentans: ideóque, vt repræſentet, inſcriptum habet in imo, *hæc eſt imago S. Petri.*

Similitudo autem vocalis, & mentalis, & ſcripta ad ens, quod eſt extra repræſentatum, Analoga eſt Analogia attributionis, ideò in ratione horum ſignorum ponitur ratio Petri ſignificantis, vt patebit cum docebimus definire.

Diuersitas & Actus, & Proprietas Similitudinis.

SImilitudinis essentialis diuersitas ab aliis, *est facere vnum.* Actus est, *assimilare & vnificare.* Proprietas prima est *facere res simul, vel siumultate naturæ, vt humanitas* & rationalitas: *vel temporis* vt lux & lucere: *vel dignitate* vt Collegæ duo: *vel causalitate*, vt duo trahentes nauim: *vel ordine, vel loco, vel numero, vel specie, vel genere, vel Prædicamento.* In omnibus enim est sua simultas, vt coæqualitas in quantitate, &c.


PROPRIETAS II.

S*Vscipit similitudo maius & minus* pro rata prædicamenti in quo ipsa est.

Et *non habet contrarium.*

Nam contrarium contrario est simile, quia vtrumque est contrarium alteri, & per ly sicut exprimitur, vt sicut calor frigori sic frigus calori opponitur.

Omnis comparatio est proles similitudinis.



DE DISSIMILITVDINE
Prædicamentum IX.

DEFINITIO.

Diſsimilitudo vere eſt diuiſionis influxus.

DECLARATIO.

Diuiſio enim eſt vnitatis priuatio, vel diſſolutio, idcircò entia in eo, quod diſſimilia ſunt, recedunt

ab vnitate, & tenduntad numerum & diuisionem, vt docuimus in Metaphys. vnde Petrus non est vnus cum se ipso, quatenus est albus, & currens, & longus. Hæ enim non ad vnionem ipsius pertinent, sed ad multiplicitatem.

DISTINCTIO.

Alia dißimilitudo nominis solum, vt Synonimorum, Vestis & Tunica.

Alia rei, & non nominis, vt æquiuocorum.

Alia rei & nominis, vt diuersorum, sicut linea & Angelus.

Alia ex parte; sed non nominis, vt Analagorum & Metaphoricorum.

Nomenclatura Dißimilitudinis in Prædicamentis.

Nominatur dissimilitudo inter Prædicamenta, Diuersitas, & alienigena.

In Prædicamento substantiæ dicuntur Aliud, vt homo aliud à lapide. ideò dicitur Grammaticis relatiuum diuersitatis substantiæ.

Dissimilia in Quantitate, sunt inæqualia.

In forma Difformia.

In Virtute contraria.

In operatione, Discordantia.

In Actione, Pugnantia.

In Passione, dissidentia.

In Similitudine Disparia & dissimilitudinitas.

In Dissimilitudine condissimilitudinitas: & disparata: Nā sicut homo non est albedo, ita & linea nō est dulcedo,

In accidente inconuenientia, & quomodolibet, quando non inuenio certum vocabulum.

DE OPPOSITIS.

Quoniam Dißimilitudo opponit res: quas vnitas componit. Vnitas autem est vita entis. Diuisio verò Non entis est.

proles. ergo omnes Dissimilitudines à Non esse & Numero deriuantur, sicut similitudines ab vnitate, & Esse. Propterea enim Petrus dissimilis est Paulo, quia non est Paulus. & propterea est inæqualis Paulo, quia non habet quantitatem Pauli, & sic de cæteris.

Primus opus Non entis est contradictio.
Deinde Priuatio.
Deinde Diuersitas.
Deinde Contrarietas.
Deinde Differentia.
Deinde Relatio.
Deinde Variatio.
Deinde singularitas.

Igitur nedum extra Prædicamenta perperam Arist. oppositiones numerat, sed etiam truncus est, qui non nisi quatuor agnoscit. Datur & oppositio in Propositionibus de qua tractabimus in loco suo, licet quatenus entia sunt ad hoc spectant Prædicamentum.

DE CONTRADICTIONE.

Est autem contradictio oppositio Entis & Nonentis, & exercetur in declaratione per affirmationem & negationem eiusdem Prædicati, de eodem subiecto secundum idem, & in eodem tempore, loco, & parte.

Respectu primi non est contradictio Petrus sedet, & Petrus non currit.

Respectu 2. neque, Petrus est albus, Paulus, aut homo, non est albus.

Respectu 3. neque Petrus currit tardè, & non currit velociter.

Respectu 4. neque Petrus est sanus heri, & non sanus hodie.

Neque in est Platea, & non est in domo.

Neque est albus dentibus, & non albus crinibus.

Inter ens autem ac Nonens non datur medium compositum ex vtrisque secundum idem. neque per ab-

negationem, quod ſit neq; ens, neque Nonens idem ſecundum idem. eſt Petrus ens homo in ſuo gradu, & non ens in altero gradu, vel non aſinus; de his in Metaphyſ.

DE PRIVATIVIS.

PRoxima huic eſt Priuatiua oppoſitio Entis & Nonentis in eodem ſubiecto apto nato habere, vt aptum natum: non autem ſimpliciter entis, & non entis, vt contradictio.

DECLARATIO.

NOn eſt priuatio niſi eorum, quæ habemus: ergo præſupponit ſubiectum habens. Ergo oppoſitum vnum eſt habitus: alterum priuatio eius; quæ ſanè negat formam in ſubiecto apto nato ad ipſam, vt cæcitas eſt priuatio viſus in animali, non autem in lapide, non apto nato videre. Nec in catulo ante nonum diem, vt aiunt tunc. n. non enim aptus.

Et propterea de priuatione ad habitum non datur regreſſus, vt datur in cõtrariis: *Diſt.* Duplex autẽ eſt priuatio, altera. ſ. perfecta, quæ tollit actum & potentiam: vt Mors, quæ tollit vitam, & facultatem ad viuendum: & propterea de morte ad vitam non fit regreſſio naturaliter. Sed diuinitus aliquando: vel poſt multas mutationes; vt de vino fit acetum de aceto vapor, de vapor pluuia, de pluuia irrigante vitem fit vinum, & de mortuo viuum per circulum, non per rectam lineam regrediendo.

Et altera priuatio imperfecta, quæ tollit actum, ſed non potentiam, vt tenebra in aëre quæ tollit actum ſanitatis, non autem poteſtatem ad ſanandum; & in his datur regreſſus, & hæc potius pertinet ad contrarietatem.

Conſimiliter Iuriſconſulti in Moralibus; A iure renunciato non dant regreſſum: ſed à iure intermiſſo dant.

DE DIVERSIS.

DIuerſa ſunt, quæ in inuicem non tranſmutantur, neque ſibi mutuo ſuccedunt in natura, vel in ſubiecto. & modum

essendi habent oppositum, sic nec de inuicem prædicantur nisi denominatiuè & accidentaliter, vt Angelus & tempus, linea & homo. Propterea Logicus constituit Prædicamenta per diuersitates: vt substantia, Actus Passio, Quantitas, &c.

DE CONTRARIIS.

Contraria autem sunt, quæ maximè distant sub eodem genere comboque datiua, & vicissim se expellunt ab eodem subiecto, vt Calor & frigus, lux & tenebræ. Et semper alterum horum se habet, vt ens & habitus: Alterum, vt non ens & priuatio; sic Parm. vocat terram & frigus non ens, & priuationem: ignem verò & calorem habitum & ens. Vnde Arist. doctrinam accepit, & perperam explicauit; quoniam ponit duo principia actiua contraria, quæ priuationem & habitum vocat: mox verò priuationem: quæ est contrarium vilius, dicit esse nihil; Antiq. sophisma dum nescit soluere in P. Phys.

NOTANDVM.

Sed nec in qualibet genere, quæ maxime distant sunt contraria, nisi res actiuæ, vt dictum est, trasmutantes vicissim substantiam. ergò per hoc differunt à priuatiuis; quæ non regrediuntur recta via.

DE DIFFERENTIBVS.

Differentia autem est oppositio inter illa, quæ sunt in eodem prædicamento genera, species, vel indiuidua. Sed profectò differentia propriè est inter Species: genera. n. diuersa dicuntur, nisi sumas subalterna. indiuidua autem non differunt, quoniam conueniunt in specie, sed singularizantur, & partiuntur numero. Defectu vocabulorum dicuntur apud Logicos differre.

DE SINGVLARITATE.

Singularitas est oppositio duorum indiuiduorum eiusdem Speciei.

DI-

DISTINCTIO.

ESt autem alia ſingularitas accidentis, alia ſubſiſtentis. accidẽtia ipſe.n. diſtinguũtur ſubiecto, vt hæc albedo carthæ ab illa albedine muri. aliquando etiã parte ſubiecti, vt albedo vnius dẽtis Petri habet aliam ſingularitatem ab albedine alius dentis eiuſdem Petri. Dantur in eſſe idem numero quoniam ſunt eodem in ſubiecto, & non numemerantur in aliis: & ſic huius pomi odor & ſapor, & color ſunt idem numero: at non quidem rectè: ſed in eodem numero.

Cauſa diſtinctionis numeralis non eſt materia, quoniam entia immaterialia etiã ſingularizantur. Nec forma, quoniam ipſa ynit indiuidua. (licet materiam ſpecies diſtinguant) ſicut forma ſigilli ſigillata. nec ab vtriſque: ſed à formatione, vt ſic huius materiei. Rectè S. Thomas: materiam ſignatam hiſce dimenſionibus facit cauſam ſingularitatis in rebus materialibus, ſed non in omnibus. Rectè Scotus dicit, ſed à longe: Hæcheitas diſtinguit: quoniã Petrus habet hanc materiam, & accidentia hæc, & formam hanc, quæ non ſunt in Paulo.

Præterea ſecundum quod ſingularitas non conuenit eſſentiæ præcisè; hæc enim non eſt vna, nec multa: ſed eſſentiæ deductæ ad exiſtentiam & perſonatæ accidentibus, & materialitatibus. Properea dicitur indiuiduum perſona, & hypoſtaſis, & ſingulare. A. quidem in mente, non eſt vna, nec plures, nec nigra, nec alba, nec lignea. Sed in hac cartha eſt vna, quia perſonatur atramento, & materialitate, & loco, & tempore: & fit in ſe indiuiſa, & ab aliis diuiſa, quæ non ſunt hęc. A. Item & declaratur omnis eſſentia exiſtens per pronomina. Tunc enim poteſt dici ego & tu, & hæc, & illa. & propterea ſingularitas dicitur hæcheitas. Petrus ergo eſt alter à ſe puero, & alius à Ioanne, & aliud à lapide. Alter dicit varietatem, alius numeralem oppoſitionem, aliud ſubſtantialem. Sed quia res innoteſcunt omnes nobis, vt perſonatæ, & in exi-

ſtentia, propterea pronomina ſignificant omnem diſtinctionem.

Singularitas ergo eſt modus ſubſiſtendi ità, ſic, & hic & nunc, & taliter, quod non aliter; & eſt aliquid ſupra exiſtentiam. Exiſtere enim eſt extrà ſuas cauſas inueniri: modius autem ita exiſtendi extrà cauſas, eſt ſingularitas cuiuſque propria: quæ & indiuidualitas, & Hechnitas, & Perſonalitas dici ſolet.

DE VARIATIONE.

Variatio eſt eiuſdem rei à ſe receſſus ſequens alterationem, vt homo Senex varius, & alter; ſed non alius, à ſe iuuene; & calor remiſſus à ſe intenſo.

De Ad Aliquid, ſeu Relatiuis.

De Relatione poſtremus reſtat ſermo, quoniam ipſa participat ſimilitudinem, & diſſimilitudinem.

DEFINITIO.

Nam Relatiua ſunt quorum eſſe eſt Ad Aliud.

DECLARATIO.

Siquidem Pater non habet eſſe patrem, niſi ad filium: qui enim nõ habet filiũ nõ eſt pater; & filius ſimiliter refertur ad patrem, & Vicinus ad vicinum, & ſeruus ad dominum. ſunt autem de genere ſimilium ob hoc, quia alterum eſt ad alterum, & ſunt ſimul tempore, vt natura, tunc enim eſt Dominus, quando habet ſeruum, & è contra: & ideò mutuò definiuntur, & notificantur; quoniam cum eorum eſſe ſit, Ad, niſi explicetur illud Ad, non explicatur eſſe. Definitio autem eſſe indicat. Pater ergò eſt, qui habet filium, filius autem qui habet pattem. Et circulus iſte non eſt vitioſus, ſed neceſſàrius. ſunt verò oppoſita, quatenus idem non poteſt eſſe & ſuum correlatiuum ſecundum

rem, vt pater non potest esse filius sui, sed alterius. sic de cæteris; & licet ignis sit mouens & motum hoc tamen est respectu diuersorum. Calor enim est mouens; tenuitas mota in illo.

Relatiua indigere fundamento: & hoc esse in omni Prædicamento.

QVoniam esse Ad, præsupponit esse In: Relatiuum duo requirit fundamentum & respectum super illo fundatum, & similiter correlatiuum. Et in omni prædicamento reperiuntur hæc fundamenta.

Arist. fundat relatiua in numero, & quantitate, & qualitate, & actione, & passione tantum; vti duplum dimidij duplum; æquale æquali æquale; & simile simili simile; & scientia scibilis scientia & Calefaciens, Calefacti, & effectus causæ, & causa effectus dicuntur.

Sed profectò errat, quoniam in omni prædicamento reperitur similitudo, & dissimilitudo, causantes respectum. similiter & ordo. Vnde rectè S. Thomas, & Caiet. ponunt Relatiuum in substantia, Petrus enim Paulo similis in substantia specifica, refertur ad ipsum: vt consubstantiale consubstantiali consubstantiale; & Materia formæ est Materia; & substantia substàntis formæ est substantia, idem palam est in cæteris.

Varius referendi modus.

QVædam referuntur in genitiuo casu. Quædam in ablatiuo, quædam in Datiuo; quædam in Accusatiuo, cum ly Ad. & hæc est relatio *proprijssima.*

Exempla.

Vt pater filij pater: & filius patris filius. & scibile scientia scibile & è con. & simile simili simile, & è con. & spectator ad spectacula spectator, &c.

QVID RELATIO.

DIstinguitur Relatio à Relatiuo, sicut forma essentialis ab eo cuius est forma, & semper Relatio est duplex, aliquando no-

minata, vt paternitas, & filiatio: aliquando in nominata prorsus, vt quæ sunt inter caput & capitatum. Aliquando ex parte, vt inter scientem & scitum est scientia solum. Sed debet distingui in actiuam, & passiuam: & inter verberantem & verberatum est verberatio: quæ duplex actiua & passiua.

Prima Diuisio Relatiuorum.

ITtem *quædam Relatiua immediatè dicunt Ad*, vt Pater respectum ad Filium: *quædam verò prius dicunt fundamentum, & posteà Ad*, vt scientia dicit habitum animæ, & posteà refertur ad scibile. & caput partem corporis, & posteà refertur ad id cuius est caput. Illa vocantur *Ad aliquid secundum esse* à Peripateticis: hæc verò *secundum dici*. Sed potius dicenda sunt *principaliter* illa, hæc verò *connotatiuè*.

COROLLAR.

ITerum, quia verò non sunt imposita nomina Correlatiuis multis; latet respectus inter ea; sed oportet agnosci ex eo quod habent ordinem ad Aliud, & non sunt propter se, & nomina fingere; vt caput capitati caput est: & Remus non dicitur nauis remus, sed remitæ rei; & remita res Remo remita; & omnes partes ad totum, & è conuerso referuntur.

Omnia Relatiua simul natura, & tempore & cognitione, esse ad conuertentiam.

AXIOMA.

O*Mnia Correlatiua sunt simul natura, & tempore, & cognitione, & dicuntur ad conuertentiam, & posito altero, ponitur & reliquum, & perempto, perimitur.*

DECLARATIO.

HÆc autem non sunt vera, nisi formaliter sumpta pro esse Ad, (ideirco rectè Plato vocat relatiua Ad ali-

quid, in quo nomine ineſt etiam definitio) Propterea exiſtimandum eſt, quòd quando ſecus ſe habent, non accipiuntur rectè formaliter: ſed materialiter. Pater enim ſumptus pro eo, qui generauit filium, eſt prior filio: ſed pro eſſe relatiuo ad filium non eſt prior. Nunquam enim eſt Pater, niſi filium habeat; & eo mortuo, non eſt pater eius: licet poſſet eſſe alterius filij pater.

Propterea errat Ariſt, in V. Metaphyſ. & in Prædicamentis, dicens ſcientiam referri ad ſcibile, quia non ponitur, neque tollitur abſque ſcibili: ſed ſcibile & ſenſibile non referri ad ſcientiam. quoniam datur (ait) ſcibile, vt quatratura circuli, cuius nondum eſt ſcientia: & videmus caput hoc, non viſo capitato, ſed latente, ſed profectò Ariſt. non rectè aſſignat Correlatiua. ſcibile enim eſt quod poteſt ſciri; ſcientia eſt qua res ſcitur in actu. perperam ergo comparantur. Sed ſcibile in potentia debet referri ad ſcientiam in potentia, & ad ſcitiuum; & ſcibile in actu debet dici ſcitum, & ſic refertur ad ſcientiam in actu. neque enim calefactibile refertur niſi ad calefactiuum; & calefactũ ad calefaciens; & generans ad genitum; & generabile ad generatiuum, vt rectè declarant perſpicaciores. vel ſubaudiri debet ſcientia in potentia eſſe relatiua ſcibilis in potentia. Ideo nunc eſt ſcientia de quatratura circuli in potentia. Caput autem hoc refertur ad capitatum. & licet videam caput, & non cpaitatum: tamen ſcio aliquod capitatum eſſe ad caput hoc, ideſt relatiuè.

Secunda Diſtinctio Relatiuorum.

QVædam ſunt relatiua realia ex vtroque fundamento: quædam Rationis: quædam miſta.

De Relat. Rat.

RElatiu[illegible] [illegible]uum rationem tantum relata, & confecta, *ſunt q[illegible] [illegible]nt duo fundamenta diſtincta, niſi per opus intellectu[illegible] [illegible] relata*, vt idem ad ſe ipſum bis ſump-

tum refertur ad se ipsum. vt idem eiusdem idem similiter.

Dicitur Deus esse in se; quod autem est In, refertur ad illud, in quo est.

De Relatiuis Realibus.

R*Elatiua realia sunt, quæ habent fundamentum reale, realiter, distinctum à fundamento, sui Correlatiui*; vt serui ad dominum consistit in subiectione: domini verò ad seruum in potestatione. Deus est Dominus creaturarum, & dominium fundatur in reali subiectione creaturæ: & in reali virtute creatiua.

De Relatiuis mistis.

QVoniam *Potest Relatio aduenire, nulla facta mutatione in altero Correlatiuorum, sed in vno tantum: propterea datur. Relat. mistum.*

DECLARATIO.

COlumna fit nempe mihi dextra, & sinistra ad mei mutationem, & non illius. Sic Deus est Creator, facta mutatione in creatura, & non in Deo, cui nihil de nouo accidit realiter; Sed in potestate creatiua æterna fundatur hæc relatio; & in temporali passiua creatione realiter. Aduenit tamen ex tempore Deo respectus, secundum rationem nouus ex parte sui, secundum rem nouus ex parte nostri. est tamen non ratione solum, sed realiter Dominus; quoniam & si non ponit neque esse, neque esse In, mutari in Deo, tamen mutatur eius Ad, & non in Deo, sed ad Deum, & hoc est peculiare relatiuis, vt sola mutatio vnius realis faciat in vtroque realem relationem, quoad esse Ad tantum: ex hoc enim adsunt, non insunt. & hæc ipsorum essentia, etiam D. Thomæ. Pot. q. 7. 8.

Diuersitas Actus Proprietas Dissimilitudinis.

ESsentialis Diuersitas Dissimilitudinis est à diuisione prolem esse. Actus eius est distinguere & multiplicare,

& facere non ſolum contrarietatem, ſed omnium oppoſitionem. Proprietas eius eſt ſuſcipere magis, & minus in in fundamento ſaltem.; quod dico propter Ad Aliquid, quæ in ſe non alterantur, niſi fundamento alterato ex vna ſaltem parte oppoſitionis.

Pròprium eſt omnium ſimilium, & Diſſimilium eſſe ſimul natura, & intellectu, in eo quod ſimilia, & diſſimilia: non autem abſolutè, quoniam induunt rationem Correlatiuam.

Ariſt. perperam excepit contraria, quæ alias rectè incluſit. poſito enim altero contrariorum in natura neceſſe eſt poni & reliquum: alioquin illud non eſſet contrarium.

De Medio inter oppoſita.

INter omnia oppoſita datur medium miſtium vel abnegatum excepta contradictione. Nam Priuatio, Differentia, & Diuerſitas habent medium per abnegationem : vt lapis non eſt cæcus nec videns. Petrus non eſt linea nec color, Aſinus non eſt homo, nec equus. Contrarietas ſuſcipit medium per participium extremorum : vt rubrum participat de albo, & de nigro. & debilis, nec æger nec ſanus, ſed miſtus. forſan in differentibus extat hoc medium. Mulus enim nec eſt aſinus, nec equus, ſed miſtus ex eis : & miſtiones Lybicæ. At non poteſt reperiri quod ſimul ſit ens & non ens, aut non ſit neque ens, neque non ens.


De Conuen.

ITem omnia oppoſita conueniunt in aliquo, exceptis contradict. diuerſa enim, conueniunt in tranſcendentibus priuat. & habitus in ſubiecto. Contrarietas & differentia in genere : ſingularia in ſpecie : Varietas in numero ; Relatiua ſunt ſimul natura & intellectu.

De Non ſimul.

QVot modis dicitur aliquid ſimul à ſimilitudine, tot dicitur opoſitum, quod eſt innominatum. At vocetur Non ſimul vel diſcrepantia, vt non ſimul natura eſt rationalitas, & riſibilitas; ſemper enim principium natura, licet non tempore, ſemper, præcedit id, quod ab illo eſt, niſi fortè ſint vna met natura.

Non ſimul loco tempore, & dignitate, & conuertentia, &c. vt dictum eſt ante; exceptis Ad aliquid quæ ſimul ſunt ſemper vt docuimus.



Contradictoria.

Priuatiua.

Diuerſificatiua.

Contraria.

Differentia.

Variatiua, ſeu, Alteratiua.

Singularitas.

Relatiua.

Indiuid. inter Petr. & Paul.

DE

DE CIRCVNSTANTIA Prædicamentum.

DEFINITIO.

Circunſtantia dicitur Quidquid circa Aliquid, eſt ipſi inhærens, ſiue adhærens, ſiue inoperans. ſiue alio pacto ad ipſum pertinens, non tamen illius eſſentiam ingreditur.

DECLARATIO.

Qvamuis dicatur circunſtare id tantum, quod localiter circa aliquid eſt, vel tangit illud; tamen Oratores & Morales & Theologi, extenderunt vocabulum ad ea etiam, quæ non localiter, ſed modo quouis circunſtant, & pertinent; extra tamen eſſentiam ſunt: Quamuis Ber. diſtinguat quæ ſunt circa ab iis, quæ infra, & ſupra, Principem ſunt. Et quoniam accidentia magnam partem conferunt ad eſſentiam rerum cognoſcendam & occultandam; Inter Accidentia autem primum eſt exiſtentia, quæ eſſentiæ productę extra cauſas accidit, non ſola, ſed cum multa turba coexiſtentium. A. quippe in mente mea eſſentiam habet purã:& C. Caret quãtitate, quoniam non eſt magna nec parua: & qualitate, quoniam non eſt alba, nec mollis, nec gracilis: & C. Caret & loco & tempore, coæterna nempè Menti, & in infinitum qua extenditur ſicut Mens, & poteſt communicari infinitis. A. Nec enim eſt cartacea, nec cerea, nec in Terra, nec in Cælo, nec in Mari, nec in aëre, &c. atque in Mundo Mentali ens, infinitate accidentium Mundi corporalis caret. cum autem venit ad exiſtentiam, fit incommunicabilis, nec ex ea poſſunt aliæ. A. fieri: eſt cartacea, nigra, hoc in loco, & tempore; & prope hæc corpora, vel illa: & fit dextra aliis, aliis ſiniſtra; innumerabilibúſque miſcetur, quæ non ſunt ipſa. A. Idem patiuntur omnia, quæ gene-

rantur & corrumpuntur. igitur quoniam ista quæ essentiæ, propter existentiã adiunguntur, cõferunt ad notitiam, & de existenti re prædicantur, propterea vnum hic facimus prædicamentum de circunstantiis, quod in Metaph. dicitur de existentia: & alibi dixerim de Accidentibus, quoniam aliquo pacto accidunt. Non enim hic sumitur Accidens, vt distinguitur contra substantiam, & facit peripateticis nouem prædicamenta: sed vt distinguitur contra essentiam, siue substantiæ, siue operationis, siue Relationis, &c. & sic omnis Res omni Rei accidit etiam ipsa substantia. Necesse est in esse, sed quocunque modo pertinere. vnde etiam creatura Theologis dicitur, Deo quasi accidere, quatenus extrinsecus denominat, sicut accidit homini ædificasse & ædificium. sufficit ergo si non sint de essentia, & aliqua parte ipsam tangant, vel ad ipsam pertineant; & sicut Aristotel. licuit facere prædicamentum dictum Habere, extrinsecorũ etiam accidentium, licebit longe magis nobis circunstantiam prædicamentare, quæ maioris ambitus est: continet enim, & Vbi, & Quando, & Situm, & respectus, qui potius sunt circunstantiæ Species, quam Totalitates prædicamentales.

Expositio definitionis.

Diximus ergo, *Quidquid*, quoniam Res, Quid, Hoc, & Aliquid, subtranscendentia sunt, & quasi generalissima. dixi, *Circa Aliquid* est, quoniam circa ens simpliciter non reperitur circunstans quippiam: finiret enim ipsum. Aliquid autem dicit Rem finitam & existentem, vt Aliud quid ab aliis. Dixi *Inhærens* ad distinguendum ab Innatis & Extantibus. Risibilitas enim, & proprietas non potest esse circunstantia, sicut gladius & cornu, & Aër nos ambiens. Nec ipa existentia. quamuis enim sit accidens essentiæ quæ est in Mundo Mentali, haud tamen est accidẽs existenti essentiæ in Mundo exteriori. Forma enim accidit materiæ; sed est de essentia compositi. Dixi, *aut Adhærens* propter tempus & locum & vestem. Cælum

è conuerſo ſtat circum, & non adhæret, nec inhæret. Relationes verò adſiſtunt (quæ non ſunt reales) & quaſi adhęrent. Dixi, vel *inoperans*, quoniam quæ in nos inferunt paſſionem, aut nobiſcum operantur concauſando ; & effectus cauſæ ipſæ ſunt extra eſſentiam ; quam tamen cauſando attingunt. Dixi *ſiue alio Pacto*, &c. quoniam multis quidem modis infinitiſque contingit accidere exiſtētibus: idque extra ſcientiam eſt. cōprehēdit enim Ars ea ſolum quæ per ſe accidunt, vt calori indurare, quod tamen non accidit lineæ & Muſicæ. Et ſi accidit, extra Artem eſt humanam. ſolus enim Deus omnium rerū omnia accidentia comprehendit. Dixi *Nec ingrediens eſſentiam* : quoniam ſi qua in operantur, aut inſunt, vt forma, aut inhærent vt pars eſſentialis, illa non ſunt de hoc prædicamento, vt Corium & caro, ſed quod accidit eis.

DISTINCTIO.

Circunſtantiarum aliæ pertinent ad naturam rerum : de quibus tractat Philoſophus ; aliæ ad actum Moralem : de quibus Rhetor & Theologus. Illæ conferunt ad notitiam eſſentiæ ad exiſtentiam deductæ : Iſtæ verò ad cognoſcendum bonitatem & malitiam actus ; Merita & demerita.

ANNOTATIO.

Actus quoque eſſentia eſt aliqua, & declaratur per Verbum: ſicut eſſentia naturarū per nomē: licet Auguſt. dicat Deum fallere omnes naturas non autem omnes actus : intellige, immediate non facere actus peccaminoſos, ſed mediante voluntate noſtra, vt dicit S. Thom. iudicare de Actibus non poſſumus, niſi vt ſunt Aliquid : & per circūſtantias. Occidere enim hominē non eſſe bonum nec malum moraliter, licet ſit malum Phyſicè. At ex mandato Dei & iudicis eſt bonum; ex odio verò malum.

De Circunſtantiis Philoſophicis.

CIrcunſtantia Phyſicè vel ſumitur à cauſa, quæ non inſit Vel ab effectu: Vel ab Accidente Illato, aut Adnato, aut Adſcito: Vel ab Adiacente Re.

DECLARATIO.

EX ſeptem igitur principalibus notandis habemus circunſtantias, & primò dicitur, *A cauſa quæ non inſit.* Non enim omnis cauſa circunſtare dicitur, ſed quæ non ineſt rei, de qua eſt cōſideratio. Siquidē Materia & forma ſunt de eſſentia Rei, vt Res eſt, Idea. v. Agens, & Finis, & Perfectio ſunt de eſſentia, vt cauſa eſt. Ergo pertinent ad exiſtentiam. homo enim creatus miraculosè ſine præfatis cauſis eſt eſſentialiter homo, vt & cauſati alij. Eſt quidem primalitas vnde ens eſſentiatur: principium vnde Aliquid eſt; cauſa vnde aliquid fit ita quod ſunt tres eſſentialitates Entis videlicet Potentia, Sapientia & Amor. Ex quibus egrediuntur reſpiciendo ad extra principia tria, S. poteſtatiuum cognoſcitiuum & volitiuum. ex Poteſtatiuo ſuboritur cauſa Agēs & Materialis; A. Cognoſcitiuo, Idealis & Formalis; A. volitiuo Finalis & Perfectionalis. de his omnibus conſiderat Metaphy. Aliæ autem ſcientiæ conſiderant ſolum cauſas, & non omnes: Nam Mathem. conſiderat ſolum Materialem & Formalem: verbi gratia quod Triangulus habet tres angulos & tres lineas coniunctas, non autem dicit A quo fit: & inſtar cuius: nec propter quid: nec vbi, nec quando. Dum ergo ſolùm Materiam ex formam ſignat: nec poteſt iſtas duas omittere, indicat nobis alias cauſas pertinere ad circunſtantias, imo Platoni Materia circunſtat. At & Forma Generationis, non autem Forma rei genitæ; poteſt fieri circunſtantia. Item Occaſio, quæ eſt motiuum cauſæ ad cauſandum. & Conditio, quæ eſt Applicatio cauſæ ad cauſandum.

2. Dixi, *Vel ab effectu.* Omnis quippe effectus circunſtat, præſertim ſi adæquatus & per ſe. hic enim indicat

naturam rei, cuius est effectus, prædicatque: vt caloris effectus per se est calefacere: propter se est attenuare mouere albefacere quoniã ex eius est intentione, sicuti & hominis scribere, non tamen per se: scriptoris enim per se. At si nec per se, nec propter se subsequitur effectus vt cum calor conspissat, & homo scribendo, se maculat; dicitur perip. per accidens. Sed quidem confunditur cum primò per accidens: debetque dici præter intentionem, aut præter voluntatem propriam: sicut elementa faciendo plantam ac animal, dum volũt, Ignis ignẽ & Terra Terram facere. & ignis assat nobis, dum vult ignire sibi. Nota quod actio per se est suæ causæ, vt caloris calefacere; Actus verò secundum quod ipsum, vt calere.

3. Dixi. *Vel ab accidente Illato*: Nam accidens innatum est rei realitas aliqua, vt risibile in homine: & non pertinet ad circunstantiam; nisi forte quoad modum: Huiusmodi sunt proprietates Finitudo, Figura; & quidquid emergit ex primalitatibus, principiis & causis intraneis: ideóque non circunstant. At quidquid accidit præter primal. princ. & causas, circumstat. Illata igitur propriè circunstant etiam ex aptitudine. dicimus enim lignum esse carbonabile, lapidem calcinabilem; mista corruptibilia. Pisces extra aquam mori: bestias intra. & corporũ alia natare, alia submergi, &c. quæ indicant patientis naturam & idoneitatem.

4. Dixi. *Vel Adnato*. Nam quamuis essentialitatis gratia sit, cum sit existentiale datum in respectu ad exteriora, pertinet ad circunstantiam; licet sint substantia, vt capilli cornua, squammæ, similiter manus, vngues, spina; rostrum, & omnia instrumenta adiuncta, tam in naturalibus quam artificiatis. vtitur enim leo vnguibus & dentibus; Aranea & Sericus filis adnatis, vt instrumentis prædæ, & tutelæ, limax testa: sicut homo retibus gladio & Clypeo. ex quibus Arist. facit Prædicamentũ Habere confundens naturalia cum artificialibus, dissocians que quæ erant sociata, vt mox apparebit.

5. *Vel Adscito*. Hoc enim propriè circunstat, quod ab

ipsa Re cuius notitiam quæremus, superadditur, siuè intra Animam, quales sunt scientiæ acquisitæ, præsertim tractantes ens rationis, vt Grammatica: morum probitas, & omnes acquisiti habitus & infusi, & malignitas & vitium, &c. siuè in corpore, vt vestimenta, & instrumenta artium pertinentium ad potestatiuum vt arma, vel ad cognoscitiuum vt ocularia, ac codices: vel ad Appetitiuum, vt olla: & vxor. Aut ad exteriorem fortunam vt serui, prædia, nummi, ciuitas. A quibus dicimur ciues, nummati, possessores, domini, armati, instructi, calceati, &c.

5. Dixi. *Vel ab Adiacenti Re*, hoc est, quæ ex natura nobis & aliis rebus propter coexistentiam conuenit, siue tangens, siue adstat, siue iuxta sit. cuiusmodi est Locus Tempus, socium, situs. Locus in hoc prædicamento non vsurpatur pro superficie ambientis & ambiti, vt Arist. putat. Nec pro spatio vniuersali corporearũ existentiarũ, intranea basi: quæ vna est dese, non sicut vnum indiuiduum, nec sicut vna species, nec sicut vnum genus, sed sicut vnum extans seminenter isthæc. Sed pro corpore ambiente naturaliter, aut violenter: & pro vniuersi aliqua parte, vt mare piscibus, Cœlum astris, Terra bestiis, &c. Socia autem corpora sunt, quæ istiusmodi loco sociantur, vt pisces piscibus, ciues ciuibus: vel tempore Coætanea, vt Pompeius & Mitridates: vel relatione, vt causa & causatum, dextrum & sinistrum. Situs pertinet ad configurationem relatam ad exteriora corpora & Mundi partes; non autem ad ordinem partium in Toto. hoc enim ad innatum accidens perse reducitur. Non sic loci differentias respectiuas, ante, retro sursum, deorsum, sinistrum dextrum, borealem, Australem, &c. Tempus tandem non sumitur Metaphysicè hic pro successione entis nonentis, sed pro motu Solis & Lunæ, vnde dies horæ, menses, anni: quæ nosse Philosopho multum prodest. In Metam. autem loquetur de seculis seculorum, de Mundo situali, corporali, Mathematico, Mentali, & Archetypo, & de horum consociatione, circunstantia, ampliori ratione.

ANIMADVERSIO.

LOcus & Tempus apud Arist. sunt Quantitas: ac mox Vbi, &c. Quando & Positio fundãt tria prædicamenta realiter distincta. quæ tamen reuera sunt existentiæ Realitates: & ad circunstantiam sub vna ratione communi rediguntur, & prædicantur in recto & obliquo.

DE CIRCVMSTANTIIS Moralibus.

Circumstantiæ Morales sunt septem apud Rhetores & Morales & Theologos, hoc versiculo contentæ.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, Cur,
quomodo, quando.

DECLARATIO.

ARistoteles particulares rerum cõditiones Vocat circunstantias. Cicero, *est*, ait, *per quas oratio autoritatem & firmamentum Argumentis adiungit*, *D. Thomas. sunt*, *ait*, *Actus humani*, *accidentia*, *non quidem per accidens*, hæc enim sunt infinita & extra Artem, sed accidentia per se, quæ non pertinent ad essentiam actus, & quidem rectè. Nam monstrum facere accidit hominis naturæ per se, non lineæ, nec Grammaticæ, aliisque infinitis, quibus per aliud accidit; lineæ enim, quæ est in homine accidit monstrum generare, & Musico, & diuiti, & vestimento, &c. similiter accidit calori indurare per se idest propriè, non autem Angelo, aut consilio, nisi sint coniuncta calori, vel relata.

Omnis ergo circunstantia. vel est à causa Agente, & propterea dicitur *Quis*, idest quæ persona, idest sacerdos vel miles, vel puer, vel Senator, occidit Petrũ, &c. vel à cau-

sa finali, & occasione. Propterea dicitur *Cur* idest propter quem finem, aut propter quam occasionem, si vt furetur aut vt vlciscatur : aut casu, aut ex rixa, aut, &c. Aut de causa instrumentali, quod signatur per ly, *Quibus auxilijs*: hoc verum est gladio, an lapide, aut, &c. Item auxilijs fratris, aut hostis, aut equi, aut multorum manu. Nota quod August. dixit, Auxilium & adiutorium dici ab augẽdo, & importare aliquid additum auctumque causæ principali, cui tribuitur actio. Ergo actiones humanæ, cum fiunt auxilio diuino, non sunt totaliter à Deo & immediatè, nisi immediatione Principij, quo non est prius, non autem immediatione attingentiæ, ait S. Thom. 3. cont. Gen. 70. sicut ab homine : alioquin Deus manducaret, quando manducat homo, & mingeret quando mingit, quod est error Mahometicus

Item vel à causa formali, ideo diciur *Quomodo*, non quidem à modo essentiali actus, qua occisio est violenta separatio animæ à corpore : sed de modo modi, idest vtrum dolosè, vel casu, vel subito, vel nolendo. Aut ab effectu, & sic dicitur, *Quid*, non quoad substantiam facti: Sed quoad circunstantiam, vt si occidit hominem puerum, an senem, sacerdotem, vel militem, & quoties, &c.

Additur *vbi*, quoniam exaggerat, vtrum in templo vel in platea, vel, &c. Item *Quando*, idest, si de nocte vel die, vel si quando audiebat sacrum; aut quando pugnabat, &c. ex dictis item patet testimonio etiam Arist. 3. & hic prædicari, vt species circunstantiæ partiales, quæ ipsi faciunt prædicamenta totalia.

De accidenti per se, & per aliud.


OMne prædicatum essentiale est per se, & necessarium & vniuersale: & quando est simul conuertibile, dicitur secundum quod ipsum. Accidentale verò non est vniuersale, nec per se, nec necessarium, sed contingens & aliquando & alicui : & per aliud vel secundum aliud. Item quemadmodum datur Accidens præter essentiam, &

præter

præter potentiam, & præter ſapientiam & præter amorem in Tranſcendentibus: quod tamen eſt perſe, hoc eſt proprium veni, & non per aliud, vt potentiæ debilitari accidit & roborari, non autem aliis: & ſcientiæ clareſcere & obfuſcari, non autem aliis: ac Amori proſequi & auerſari, & non aliis, niſi per accidens, ideſt in reſpectu ad illud, cui conuenit propriè: ſic & in prædicamentis, accidit ſubſtantiæ mutari in alterum, & ſuſcipere hæc vel illa accidentia; ſed non lineæ, niſi per ſubſtantiam: & omne inferius accidit perſe ſuperiori, ſi eſt vniuocum. Quare ſi ens eſſet vniuocum, accideret illi eſſe ſubſtantiam, ſicut & eſſe accidens; ſi autem analogum accidit ſolum eſſe accidens. Animali verò accidit eſſe Rationale pariter, vt irrationale, Ambo tamen diſiunctim non dicuntur per accidens. Similiter quantitati accidit eſſe continuam vel curuam perſe; cæteris verò prædicamentis per quantitatem; idem dic de cæteris: quod etiam in omni genere & ſpecie agnoſcimus. Accidit enim Ferro fieri lanceam, non autem Stuppæ: & Formæ eſſe collocatam, non autem ſono; & homini ſcribere, non autem Medico niſi propter hominem. Scriptori autem non non accidit.

Maxima Metaph.

QVapropter, omne per accidens alicui, eſt alicui perſe; & omne contingens reducitur ad neceſſarium: omnis caſus ad prudentiam: omne Fortuitum ad prouiſum: omne exorbitans ad harmoniam; Omne coactum ad voluntarium: Omne præter eſſentiam ad eſſentiale.


Causa
Effectus
adsistens
Circunstátia.
inexistens
accidens
Adnatum
Adscitum
Illatum
Adiacens
Locus.
Tempus.
Sociale.
Situale.
Hic locus. Ista hora. Illud, &c.

APPENDIX.

Quod omnia prædicamentalta præfatis prædicamentis abundè absoluuntur: & in quibus Arist. deficit aut superfluit.

ART. XI.

PRædicamenta Arist. quæ ab Archita accepit sunt Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Vbi, Situs, & Habere.

Præposuit etian Anteprædicamēta, terminos æquiuocos vniuocos, & denominatiuos. Addidit etiam Post prædicamenta quæ sunt Mutatio, quatuor Opposita, Prioritas, & Habere.

In Ante prædic. est mancus, quoniam non omnes terminos significatiuos & prędicabiles posuit, nec analogos distinxit ab aquiuocis, sicut nos fecimus.

Post prędic. verò ponit inutiliter & superfluo. Motus enim ad Actionem, Passionem, & Operationem Spectant quatuor opposita manea nos deduximus ad octo, & in prædic. dissimilitudinis locauimus: Simul & Prius & Posterius in Configuratione & Relatione ponendi erāt, aliquando verò sunt Circunstantia. Hoc etiam planum quod ea prędicamenta in sufficientia sunt, quibus adiicere aliquid oportet.

In prędicamentis verò suis desideratur ab Ammonio prædicamentum signi & entis rationis; quæ etiamsi artificialia sunt, entia sunt aliqua, reponibilia in Logicæ artificialis Cathegoria: nos in prædicamento similitudinis locauimus. Prætereà omisit Aristoteles Similitudinem & Dissimilitudinem, valdè necessaria: absque his enim non datur scientia: difinitio enim scientiæ principium constat ex genere & differentia, idest, similitudinine & dissimilitudine: & à simili ad simile procedit argumentatio. Et

quamuis ista duo relationes viderentur, tamen in vnitate & multitudine transcendentibus rerum principiis realibus fundantur: quorum causa prædicamenta, sunt. Prætereà omisit prædicamentum Operationis, distinctum realiter ab Actione & Passione; qua distinctione non agnita multi committuntur paralogismi. Prædicamentum etiam Virtutis non agnouit, & cum esset generalissimum distinctum modum entis importans, positum est illi tanquam species qualitatis. Porrò nec Qualitas erat ponēda vnū prædicamentorum vniuocum, cum sit modus omnis rei essentialis. vnde coactus est Arist. ponere figuram & scientiam & & qualitatem passibilem, & alià non cohærentia, sub vno genere. Potentia enim, & figura, proprium genus constituunt.

E contra Relationem, quæ species oppositionis est, velut ipse in post prædicamentis testatur, fecit generalissimum. Prætereà Vbi, & Quando; fecit prædicamenta essentialia, quæ tamen solum corporibus ad existentiam positis conueniunt; ita vt sint circunstantia & accidentia essentiarum. Quapropter nos ex loco & tempore & existentibus, adiacentibus, & illatis, Cathegoriam fecimus. Adiecimusque Situm, de numero prædicamentorum abrasum, quoniam ad Relationem pertinet & ad configurationem; quibus addita coëxistentia deducit situm ad circunstantiam. Tandem Habere quod Arist. fecit prædicamentum & Post prædicamentum, Sustulimus, quoniam quatenus dicit possessionem, vel ius possidendi reducitur ad prædicamentum Facultatis. quatenus respectum rem est Relatio inter habentem & habitum, quatenus adiacentem præter esse, circunstantia est. Quatenus autem dicit esse, vt habere rationalitatem habere materiam, habere colorem, habere caput, &c. autem pertinet ad esse cuiusque prædicamenti. Nempe, esse rationalem, esse materialem, esse coloratum, esse capitatum, esse scientem. Significat etiam continere & contineri, vt habere in se Deum, oleum in Vase, animam in corpore, quæ omnia faciunt copulationem om-

nium, vel diuerſorum prædicamentorum, & vel ad circunſtantiam, vel ad nullum ſpectat prædicamentum, cum ſit compoſitum prædicans hoc de altero. Prædicamenta autem ſunt ſimplicia diſtinctáque formaliter.

Sunt quidem formaliter propriis rationibus eſſentiæ, non tamen entia niſi largo modo; ſed entitates ſubſtantiæ per ſe entis.

Debuiſſet Ariſt. Tranſcendentia facere poſt vel ſupra Prædicamentalia. Non autem partes ponere extra Totum, nec Totum quod pars eſt, efficere. Dixit dicta non examinata. Nec definiuit, vt ei obiicit Iuſtinus Philoſophus, & in hoc Cap. oſtenſum eſt.

DE ARTE DIVISIVA.

CAP. VII.

POST Methodum collectiuam omnium rerum ad ſua Generaliſſima & Tranſcendentia, in quibus ſtatim cuilibet entitates omnium præſentantur: Methodum diuiſiuam addere oportet, tum ad confuſionem tollendum: tum ad definitiones complendas, quæ ex ſimilibus ſeu vnitis, & diſſimilibus ſeu diſtinctis conſtant.

DEFINITIO.

Diuiſio eſt Totius in partes quæ ſibi inſunt, redactio.

PRÆCEPTVM.

QVidquid habet proprias partes, diuiditur totumque eſt: ſecundum ergo diuerſitatem totalitatum eſt diuerſitas diuiſionum.

DISTINCTIO TOTORVM.

1. EST *quidem Totum quantitatiuum.* Vel continuitate vt linea; vel contiguitate, vt aceruus; vel ordine vt numerus; vel ordine & relatione, vt exercitus, & Ciuitas.

2. *Aliud est Totum integrale*, vt si habeat plures partes compositas ad vnius integritatem entitatis.

Et hoc non est homogeneum, vt aqua, cuius pars omnis est aqua:

Sed & Æterogeneum & dissimilare est, vt planta & manus, cuius non omnis pars est planta, neque manus. Et hoc sæpè requirit ordinem, vt domus, & exercitus, & vnionem aliquam. Et conuenit cum Toto quantitatiuo secundariò.

3. *Aliud est Totum essentiale*, quod & definibile vocant. Nam & totum id, quod partes Definitionis explicant, vt Homo est Totum; animal & rationale sunt partes. At aliud horum est essentiale simplex, vt Calor, & Angelus; aliud Compositum, vt homo ex anima & corpore; & hæc totalitas omni enti conuenit.

4. Rursus datur & *Totum potentiale*, sicut quod est vnum, sed plures habet potentias, seu facultates, veluti Anima est Totum: Voluntas, & intellectus quasi partes. Calor est totum; posse calefacere, & posse attenuare, & posse lucere, & mouere sunt potentiæ eiusdem Caloris.

Tandem datur *Totum vniuersale*, seu commune, quod continet sub se plures partes subiectiuas; & hoc est, vel totum æquiuocum, vel Analogum, vel Vniuocum. Vniuocum verò aut est Totum vt genus, aut vt species: illud enim diuiditur in species, & species in indiuidua. Quia tandem Totum est quid vnum; Datur & *Totum numerale*, vt Petrus, quod est totum, vel per se, quia ex hac anima, & hoc corpore constat; aut quia continet in se animal & hominem, & corpus & substantiam, & ens. Vel per accidens, quia diuiditur in plura Accidentia, cum sit albus, & musicus, & monachus.

De Diuisione Totius Quantitatiua.

Art. II.

Diuisio ergò Quantitatis, vel fit per rationem intellectus tantum. Sicut enim Astrologus diuidit Eclypticam lineam in gradus & minuta, & secunda, &c. Et hæc potius vocatur Distinctio, quam Diuisio. Vel secundum rem per sectionem corporis, aut vacui interpositi, sicuti lignum serra secamus. Et quidem horum Diuisio talis est, vt diuisum sit in partibus diuidentibus, & non excedat ipsas; nec partes diuidentes excedunt diuisum. Non enim habent aliquam quantitatem, quæ non erat in ipso diuisibili. Si enim non inerat, pars eius non est. Ergo si quid diuideretur in infinitum, partes haberet infinitas. Sic etiam diuiditur numerus formalis per opus intellectus. Materialis verò per intellectum & sensum secantem; & contigua per remotionem diuidũtur; & semper adæquantur diuisum & diuidentes portiones.

Et aliquando fit in partes æquales, vt decem in tria & in septem. At quando est magna inæqualitas, vt vnius ad nouem potius dicitur Diminutio, quàm Diuisio. Sic corpus secatur, si per cinctorij lineam diuiditur: Si autem digitus abscinditur dicitur diminui, & truncari: & amputari. Diuisio in duas semper æquales subdiuisas similiter, dicitur in partes proportionales. Diuisio in plures æquales vel inæquales, dicitur in Aliquotas vt Nouenarius in tres Ternarios.

Ad primæ totalitatis similitudinem fiunt aliæ diuisiones Totalitatum; & distinctiones.

De Diuisione Totius integralis.

Art. III.

Totius autem homogenei Diuisio est simillima quantitatiuæ. Non enim addit nisi formam super quan-

titatem. Forma autem per ſe non diuiditur, quia per ſe non ſubſiſtit, ſed in quanto. Sed integrale

Totum etherogeneum diuiditur, vel in partes ſuas homogeneas, ſpecies differentes, ex quibus omne diſſimilare conſtituitur; *vel in partes principales conſtitutas ex diſsimilaribus, vel in inſtrumentales.* Primo modo Phyſicus diſtinguit corpus humanum, in oſſa, neruos, carnes, cartilagines, membranas, & ſanguinem; & de his ſeorſum conſiderat.

Secundo Modo Phyſicus craſſiori diuidit corpus, in caput, manus, pectus, abdomen, coxas, crura, & pedes, & harum ſingulas in partes ſuas.

Vocatur autem hæc Diuiſio materialior. Illa verò formalior; quoniam eiuſdem ſpeciei ſunt partes ſimilarium; Diuerſæ verò, diſſimilarium: Tertio modo corpus diſtinguitur in organa Poteſtatoria, & Senſoria, & Appetitoria; & adde exequutoria.

ANIMADVERSIO.

QVI autem diuidunt non numeratis partibus principalibus, ſed vnam contra reliquas ponunt, vt dicentes: Corporis partium, alia eſt caro, alia non caro, inſufficienter diuidunt; quoniam non manifeſtant, niſi vnam partem, & reliquas confundunt per negationes; & potius debet dici truncatio particulæ ex toto, quam Diuiſio. Sic ſi dicas, alia eſt manus, alia non manus. Conceditur tamen reſpondentibus ad argumentum repente, ne prolixè omnes partes numerent; ſed non facientibus artem. Neque enim exercitum diuides rectè in exploratorem & milites, ſed in legiones, & has, in Cohortes. Aliquando tamen in caput & membra, quia præponderat illud iſtis.

De Diuiſione Totius eſſentialis.

TOtum autem eſſentiale non ex rebus componitur, & vnis, & entibus, ſed eſſentiatur ex Realitatibus, entitatibus, eſſentialitatibus, vnalitatibus, & ideo non diuiditur quantitative neque per ſe, neque per accidens, ſed ſola ratione: at vbicumque

que

quæ reperitur totum est, vt Anima & Angelus, & essentia cuiusque Rei: ac proinde definitio, indicans essentiam quãcunque. Nam & tota essentia albedinis est in dente sicut in multa niue, & in particula niuis tota. Quoniam Definitio albedinis æquè conuenit vtrisque. Sic Augustinus ponit totam animam in qualibet parte Corporis. Quoniam vigor intellectus & voluntas, ex quibus essentiatur sunt re vnum. Et ergo ipsa tota, eiusque tota definitio est in omni parte animata; sed intellectiua non diuiditur per accidens quantitatiuè, sicut albedo, quæ quantitatiue diuiditur per accidens, non autem essentialiter.

Item licet sint partes Definitionis plures, tamen dicunt omnes, quidquid dicit Definitum vt probat sanctus Thomas: sed Genus indeterminatè, Differentia verò determinatè: at Definitum est quid aggregatum ex vtri que implicitè, quod Definitio explicat. Et propterea non dicũtur propriè diuidi, sed distingui. Vel partes definitionis non dicunt rem totam definitam nisi materialiter: formaliter verò dicunt realitates eiusdem rei.

Distinguntur autem secundum rationem formalem, quoniam sub alia ratione formali animal dicit quidquid est in homine, sub alia rationale, sub alia homo, sub alia animal rationale. Est ergo compositio notionum, seu intellectuum, vt ipse ait, in Definitione, & non rerum. Hoc autem verum est de Definitione, quæ datur per notiones formales. Sed si addas causam finalem, & agentem, & subiectum, tunc videntur partes differre realiter, & non ratione. Sed re verà non sic est, quoniam licet secundum se differant realiter, tamen in Definitione ponuntur ad vnum explicandum. Siquidem Symitas est curuitas in nasô. Et licet nasus non sit symitas, tamen est symus, & quatenus est symus, est idem re cum symitate.

Similiter cum dico, *Anima est substantia immissa Corpori humano à Deo propter beatitudinem comparandam*, licet neque corpus dicat essentiam animæ, neque Deus, neque Beatitudo, tamen corpus vt animatum dicit animam, &

Deus, vt creans animam, dicit animam, eius quippe similitudo participata est anima; & Beatitudo est finis animæ, & ipsamet & anima, vt beatificata. Qui hæc non capit dicat, quod quæ ponuntur in definitione in obliquo, & vt additamentum, non sunt partes Definitionis, sed deferentia partium: quæ verò in recto, & intrinsecè, sunt partes, & dicunt totum. Ergo definibile diuiditur in partes definientes intrinsecas, & addititias. Intrinsecéque distinguntur formaliter non fundamentaliter, sed ab addititiis vtróque modo.

Quod plures differentiæ aliquando dicunt eandem entitatem eiusdem rei; aliquando diuersam; & quomodo diuiduntur.

QVoniam autem Ratio format de re conceptum, qui est definitio rei conceptæ: propterea Definitio vocatur Ratio à propria causa; Et quæcumque habent diuersam definitionem, habent diuersam essentiam, præsertim si genera & differentiæ sint diuersæ; vt definitio lineæ & hominis. At si Genus idem in duorum definitione ponitur, illa non diuersa sunt, sed differunt specie, genere verò vnum sunt.

Potest tamen eadem res, definitiones plures habere partiales à pluribus suis realitatibus, vel causis sumptas. Quæ cum sint compossibiles, non dicunt plures essentias, sed plures eiusdem essentialitates, vt gladius est instrumentum vulnerandi; & gladius est ferrum ita formatum ad pugnandum.

At quando Definitiones plures sunt eiusdem rei, non à causis compossibilibus: sed à variis eiusdem rei conceptibus: tunc illa res non est vna secundum esse. Non enim possunt eiusdem rei secundum eandem essentiam plures fieri conceptiones, & rationes; vt homo in quantum homo est animal rationale, in quantum species est prædicabile de indiuiduis; in quantum vox est nomen substantiuum significans humanam naturam: in quantum pater, est

genitor filiorum: in quantum dominus, imperat seruis: in quantum ædificator, est ædium seruator. Vbi patet quod idem ad diuersa genera genera pertinet, & essentias, quoniam coaceruantur in eodem plures entitates, quæ subiecto etiam materialiter sunt vnum, formaliter verò plures: & diuisio harum rationum est secundum rem formaliter, vt patebit; rationum verò è variis causis est diuisio formalis secundum rationem, quia idem ipsæ dicunt.

De Diuisione totius Potestatiui.

ART. V.

DESCRIPTIO.

Essentiale Totum ex essentialitatibus constat: quæ respicientes ad extra, dicuntur facultates, virtutes, potentiæ, per suos actus ad obiecta tendentes, & radicaliter sunt vnum totum essentiale: vt verò respiciunt actus & obiecta, sunt vnum potentiale: distinguibile realibus respectiuis realitatibus.

DECLARATIO.

Diuisio quidem Totius potentialis ab actibus cognoscitur. Actus verò ab obiectis, non modo cognoscitur, sed causatur, causatione tamen finali: non enim diuersas potentias ab omnipotente Causa res vlla acciperet, nisi quia ad diuersos actus ordinantur. Et cum Potentia sit ad aliud & propter aliud ab intus essentiam habet cuius est realitas, sed propter aliud; & declarationem ab alio sumit.

DISTINCTIO.

Dvplex est potentia, sc. passiua, & actiua. Passiua est, quæ recipit, & quæ deficit: Quæ deficit est alia à receptiua, & potius est impotentia. Vt quando frigus patitur à calore deficit; quæ verò recipit est materialis, & quia materia contrariorum est eadem, siquidem neque lo-

ſus, neque materia habent contrarium, dicimus *eandem eſſe Potentiam contrariorum*, vt receptiuam albi, & nigri; calidi, & frigidi. *Sed diuerſorum non eſſe eandem.* Alia eſt enim receptiua corporeïtatis, & alia caloris, illa enim fundatur in incorporeo ſpatio paſſiuo, hæc in corpore. Similiter alia eſt potentia receptiua ſoni, & caloris, & ſaporis, & odoris quoniam ipſa obiecta diuerſa ſunt, & diuerſam diſpoſitionem organicam requirunt; ſed vis iudicatiua eorum fortè eadem eſt ſecundum rem, ſed non ſecundum rationem. Idem ſpiritus ſentiens iudicat dulcedinem & albedinem, ſed in diuerſis organis eas ſuſcipit.

CONSIDERATIO.

VIdentur autem & *inſtrumenta, Poteſtatum eſſe declaratiua.* Nam alia eſt Poteſtas arandi, & fabricandi, & nauigandi, ad aliam quælibet ſcientiam ſpectans; & aliis inſtrumentis exercetur. Inſtrumenta autem alia ſunt; quoniam obiecta alia. Propterea igitur Potentia actiua ab actibus, & inſtrumentis, & obiectis declaratur. Aliam eſſe Poteſtatem ſanguificandi, aliam coquendi cibum, aliam expellendi fuligines, in corpore animato videmus; quoniam aliis inſtrumentis circa alia obiecta exercentur, vt iecore, ventriculo, & fibris. Sed velle, & poſſe, & ſcire, quæ ſunt Primalitates, omnia inſtrumenta ſibi vendicant, quoniam ab eis oriuntur potentiæ omnes, & abſque inſtrumentis exercentur quoque, & abſque obiectis, vt cum animus ſe ipſum intelligit, & vult, & poteſt eſſe, volitione, & Poteſtate innatis, non illatis, ſed tamen non abſque actibus, ſed actus ſunt idem tunc, cum Potentiis, & obiectis, vt Idem eſt ſciens, & ſcitum, & ſcientia quando ſe ipſum ſcit, non reflexè: De his in Metaph. diximus abundè.

ADDITIO.

ADde, quomodo diſtinguntur Potentiæ exteriorum à re potente, & inter ſe: ratione formali eas differre

nihil ambigo; reali verò fundamentaliter non distinguntur; sed respectu ad obiecta: cum accidat post essentiationem ipsis potentiis, realiter eas distinguere ritè putantur. Omnem autem Potentiam actiuam à Passiua distingui planum est realiter.

De Totius Vniuersalis distinctione, & prius de æquiuoco, Metaphorico, & Analogo.

ART. VI.

TOtum Vniuersale Logicum est, quod prædicatur de pluribus subiectis. Propterea distinguitur in suas partes subiectiuas in prædicatione.

Sed Diuisio æquiuoci vocatur diuisio vocis in significata diuersa secundum Definitionem. Sicut Populus significat arborem, & hominum multitudinem.

Diuisio autem Metaphorici vocabuli est per proprium & improprium, vt ridere de homine, & de prato.

Diuisio Analogi est rei in modos, seu rationes varias essendi, vel existendi vel operandi præsertim in attributiua; sicuti Deus dicitur bonus per essentiam, homo per participationem; virtus, quia facit bonum; operatio, quia effectus bonitatis: erubescentia quia signum & hæc bona dicuntur respectu ad bonitatem Dei. Hi autem modi differunt, sicut à principali, non principales. Nam reflexio de Iride & de Echo, & de pila itidem dicitur; sed differunt quia illa lucis, ista soni, tertia corporis est redhibitio; est ergò rerum distinctio realis, & non modorum tantum.

De Vniuoci distinctione.

VNiuoci in vniuocata diuisio fit per differentias formales, addentes modis essentialitates proprias, si diuidit genus: per materiales, si species spe-

cialiſſima.

Peripatetici dicunt, Genus diuidi per differentias contrarias, non priuatiuas, & maximè diſtantes ſub eodem genere: & per duas non per plures; quæ euacuent totum diuiſum, & non excedant ipſum, & ſint per ſe, non per accidens. Ergò non rectè dices. Animalium aliud alatum, aliud non alatum. Non alatum enim priuatio eſt; & nihil indicat partium indiuiſarum.

Neque dices, aliud bipes, aliud quadrupes; quoniam datur centipes, & multipes, & expes, vt piſcis. Non euacuatur ergò diuiſum. Neque dicas, aliud mortale, aliud immortale, ſi Angelus eſt incorporeus; Neque dices, aliud album, aliud longum, quoniam album, & longum non ſunt contraria. Neque aliud longum aliud breue: quoniam eſſe longum, & breue accidit animali, & nõ eſt illi eſſentiale; ſed indiuiduis fortaſſe.

Sed hæc doctrina vera eſt tantum in genere ſubiecto & materiali, & differentiis prædito duabus, quoniam duas continet ſub ſe ſpecies vti dicimus; Numerorum, alius par, alius impar. Sed non potes dicere, colorum alius albus, alius niger; quoniam dantur plures colores intermedij. Nec animal aliud rationale, aliud Crocitans, quoniam dantur plures ſpecies animalis; quarum quęlibet ſibi propriam vindicat differentiam.

Non ergo omnis diuiſio bimembris, neque reducibilis ad bimembrem, niſi media computentur cum extremis, vt rubens eſt partim albus, partim niger. Idcircò coguntur ſæpè priuatiua, & negatiua, vti differentia; vt, aliud rationale, aliud irrationale. In quo tamen bis peccatur, aut ter; quoniam irrationale nihil notificat; & excedit diuiſum; nam & lapis eſt irrationalis negatiue; & fit truncatio non diuiſio; quoniam abſcinditur homo à genere animalium; vt digitus à corpore. Quaſi etiam dicas, omnis pars, aut eſt digitus, aut non digitus.

Animaduersio in Distinctione Vniuocorum.

ERgò potius diuidemus genera, duas species continentia vel differentias, per oppositas maximè; vt numerus per par & impar. Similiter & quæ habēt paucas species, diuidi possunt in illas, vt triangulorum, alius Æquilaterus, alius Gradatus, alius Isosceles. Sed quando plurimæ sunt species, oportet eas adunare ad quasdam communitates & has denuò diuidere, vt Animalium, aliud aquatile, aliud volatile, aliud terrestre, & rursus terrestrium aliud reptat, aliud graditur: & gradentium aliud graditur: & gradentium aliud bipes aliud quadrupes, aliud multipes; & per differentias propriorum accidentium colligere doctrinam.

Methodus distinguendi specialissima in variis artibus, & de Diuisione, & Collectione scientifica inuentoris, & Doctoris: notabilis consideratio.

ART. VII.

SPeciem verò similiter secamus. Nam alius homo sanguineus: alius cholericus; alius atrabiliosus; alius flegmaticus: Diuidimus etiā à regionibus; alius Orientalis, alius Septentrionalis, iuxtà subiectam narrationem. Aliter namque diuidit Medicus; aliter Historicus, aliter Physionomus; ille per complexiones, iste per regiones, vel per geneologias: Hic verò per signa figuræ exterioris.

Sed vbi indiuidua pauca sunt numerantur, vt stellarum alia fixa, alia erratica. Erraticarum alia est prima & vocatur Saturnus. Deinde Iuppiter, deinde Mars: Septima autem Luna, & sic conficitur scientia.

Descendere autem ad indiuidua, adeò licet, vt necesse sit ex indiuiduis primas collegisse species, & ex

ſpeciebus genera. Et deinde diuidere genera in ſpecies; & ſpecies in indiuidua. Primus ordo collectiuus eſt ſapientis inuentoris ſcientiarum humanitus. Secundus diuiſiuus eſt Doctoris ſcientiarum. Etenim compendioſè tradit rerum communitates, quas ex innumeris indiuiduis ille adunauit. Vnde ex via collectiua genus definitionis agnoſcitur, ex Diuiſiua verò differentia. Et ſic ſoluitur diſſidium Ariſt. colligentis & Platonis diuidentis.

DOCVMENT. I.

PRofectò ſapientiſſimus eſt, qui omnes communitates rerum in ſimilitudinibus nouit; & oppoſitiones in diſſimilitudinibus; & hoc eſt ſcire, ſed cum habuerimus proximam communitatem, & eius diuiſionem, ſcimus compendioſè, & languidè, more Peripatetico.

DOCVM. 2.

DIfferentias diuiſiuas rerum per ſe inuenire difficillimum eſt. Idcirco Genus in ſpecies non nominatis differentiis partiri ſolent Doctores. Sed hinc obſcuritas in definiendo naſcitur. Prolixitas in numerando. De his autem in Prædicamento ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, dictum eſt.

De Diſtinctionum ratione, & multiplicitate.

ART. VIII.

INtellectus diſtinguere vnum, quo vnum, non poteſt; neque plura, quo plura vnam facere.

Quot

Quot modis vnit Intellectus.

EX pluribus autem facit vnum vel notionaliter, quando quæ ſimilia ſunt vno nomine ea inſignit, vt omnia corpora animata ſub ly animal.

2. Aut cum plures notiones vnit ad aliquid declarandum, ſicut in definitione hominis ponit ly animal, & ly rationale.

3. Aut cum res notas, non notiones, quò notiones, vnit; prout in rerum natura vnitas nouit, vt cum dicit, homo eſt albus.

Primam vnionẽ nouimus in Prædicabilibus, & Prædicamentis.

Secundam in Definitionibus.

Tertiam in oratione affirmatiua in ſequenti libro.

Quot modis diſtinguit.

AGnoſcimus eodem modo, & diuidit intellectus, vel ipſas notiones, qua ex parte diſſimilitudinem, & pluralitatem gerunt, vt animal in rationale, & irrationale.

2. Vel definitionem in ſuas partes, & de his locuti ſumus hoc in Capitulo.

3. Vel res notas in natura non conuenientes, per negatiuam propoſitionem, vt mox examinabimus.

Nunc autem quomodo res ab intellectu diuiſæ diſtinguantur fiat ſermo.

Prima Ratio Diſtinctorum.

OMnis Diſtinctio, vel eſt Totius in partes, vel Partis à parte, vel partis à toto.

Ratio secunda Distinctorum.

Item harum alia realis, cum distinguitur res à re, vt motus & linea. Alia rationis; cum quæ re sunt vnum, plures rationes habent; vt alia ratio est animalis, qua corpus, & qua animatum & duæ realitates dici possunt: Sic primalitates Entis, non essentiæ, sed essentialitates, non Res, sed realitates sunt vnius rei, distinctæ ratione in se: relatione tamen reali.

Tertia, est Ratiocinij, quando in re non est fundamentum plurium rationum: sed intellectus eas facit, sicuti cum dicit, Deus est in se; quod Parmenides negat, quoniam aliud est id, quod est, & id, in quo est: In Deo autem non est hæcalietas: quod verum est secundum rem, sed secundum modum intelligendi, quem ab humanis sortimur, ita coactis ratiocinari, licet.

Scotus hanc vltimam vocat rationis distinctionem: mediam, vocat ex natura rei: primam realem. Diuus Thomas primam realem: sed secundam & tertiam vocat Distinctionem rationis, ne incidat secunda in realem. Sed tamen hanc absque fundamento in re; illam cum fundamento. Quod moderni dicunt secundum rationem ratiocinantem, & ratiocinatam.

Nos autem primam realem, 2. vocauimus Idealem. 3. rationis. Dixi *idealem* quoniam apta est in intellectu plures idealitates. i. rationes formales parere, & definitiones dum concipitur. Non autem dico *plures ideas*, quoniam idea est rerum, idealitas realitatum: possumus etiam distinguere *formaliter, non formis, sed formalitatibus.* At quoniam idealitas est formalitas in anima, nil verendum dicere distinctionem Rationis cum D. Thoma, dumq; vocemus Ratiocinij, vt distinguatur à secunda. Confundere. n. distinctiones est contra Artem distinctiuam.

Tertia Ratio Diſtinctorum.

REalis Diſtinctio, alia eſt relatiua, vt inter Patrem & filium in diuinis; quæ etiam eſſet in humanis, ſi ſola relatio diſtingueret inter Philippum Patrem, & Alexandrum filium; & non ſubeſſet ſimul numeralis differentia. Alia verò abſoluta, vt inter hominem, & bouem; quæ ſortitur nomen ab eo, in quo ſunt plures res & non vna Et quoniam idem eſt eſſe; cauſæ eſſendi ſunt cauſæ vnitatis: & Cauſæ non eſſendi, ſunt numeri, ac diſtinctionis cauſæ.

Propterea à ſextuplici genere cauſarum nomen habent. Alia enim diſtinguntur fine, & vſu, ſicut domus quatenus habitatio eſt beſtiarum, dicitur ſtabulũ; quatenus hominum, domus; & eadem res diuerſos ſortita fines rationes finales habet plures, vt idem lignum eſt ſedile, & limen. Alia à Perfectione: vt domus ornata eſt habitabilis: non ornata inhabitabilis.

Aliæ ſumitur ab agente, vt eadem litera ſcripta, & reſcripta à duobus ſcriptoribus.

Alia ab Idea; vt duæ A, a, formatæ duobus modis, licet idem ſignificent prorſus. Et de præfatis diſtinctionibus veteres nil loquuntur, quoniam videntur eſſe extra eſſentiam rerum; fortè, neque diſtingunt, niſi quatenus ſunt in re per participium.

Diſtinguntur ergò alia formaliter, vt triangulus ligneus à quattangulo ligno. Alia materialiter, vt triangulus ligneus à triangulo ferreo. Alia vtróque modo vt triangulus ligneus à quatrangulo ferreo. Et hæc dicta ſint v. g. ferrum enim & lignum non ſunt naturalis materia trianguli & quatranguli, ſed accidentalis. Naturalis enim eſt linea, ſicuti forma eſt Angulus: ex lineis, & Angulis iſta conſtant.

In conſideratione ergò diſtinctionum ſumitur materia pro eſſentia rei, forma pro modo illius. Vnde Angelus, & Anima humana differre formaliter, non autem materialiter.

Vtráque enim est substantia incorporea. Item quod est superius, & communius in notionibus sumitur loco materiæ, vt genus: loco formæ verò quod specialius & distinctius, vt differentia & species; quoniam indeterminatam notionem determinant, & qualificant, sicut forma materiam.

Distinctorum gradus.

PRimò, igitur maximè distinguntur, quæ in nullo conueniunt; vt Ens, & Nonens; & dicitur distinctio totalis & contradictoria. Priuatio & habitus distinguntur sicut ens & nonens, at conueniunt subiecto.

Secundò, quæ in ente & Analogo conueniunt, & diuersum essendi habent modum, nec in materia, nec in forma conueniunt vt duo generalissima, &c. figura & actio, quæ distinctio essentialis, & totum est, conuenientia enim sub ente non est formæ, nec materiæ, sed ab agente vno Deo.

Tertia est eorum, quæ sub eodem genere sunt. Conueniunt enim in essentia generica materialiter; distinguntur autem formaliter. Alia enim est forma substantiæ in animali, atque in lapide, & terra. Et alia forma quantitatis in linea, & in numero; materia tamen est vna id est essentia.

4. Quæ verò sub specie ponuntur indiuidua, distinguntur, non quidem materialiter, nec formaliter, cum eadem forma humanitatis sit in Petro, & Paulo; & carnes, & ossa, communis materia. Hic altercatio. Thomistæ enim materialiter distingui putant, quoniam diuisio materiæ facit indiuidua. Platonici quidem formaliter. Etenim forma distinguit materiam confusam. Scotus hæccheitatem introducit apto vocabulo, quoniam licet distinguatur materia formis, tamen ineffabilis est ratio distinctionis & singularitas.

Et quidem D. Thomas non existimat distingui materialiter, sumpta materia pro essentia; alioquin homo,

& bos materialiter magis differrent, cum plus diſſideat materia bouis à materia Petri, quàm Pauli matêria. Sed loquitur de materia partis, qua quæcumque ſpecie differunt etiam materia. Non autem materia totius, quæ eſt genus. Ergo fundamentaliter ſit materia partis principiũ diſtinctionis: formaliter verò partis forma. Totius ſit ſingularitas. Et hæccheitas vocari queat. Hoc autem poteſt à ſe diſtingui per accidentia multa: vel ſuipſius alteritate, vt ſenex Petrus à ſe iuuene.

QVÆSTIO.

SED quomodo diſtinguitur pars à toto, Petrus ab homine, & homo ab animali? Scotus ait ex natura rei nullo intellectu conſiderante. Thomiſtæ ratione formali quoniam idem dicunt ſub alia notione determinatè. Nos idealiter, quoniam in intellectu alias faciunt idealitates rationis ob realitates alias non res alias.

At profectò ſi ſuperius ſe habet, vt materia, inferius, vt forma, diſtinguentur ſe totis, eruntque diuerſa; materia enim, & forma, diuerſæ ſunt, & pluſquam linea & albedo, ſunt enim diuerſorum prædicamentorum, & eſſendi modorum, & in inuicem non tranſmutantur.

Reſpondeo genus & differentias ſe habere, vt materia & forma, non autem eſſe materiam & formam, niſi notionaliter. Dicunt enim eandem materiam & formam, & totum, & dicuntur materia totius. Propterea diuerſa non ſunt, ſicut materia & forma partis. cum præſertim ſint eiuſdem totius, & non diuerſorum totorum, quales ſunt Genus Angeli, & ſpecies Animalis; ſunt etiam ſicut numeri in additione modi ſignificandi, non in re; alioquin eſſet diuerſarum ſpecierum homo, & animal, ſicuti ternarius, cum binario. De his in Metaph. Quomodo autem principia quoque diuerſa ſint & cauſæ & prædicamenta, dictum eſt in prædicamentis.

Notabile.

DE Distinctione rationis, & ratiocinij considerandum, quod non fiunt, nisi in re sit fundamentum proprium, aut mutuatum. Cum enim intellectus eandem rem vnam facit duplicem, vt Deum in se existentem, & relationem rationis: vt idem, eidem idem; mutuatur hoc ab aliis rebus, in quibus ista distinctio est realis. Ex hoc enim quod est in loco à se realiter distincto, considerat Deum esse in se, cum ab alio non contineatur; & ratiocinio distinguit indistinctum; & fallitur, si ita esse realiter sentit. Cum verò in rebus plures respectus deprehendit, aut à causarum plurium conuenientia in vnam rem, vt paulo ante dicebamus; vnde plures Definitiores facit, aut ab vsibus, & causationibus eiusdem rei in alios: tunc licet rationes plures facere. Quapropter alia est ratio animæ, qua animat, alia qua vult, alia qua potest, alia qua intelligit, & tamen vna res ista facit. Volunt tamen potentias has partiri realiter. Sed iterum duplex realitas essentiæ, & existentiæ. Tunc materia & forma non possunt distingui realitate existentiæ, nec accidens à subiecto, nec facultas ab eo, cuius est facultas, imò sic omnia prædicamenta mista sunt. Sunt tamen quædam, quæ aliquando separantur, vt Color albus à triangulo: quædã quæ nunquam, vt figura à quantitate, & materia à forma. Sunt etiam quædam nec indiuidualiter, vt intellectus ab anima. Et hæc omnia sunt vnum realitate existentiæ vel genericæ, vel specifices, vel indiuidualis.

Sed quæ in diuersis sunt Prædicamentis, vtique distinguuntur realiter, realitate essentiali, licet non semper existentiali; & tamen in eodem Prædicamento distinguuntur essentialiter, omnes species, & indiuiduo, vt agnoscas in creaturis plus diuersitatis quam identitatis. Vtrum aútem in eodem sint prædicamento cum

dubitatur, Metaphy. consule, &c. Videntur tamen realitates cum sua re in prædicamento totali, non in partiali simul reperiri. Nihil autem difficilius quam benè distinguere, Socrates argutè prædicabat.

RESOLVTIO.

Distinctio ergò realis habet fundamentum & complementum in re. Distinctio rationis habet fundamentum & complementum in ratione mutuante. Distinctio ex natura rei, seu idealis, habet fundamentum in re & complementum in intellectu.

DE ARTE DEFINITIVA.

Cap. VIII.

POST Collectas essentias rerum ad suas Categorias per Methodum vnitiuam: Distinctionésque positas per diuisiuam. Sequitur definitiua Ars, vtraque vtens Methodo. De quibus Arist. & Plato nullam tradidisse artem videtur; & tamen sæpè multa tradunt & bene, & perperam, vt patuit in Metaphysicis.

DVPLEX DEFINITIO. Art. I.

Definitio alia indicat quid nominis. Alia quid rei.

DECLARATIO VTRIVSQVE.

NOmen hic dicimus omne notamen. Omne vocabulum: Res, omne significatum ipsorum.

RATIO DVPLICIS DEFIN.

QVando quid importatur per nomen, & vnde, & ad quid est impositum declaratur, fit definitio quid nominis: quando vero declaratur rei essentia per nomen illud significata, dicitur quid rei.

DECLARATIO.

VT Quidditas hominis nominaliter est ethymologia & impositio cum proposito ad significandum. Vt cum dico, homo est dictus ab humo, quia de humo factus est primus homo, & significat hoc animal, quod sum ego, & tamen. Quid rei verò est, si dicas, Homo est animal rationale.

Quibus conuenit Quid Nom. & quomodo.

QVid nominis conuenit Enti, & Non enti, & chimericis, & negationibus; & manifestatur per propria, per extranea, per communia, & per nutum, per digitum, vt quid nominis homo? potes respondere digito. *Ecce*, ostendendo hominem, Scythæ, hoc vocabulum ignoranti. Item est ille qui ambulat duobus pedibus. Est animal cum manibus non pilosis, &c. Chimera est figmentum Poëtæ ex capra, homine, & leone confictum. Sed hæc definitio est etiam quid rei, quatenus chimera est aliquid saltem in mente. Quid est cœcitas? est carentia visus. Quid rei est, quatenus est in rebus negatiuè saltem: Quid est nihilum? quod nullo pacto est, neque in mente neque extra mentem.

Quapropter Quidditas realis non solis entibus positiuis extra animam conuenit, vt Peripat. docent. Nam licet res non sint in natura, sunt vt concipiuntur per res existentes & sic declarantur. Quapropter in Metaph. probaui, quod datur Quid rei de omni intelligibili quo-

cunque

cunque modo, licet in natura non sit; & quid nominis est eius interpretatio. *Quidquid enim potest nominari, potest definiri. Nominatio enim est definitio imperfecta: Definitio verò nominatio perfecta.*

Quidditas Definitionis secundum Nomen & rem.

Art. II.

D*Icitur Definitio à definiendo, quia finit & limitat sua significatione rei definitæ naturam totam, ita vt nihil includat de extraneis, neque de suis essentialibus excludat.*

Idcircò etiam terminus vocatur. Differt autem à termino, sicut species à genere. Omnis enim terminus alicuius rei significationem claudit, sed vel communem, vel accidentalem, vel essentialem, vel propriã. Definitio verò non nisi essentialem; & ille indistinctè ista verò distinctè. Homo enim naturam humanam terminat, & excludit bouinam, & alias, sed non prorsus declarat quidditatem, sicut animal rationale beatificabile.

Videtur autem omnis terminus prius respicere, Vnde imponitur nomen, & postea Ad quod imponitur nomẽ. Definitio verò nonnisi ad quod. Vnde quid nominis per etimologiam, & interpretationẽ scimus. Vt quid est lapis? est res lædens pedem secundum etimologiam: sed secundum quid rei, est corpus frangibile ex fluore terrestri à calore vel frigore indurantibus compactum.

Sicuti vocabula, ita Definitiones fieri ex his, quæ sentimus, & transferri ad insensilia.

Art. III.

S*Icuti rerum naturas sensis cognoscimus; ita etiam nominamus.*

DECLARATIO.

VNde de his quæ à ſenſu non percipiuntur, non habemus nomina propria, quoniam ſcientia propria caremus, ſed cognoſcimus ea ab effectibus, vel ſenſilium ſimilitudine: & mutuamur ergo nomina ab his.

Dicitur enim Deus à Theos quaſi videns, vel Thein quaſi ferúens, & currens, ſicuti ignis & ſol. Angelus dicitur quaſi miſſus, quia à Deo mittitur, vt ſeruus à Rege. Anima vocatur ſpiritus, quia ſicut ſpirans ventus, impellit corpus; & Deus ſpiritus, quia ſimiliter, vt anima omnia mouet & eſt inuiſibilis. Hęc autem vocabula non dicunt ipſorum quidditatem, ſed effectus, & ſimilitudines. Sic dicitur intellectus, quia legit, hoc eſt colligit intus quæ nouit; ſicut manus colligit extra, quę colligenda decernimus.

Quapropter voces ipſæ indicant de rebus ſcientiam haberi exilem, & de inſenſibilibus ſimilitudinariam. Nam præterea res ſenſibiles aliqua ex parte patent, ſed magna ex parte latent. Vocabula autem damus ex eo, quod patet; ſi autem penitus paterent, non indigeremus adhuc definitionibus, ſed ipſa vocabula eſſent definitiones.

Vocabula eſſe Definitiones ſecundum naturam, non autem ſecundum nos.

ART. IV.

SVnt quidem vocabula multa, quæ definitiones ſunt vt Adaliquid. Hæc enim vox relatiui naturam explicat prorſus. Et hoc nomen Bombarda, à bombo, & ardore pulueris igniti expellentis pilam, propemodum Definitio eſt, & hoc nomen Ens ſignificat Deum, vt

Definitio. Cætera enim non ſunt entia, ſed aliquod Ens finitum. Sed natura humana non eſt apta per vocem vnam, rem vnam explicare, neque intelligere. Idcirco eget definitionibus. Apud Angelos verò vocabula ſi qua ſunt definitiones ſunt.

Definitionem eſſe epilogum conſiderabilium circa rem vnamquamque, & quòd eis per ſenſum colligitur.

ART. V.

COlligitur autem Definitio à ſenſu, ſicut & vocabula; admiſcetur autem diſcurſus per Accidens, vt patet in Metaph. Et quidem videtur mihi eſſe *Epilogus ſcientiæ acquiſitæ de re.* Vt autem res cognoſcatur, reſpicere debemus eſſentiam rei, & cauſas eſſentiæ actiuas, materiales, formales, ideales, ſi omnes, vel quaſcumque habet. Deinde affectiones materiales & formales, & mox actiuas, quæ ſunt virtus, operatio, Actio, & Paſſio; & tandem ſimilitudines, diſſimilitudines, & accidentia; ex quibus colligitur ſcientiæ epilogus, qui eſt Definitio.

Vt quid eſt ignis? *Eſt corpus calidiſſimum lucidiſſimum, tenuiſſimum, mobiliſſimum, facile omnia vincens corpora, & in ſuivertens naturam; factum à Deo, vt ſit elementum nobilius ſecundorum corporum, dum vult ſe ipſum multiplicare, per accidens habet vt ſecunda faciat entia.*

In hac Definitione ponitur *corpus*, vt eſſentia materialis; *tenuiſſimum*, vt materia ſignata, & propriè *calidiſſimum*, pro virtute actiua, *mobiliſſimum* pro operatione, *lucidiſſimum* pro colore; *facilè vincens* pro actione, & qualitate actionis, *factum à Deo* pro eius actiuo principio ponitur; quoniam cum ſit elementum non fit ab alio; Fit autem à calore ſe ipſum effundente & generante, quoniam forma eius eſt actiuiſſima à Dei potẽtia ema-

qans. Dicitur *vt sit elementum.* Hæc enim est causa finalis.

Dicitur *quod facit secunda entia per Accidens*, quoniam ignis ignem, non hominem, & lapidem facere intendit. Sed accidit illi facere hominem, dum à frigore retunditur, & à Dei ministris tanquam instrumentum dirigitur ad id, quod ipse ignorat, sicut malleus facit gladium per accidens principaliter.

Quapropter grande negotium est definire, oportet enim definientem rerum naturas prorsus agnouisse. Idcircò solius Metaph. est munus definire, sicut & nomina ritè ex rei natura imponere. Sed qui Prædicamenta fuerit edoctus nostra, vtique ad definitiones ineptus Logicè non erit.

Quomodo Definitio constat ex Similitudine, & Dissimilitudine, hoc est ex genere & differentia, essentialibus, & proximis; non accidentalibus, & remotis, nisi ex defectu.

Art. VI.

QVoniam verò omnis rei notitia comparatur inspiciendo similia & dissimilia. Tunc enim scio quid est homo, quando inspexi quibus rebus est similis, & quibus dissimilis: & rursus quomodo à similibus separetur, vt non sit idem cum illis.

Similitudines autem aliæ sunt essentiales, quæ vocantur genera, & species. *Aliæ accidentales*, vt proprium, & Accidens.

Sic etiam & dissimilitudines, *aliæ sunt essentiales*, vt diuersitas & differentiæ genericæ & specificæ & indiuiduales: & *aliæ accidentales*, quarum aliæ fluunt à quidditate generis & speciei, vel indiuidui. Aliæ ex-

trinſecus aduenitunt. *Definiens igitur eſſentiales reſpiciat, & non accidentales præſertim additiтias.* Vt ſi debeo definire hominem, inuenio illum eſſe ſimilem corporibus, & ſubſtantiis cæteris eſſentialiter, & circulum figuris, non autem hominem figuris, & coloribus, neque circulum ligno, niſi accidentaliter conuenire. Rurſus vbi ſimilitudines eſſentiales reperieris, quoniam ſunt aliæ propriæ, aliæ communes, ad proprias declinabis, vt cum definio hominem, non dicam homo eſt ſubſtantia, vel corpus; ſed Animal. Subſtantia enim & corpus à longè hominis naturam, & nimis confuse oſtendunt: Animal verò propè. Similiter cum definio circulum, non dico illum eſſe qualitatem, ſed figuram. Poſt hæc, quia homo per eſſe Animal, diſtinguitur à non animalibus, remanet adhuc confuſa eius quidditas inter animalia. Licet enim Animal dicat in quo eſt ſimilis equo, & boui, & Aquilæ, non autem in quo diſſimilis. Diſſimilitudo autem per Differentiam explicatur eſſentialem, vel accidentalem: ſed accidentalis non limitat eſſentiam. Neque enim quia eſt albus, aut quia Ciuis, homo differt à cæteris animalibus. Oportet ergo Differentiam eſſentialem ſumere, non quidem communem, vt eſſe bipedem, aut terreſtrem, aut habere manum. Nam hæc conueniunt gallinæ, & ſimiæ: ſed propriam. Propria autem ſumitur à cauſis eſſentialibus, & intrinſecè conſtituentibus, vt eſſe rationale.

Sed quia hæc differentia eſt nobis ignota, propterea, ſolemus ab effluentibus accidentibus, & proprietatibus illam manifeſtare. Vt ſi dicas, homo eſt animal riſibile, & Coruus animal volatile Crocitans. *Profectò gradus ille diſtinguens res à rebus difficillimè noſcitur. Sed per ea vnde noſcitur, ſignificatur. Neque enim vlla proprietas alicui ineſt rei, quæ non emanet à rei conſtitutiuis cauſis, & principiis, aut primalitatibus.*

Ex his ergò patet, qualiter omnis definitio conſtat ex genere, & Differentia, ex Similitudine & Diſſimilitudine eſſentialibus, non accidentalibus: propriis non

communibus, vel proprias declarantibus. Qui autem Prædicamenta nouit, facile ipsas inueniet.

Definientem debere causas rei definiendæ nosse, & apponere quascunque habet.

ART. VII.

AT quoniam omnis essentia per definitionem completè debet cognosci, non autem cognoscitur, nisi omnes causas apponamus essentiales. Est enim effectus causæ similitudo, & propter finem causæ intentum fit in tali & tali materia; sicut gladius est effectus artificis similis eius ideæ, factus propter pugnam, & ideò ex materia dura, quæ possit lædere, & figura acuta, & penetrante quorum oportet lædere, & obtusa, & apta teneri ex parte, in qua à bellatore tractanda est. Manifestum est autem in Metaph. quod sicut se habent artificialia ad artificem, ita naturalia ad Deum. Oportet ergò, si quis rectè naturalia definiat, nosse fines eorum & causas agentes, & materialis electionem. Opus enim naturæ plus intellectualitatis habet, quàm artificium. Propterea ergò definitiones Peripateticorum inualidæ sunt, quoniam non nisi formalem causam recipiunt, sicut mathematicæ. Nec considerant, quod mathematicus non totaliter definit, sed in arte sua, quando formas quantitatis solum considerat. Dicit enim, circulum esse figuram à cuius centro ad peripheriam omnes lineæ rectæ sunt æquales. Benè quidem, quoniam circulus idealis est, & non determinat sibi materiam. Fit enim in ligno, & lapide, & ferro. Gladius verò determinat sibi metallum, quia finis eius hanc requirit materiam; & homo carnes ossa, & figuram rectam, quoniam ad finem Dei faciendus erat. Mathematica verò non habet finem, proprium, sed alienum, vt propter quid oculus est circularis,

datur ratio, non autem propter ſe, ſed in alio ſemper propter aliud. Definitiones autem Theologicæ ſunt meliores, quoniam cauſam agentem ponunt, ex cuius intentione patet finalis, vt Anima eſt eſſentia Rationalis corporibus à Deo indita propter comparandam ſibi beatitudinem.

Quod cauſa actiua, & finalis non ponuntur in Definitione, vt extrinſecæ. Et quare ex formalibus fieri dumtaxat conſueuit.

Art. VIII.

SCiendum eſt autem, quòd quamuis cauſa actiua & finalis non ſint intrinſecæ rebus, non propterea extra eſſentiam ſunt. Eſſentia enim abſoluta per ſe vt Deus non eſſentiatur, niſi ſe ipſa; quæ autem ab alio eſt non habet propter ſe eſſentiam ex ſua materia & forma: ſed aliunde propter aliud. Ergo agens & finis ponuntur, vt indicantes eſſentiam, & rationem eius: ſi dicam, domus eſt ædificium factum, ab homine ædificante ex lignis, & cemento ad protegendum nos ab æſtu, & gelu & hoſtibus, profecto explico domus eſſentiam. Niſi enim ponatur finis, & agens, non quid ſit domus dico, niſi ſubintellectis illis. neque enim ædificium ex lignis & cemento, eſt domus. Nam poteſt fieri paries vnus ex his rebus compoſitis, & ſimiliter aceruus. Similiter cum dico *Eclipſis eſt luminis priuatio*, parum explico eius naturam. Poteſt enim à Deo extingui lux ſolis, quod non eſt eclipſis. Sed ſi dicas, *ab interpoſitione lunæ vel telluris*, melius intelligo, quid dicis. Si autem addas finem, vt ad *ſignificandum Dei conſilium, vel afficienda alijs modis inferiora*, vtique animus doctior fiet. Quapropter omnes cauſas, in quibus ſunt, addere ſapientis erit. Sed quoniam agens & finis occulti ſunt, ideò ſileri conſueuerunt. formalis

quantitatem habet, in qua fit. forma autem omnis est propter finem alium tam in arteficiatis, quàm naturalibus, manifestè vel occultè. Item omnis forma similitudo est agentis alicuius. Propterea consueuit per causam formalem, vt compendiosiorem fieri definitio; quæ tamen omnes subintellectas importat, quoniam ex forma totius, & non partis consideratur. Vide Cap. 6. Art. 9.

Error alius in definiendo.

Art. IX.

ARist. valde errat in eo quoque, quod per genera remotissima definit, vt *lux est actus diaphani. Motus est actus mobilis. Anima est actus corporis.* Esse enim actum est accidentis, & substantiæ genus. Propria verò genera non cognouit; & quidem vix generalissimis talis ratio competit. Item solum subiectũ declarat.

Varius modus definiendi: quia varius modus essendi.

Art. X.

PAtet etiam, quod quia *Definitio datur per id quod res est; & sicut se habet res ad esse ita & ad cognosci, & per consequens ad Definiri.*

DECLARATIO.

Manifestum est, quæ habent esse per se definiuntur per se. Quæ verò habent esse per aliud, in alio & ab alio, & ad aliud; similiter definiuntur per aliud. Et c. ergò *substantiæ per se definiuntur per propria genera & differentias. Relatiuum per suum correlatiuum. Pars per totum; accidens per subiectum.* Et quidem proprium, non commune. Hoc enim semper est obseruandum, & ideo quo-

quomodocumque res habent esse aliquod, definiri possunt. Vt, quid est elementum? est id, ex quo existente res fiunt aliæ. Non enim esse elementum est natura aliqua, sed accidens aduenicns naturis, ignis enim in quãtum ignis, est corpus tenue, calidumque: vt verò elementum est; est ex quo fiunt simul cum terra, res secundæ.

Similiter *cæcitas est priuatio visus in animali*, si enim non ponitur ly, *in animali*, tunc cum in lapide sit etiam carentia visus, non erit cæcitatis perfecta ratio distinguens ab omni carentia, non nati videre. Similiter dicimus *simitas est curuitas in naso.* Si enim non ponatur in naso, diceres & acutus, & tibiæ simitatem. Hinc est, quod Peripatetici non ineptè accidentia definiunt per suum subiectum, recte quidem, quando accidens definitur tanquam accidens, & ponitur subiectum proprium, & non commune: linea enim definitur, & non vt accidens, sed vt ens. Et nigredo aliquando dicitur esse color congregans visum, vbi definitur, vt ens actiuum. Similiter neque valet hæc, *Lux est actus Diaphani*: quoniam Diaphanum, etiam tenebris actuatur & ly actus à longè lucem signat. Neque *qualitas est à qua dicimur quales*: Nam & bruta, & cælum qualia dicuntur, & actio; & significatur solum denominatio. Neq; rectè diceres, *cæcitas est carentia visus in corpore*: *sed in animali.*

Ad aliud autem definiuntur omnia relatiua in ratione relatiui, vt substantia est ens substans aliis existentibus.

Pater est qui habet filium & filius qui habet patrem. Non permittitur autem circularis definitio, nisi in his quæ sunt simul intellectu & natura. Pater autem quatenus homo aliam habet definitionem. Lux autem est apparentia caloris, & nigredo frigoris; rectè dictum est; quoniam per suam causam agẽtem declarantur, sic Passio, & actio per agens & patiens definiuntur. Sæpè enim quæ verè relatiua non sunt voce, sunt re. Hinc est quod pars omnis definitur per suum totum; & per vsum

vt, manus est animalis prudentis instrumentum huiusmodi formæ ad tractanda corpora.

Corollarium.

Vnius rei vnica est Definitio absoluta, per se, & totalis: plures verò secundum respectus plures, & rationes non totales.

Quod etiam nonentium & compositorum per se, & per Accidens, sit Definitio, contra Arist. deducitur.

Art. XI.

Ex his patet quòd etiam nonentia possunt defi ni ri quoad quid rei, & quid nominis. habent enim sui notitiam in mente & apprehenduntur per esse, & per illud nominantur &, definiuntur. *Est ergò hircoceruus animal fictum ab intellectu ex hirco & ceruo.* Sicut enim habet esse per intellectum, ita per illum definitur. Similiter Nihilum, quo ad quid nominis est, *quod neque est hilum*, id est, fabæ nigrum. Secundum rem, *quod non est neque in mente, neque extra mentem.* Nam in mente est, quatenus entis dicit priuationem; & sicut concipitur, ita declaratur.

Similiter & composita definiri possunt. Nam comedia est res composita, & tamen dicimus, esse *poœma personis multis coaceruatum ad notandum fortunam perplexam hominum ad euentus lætos desinentem.* Oratio etiam definitur, & nomen, quę sunt entia mentalia

Item quæ per accidens vniuntur habent definitionem. *Est* enim *ædificator musicus, homo, in quo ars ædificandi, & musica simul conueniunt.* Item fodiens sepulchrum si inueniat thesaurum, quamuis vno nomine non possit exprimi; tamen ex rationibus nominum duorum de-

finitur. Definitio autem erit composita, & per accidens vna, sicut & fossor thesauri repertori *sicut enim se habent ad esse, ita ad definitionem*, vt probauimus in Metaphys. contra Arist. & si nominantur etiam definiuntur. Prætereà ipsi Peripatetici definiunt Analoga composita, vrinam sanam dicunt esse signum sanitatis in animali. Ergò, &c.

Singularia quoque definibilia contra Arist. dogma patet.

ART. XII.

TAndem & singularia definiri possunt. Namque habent aliud commune, quo aliis singularibus assimilantur; & liquid proprium, quo nullis assimilantur.

DECLARATIO ET DEFIN.

NEque Definitio hæc. Fit ex synonimis, vt Arist. garrit. Homo enim & heccheitas Petri synonima non sunt.

Nec fit ex solis communibus tantum. Nam omne indiuiduum habet aliquid proprium sibi essentiale, vt indiuiduum, non vt species.

Neque quia sunt corruptibilia non definiuntur, cum & ipsa corruptio definiatu. Vt enim alibi probatū est, scire est rem sicuti est noscere, corruptibile vt corruptibile, incorruptibile vt non corruptibile. Item sol & stellæ singulares non corrumpuntur, & definiuntur. Angelus verò incorruptibilis est, nec tamen definitur à nobis, quoniam ignotus.

Definitio ergò ex notitia nascitur, non ex corrumpi aut eternari.

Et cum dicit Arist. quod *proprietates indiuiduales omnes possunt aliis indiuiduis conuenire, etiam Solis, si alij soles fierent;*

imprudenter loquitur. Alij enim soles non haberent huius solis heccheitatem, neque poterit reperiri, qui Petri habeat heccheitatem, alioquin non numero, sed specie differrent singularia. Patet autem hoc experimēto, quoniam historici describunt vitam Cæsaris, & Petri & Alexandri, & ex illa conscriptione epilogata potest elici definitio eorum, quæ nihil alteri vnquam conuenire poterit. Nam si fiant à Deo alij Alexandri, qui quæcumque fecit Alexander faciant, & patiantur, non tamen erunt ille Alexander, illius temporis, loci, & actionis, & passionis, sed similium. Quod & Boëtius in lib. de Trinit. docuit. Licet autem non sit de essentia hominis esse Macedonem Philippi filium, & talia egisse, & passum esse in talibus locis, est tamen de essentia Alexandri hominis huius: sicut nec de essentia animalis est esse pennatum, sed huius.

Corollarium.

Non ergò omnis Definitio constat ex genere & differentia, nisi speciei; sed ex communi & proprio, vt infra patebit. Indiuiduo est species loco generis, suæ singularitates loco differentiæ, &c. Ineptè Arist. putat solas species definiri posse, non autem genera, & indiuidua, & composita, & non entia: & contra proprium iudicium platonizat.

De ordine partium Definitionis.

Art. XIII.

In Definitione prius ponitur Genus, quàm Differentia: quoniam notius est nobis similitudo cum aliis; quam particularitas, & dissimilitudo. Similitudo in multis est, & pluries obiicitur sensui. Dissimilitudo in vno, & paucissimis vicibus offertur.

Inter Differentias autem communior semper præcedere debet, nam quando proprij generis caremus nomine, sumimus genus superius, & tot addimus differentias quot claudunt totam essentiam, & nullam portionem eius excludunt. Si enim dico, *Homo est animal terrestre*, includo leonem. Si dico *bipes* excludo leonem, & includo gallinam: si dico *bipes, & implumis*, excludo omnia alia. Sed quia hæ differentiæ sunt negatiuæ, & communes, faciunt descriptionem, vt patebit. Si verò dicam, *Homo est animal implume, bipes, terrestre.* Fit confusio: quoniam ignotius præponitur notiori, & & notificans fit notificatum.

Item quòd est commune magis, videtur quasi materia esse, at minus commune quasi forma, quoniam determinat hoc illud ad quoddam esse: præcedit autem indeterminatum in natura.

De conuertibilitate, & æqualitate Definitionis, & Definiti.

Art. XIV.

N*On excedit Definitio definitum, neque Definitum Definitionem, & prædicantur ad inuicem conuertibiliter.*

Et de quibus prædicatur vnum prædicatur & alterum, vt definitio generis prædicatur de speciebus, vti genus; speciei verò de indiuiduis. Indiuidui autem de ipso vno solo, alioquin vita Cæsaris in Plutarcho conuenire posset multis, quod impossibile est.

Dubitatio super conuertibilitate, & solutio.

Art. XV.

LIcet ergò in definitione Ignis, posuerimus multa, quæ excedunt eius essentiam, *vt esse elementum, & per*

Accidens secunda entia constituere, non tamen omnes partes Definitionis simul sumptæ excedunt definitum. Et quāuis extrà essentiam aliquæ ponantur, tamen ad ipsam essentiam manifestandam ponitur. Nulla enim essentia est propter se, & per se cognoscibilis, excepta Diuina, nec tamen à nobis: manifestare autem per nomen vnum ea, quæ nouimus, non est hominis, sed Angeli fortassè. Poni quoque contingit in Definitione id, quod non congruit omnibus Definiti partibus. Non enim rationale conuenit furioso, neque esse tenuissimum igni in Carbone, & in ferro. Sed nos loquimur secundum essentiam, non secundum existentiam. Accidit enim homini rationem impediri, & igni tenuitatem, quia ita existunt cum accidentibus & materia aliena; sed secundum essentiam Definitio datur.

De Definitione simplicium & compositorum & generalissimorum, & Dei, consideratio.

Art. XVI.

Quorum esse, est vnum simplex, Definitio est vna & simplex: Vt si sciremus Dei & Angeli naturas.

Contingit autem plures voces poni in Definitione: quoniam nulla prorsus exprimit totam rei naturam. Sed secundum rem vnum significatum integrant.

Quorum entitas est composita, definitio est composita, si composita, est per se entitas, vt animal ex corpore & anima. Similiter & definitio: si per accidens, per accidens. Alioquin propterea scientia non esset propria sui scibilis, sed error.

CORRECTIO.

ARristoteles ergò errat in eo quod putat solam speciem, & compositorum modò, definiri, quia sola

ipſa ex genere & differentia conſtat, & ex materia & forma.

Non enim Genus definit in quantum genus, aut materia, ſed in quantum ſimilitudo, & communitas: indicans omnia conſimilia: nec differentia in quantum differentia, ſed in quantum Diſſimilitudo, indicans in quo diſtinguuntur ſimilia confuſa ſub communi genereitate: quapropter & generaliſſima definiuntur: quoniam Ens dicitur de illis, & conueniunt in hac ſimilitudine, & habent iterum inter ſe diſſimilitudinem loco differentiæ. Et licet Analogum ſit Ens, tamen & analoga definiuntur, non autem æquiuoca, & Metaphorica, niſi prius diſtinguantur.

Deus autem quoniam omnium rerum præhabet ſimilitudines, & ab ipſo deriuantur omnes, caret Definitione. Non autem ſuſcipit differentiam niſi negatiuam. Nulla enim entitas illi deeſt, ſed imperfectio, & non entitatis admiſtio: Quapropter caret differentia limitatiua, alioquin eſſet finitus. Sed reſpectu noſtri logicè habet differentiam, quia infinitum eſt eius differentia, & à ſe. Sed eſſe infinitum, & à ſe excludit non eſſe, non autem eſſe. De his in Metaphyſ. Genus autem non habet Deus quoniam non eſt in determinato finitoque modo entis, quod dicimus genus: cũ ſit omnis entitatis ens infinitum. Non ergò eſt ſubſtantia cum nulli ſubſtet: ait Aug. Neque accidens cum nulli accidat. Ergo ſub nullo genere. Non ergo per Genus definitur ſuperius, ſed per ſe, & à ſe ipſo. A nobis autem definiri non poteſt, quoniam definire eſt claudere ſignificatum rei; nos autem quomodo claudemus immenſum? quidquid dicitur de illo parum eſt, etiam ſi dicimus, Deus eſt ens infinitum: Hæc enim vocabula quamuis optima, cum ſint à nobis, minus dicunt, ait Dion. quàm quod ipſe eſt. Quod autem dicit ipſe de ſe ſibi; eſt adæquata eius Ratio, & verbum mentale: ad quod non attingimus nos, ſed balbutimus ex noſtris puerorum more, ait Origenes.

COROLLARIVM.

Definiuntur Generalißima per transcendens, & per suas diuersitates. Transcendens per se, & per negationes. Species per genus & differentias. Indiuiduum per speciem, & suas singularitates proprias. Deus notificatur per Ens, & negationes imperfectionis, & nihilitatis, & affirmationem omnium nobilissimarum entitatum, cum superexcessu.

Definitionem non admittere æquiuoca vocabula, neque metaphorica, neque negationem. Et quo pacto definiuntur analoga.

Art. XVII.

Præceptum. I.

In Definitionibus autem æquiuoca vox non intrat, nisi vniuocetur, neque metaphorica, neque impropria, quoniam per essentialia dantur. Hæc autem sunt extra essentiam.

Præceptum II.

At analoga vox intrare potest, quoniam analogum definitur, illa nimirum, quæ similitudinem dicit in qua conueniunt. Est autem duplex Analogia: altera attributionis, quando nimirum aliqua Definitio competit alicui rei essentialiter & primò; aliis verò quatenus participant illam: vel per attributionem ad illam; sicut si definiatur animal sanum, & vrina sana, & dieta sana & medicina sana, & cibus, vt sanus. Palam enim est, quòd animal per se dicitur sanum. & sanum est constitutio temperiei animalis secundum sui naturam, & robur; sed vrina non est sana, quia est constitutio rectæ temperiei animalis: & cibus sanus quia causa rectæ temperiei animalis.&c. vbi ponitur semper sanitas animalis

malis in cibo, & vrina quæ secundum se non dicerentur sana, nisi per hanc attributionem. Sic substantia est Ens. Accidens verò est Ens entis, id est, substantiæ affectio inhærens.

Alia est Analogia proportionalitatis, & in his non semper nominatur Commune proportionalibus, sed alterum per alterum contingit definiri, vt quid est ventus? est fluctus in aëre & quid fluctus. Est ventus in mari; &, Ala est remus auis, & remus est ala nauigij. Et penuula piscis est remus. Innominatum est horum analogans Genus. Sed sit illud *Remigium*, vt Virgilius loquitur, per remigium definietur ala, & pennula & remus, nisi intercidat nugatio. Rectius quidem Iris echo, & imago in speculo per refractionem definiuntur. Deus autem analogicè noscitur, per analogos terminos declaratur.

Præcptum III.

H*Oc enim obseruandum est in definitionibus, ne idem bis ponatur, quoniam non notificat.*

Sicuti neque si quis definiet aliquid per se ipsum, vt homo est homo: nam licet Definitio sit idem re & ratione cum definito, tamen non fit nisi ad notificandum definitum. Oportet ergò clariorem esse illo.

Præceptum IV.

N*Ec ponitur terminus negatiuus in Definitione*: non enim dicit quid res est, sed quid non est. Quare non dices; homo est animal non irrationale, nec quatrupes nec alatus; ponitur tamen negatiuus vbi affirmationem notat qua caremus. Sicut dicitur Deus immortalis, id est, æternus, & quando caremus affimatiuis.

De Descriptione.

Art. XVIII.

D*Escriptio est oratio indicans essentiam rei per proprietates & effectus & similitudines.*

DECLARATIO.

NAm & Genus capit quatenus dicit similitudinem. Quorum ergò essentia sensibus nostris non offertur, at esse scitur per effectus, vel per res consimiles, horum Definitio esse non potest. Quapropter non modò caret Deus apud nos definitione, quia est immensus, sed quia ignotus secundùm quidditatem. Quando ergò dicimus *Deus est creator gubernator omnium rerum*, Definitio non est. Non enim Dei quidditas est creare, & gubernare, sicuti neque si dicas homo est ædificator, & gubernator ciuitatum. Similiter quando dicimus, *Homo est animal rectæ staturæ manus habens duas, & pedes duos, loquens, & ridens*, non definimus sed describimus.

Propositio I.

D*Escriptio quæ fit per accidentia communia non valet*, sed per propria est facienda, vel tot, quot descriptum claudant, & non excedant nec excedantur simul sumptæ.

DECLARATIO.

QVapropter non rectè dicas, homo est animal album. Albedo enim etiam non animalibus competit. Et quidem nullum vitium maius, quàm cum differentia, vel proprietas loco differentiæ posita, excedit genus. Sicut cum Arist. ait, *locus est superficies immobilis per se*, secundum Auerroëm. Nam esse immobile per se, non modò superficiei, sed omni acci-

denti ineſt, & formæ ſubſtantiali. cum ergò Ariſt. dicit, *Animam eſſe Actum corporis organici; lucem Diaphani;* &, *Motum mobilis*; Deſcriptiones ſunt, & per extranea, & non Definitiones, vt ipſe putat. Non enim dicunt quid res ſunt ſecundum eſſe ſuum, ſed ſecundum eſſe in alio, & per ſubiectum commune. Lux enim eſt caloris facies in ſe, & ideo actuat Diaphanum, quia à calore hoc purgatum eſt. Sed etiam tenebræ recipiuntur in Diaphano. Similiter motus non eſt actus mobilis, niſi relatiuè ſumptus. Sed ſecundum ſe, eſt entitatis effuſio Anima etiam ſecundum ſe eſt ſubſtantia; vt autem animat eſt actus, vel rector corporis. Melius autem definit Plato, quia eſt *Numerus ſe ipſum mouens.* Sed quia eſt per genus extraneum, videtur reiicienda. Sed quid valeat in Metaphyſ. diximus. *Licet autem in deſcriptionibus genera remotiora ſumere ſi tamen proprietates addas, quæ ipſa coarctent ad notificandum propè.*

Propoſitio II.

L*Icet & ſimilitudinibus analogis vti*, vt cum quis dixit, *Deum eſſe ſpheram intellectualem, cuius centrum eſt vbique, peripheria verò nuſquam.* Nam licet ſphera ſit in minus quàm Deus: res autem nulla niſi per amplius deſcribitur, tanquam per Genus: tamen dicendo, *intellectualem*, extenditur ſphera ad tranſcendentale eſſe: *quæ verò ſequuntur* apprimè eius eſſentiam deſcribunt.

Sed cum dicitur *Deus eſt Ens infinitum*: Profectò ſi ad quod imponuntur iſta vocabula reſpicias, definitio eſt reſpectu noſtri, ſed ſecundum ſe non eſt. Quidquid enim loquimur, accipimus à noſtris entitatibus, & eſt minus Deo, teſte Dionyſio. Sed ſi dicas, *Deus eſt Ens*; melius & proprius dicis; ſed minus declaras; Ens enim ſi non addatur differentia, ſimpliciter eſt infinitum. Sic & homo eſt infinitus in ſpecie hominis, quoniam non hunc, vel illum, ſed infinitos ſi-

gnificat. At non nisi secundum quid, simpliciter autem Ens infinitum dicit. Idcircò rectissimè Deus est, Qui Est. Sed quoniam simplicissimus est, neque dicitur rectè, *est Ens*; quomodo enim copulatur, quod est prorsus vnum? sed *Deus Ens.* At deme alteram vocem, & dic, *Ens.* Et apud Metaph. Deum intelliges, sed ratione nostri oportet copulas addere definitionibus, & voces plures notionaliter coniunctas, non realiter vt res plures. Angeli verò per simplicia signa exprimunt simplicia, & sine copulis: composita verò per composita, si rectè existimo.

Propositio III.

D*Escriptio ignotis, & non entibus, & singularibus potius conuenit quàm Definitio.* Licet omne Nominabile sit defini bile, & descriptibile; alias nec nominabile esset.

Propositio IV.

C*Ommune est vtrique non fieri ex vocibus negatiuis*, cum enim indicent esse rei per essentialia, vel proprietates, valde absunt à proprio munere, si quid non est res, dicant. Nihil enim valet dicere. Homo est non lapis, neque bos, neque linea: Vel, est animal non quatrupes, nec pennatum, nec natans. Sed cogimur aliquando differentiis negatiuis vti. Et hoc in descriptionibus potius, ad designandas affirmatiuas, quorum caremus vocabulis; vt *Deus est Ens infinitum, & immortale. Infinitum* enim non dicit non esse, sed esse absque vlla nonentitate. Et *Immortale* non dicit non esse, sed carentiam mortis, & Nonentitatis; & ponitur pro æterno. Dixit autem Plato *hominem esse animal bipes implume*, vt distingueret illum à gallina, quoniam differentiam positiuam ignorauit. At argutè Diogenes gallinam deplumatam inter Platonis Auditores proiiciens, irridendo, ait, *Ecce hominem Platonis.*

Finis libri primi.

THOMÆ CAMPANELLÆ DIALECTICÆ.

LIBER SECVNDVS.

Dicendum esse de Oratione, suisque partibus, mundi partibus correspondentibus.

PROOEMIVM.

POSTQVAM intellectum rerum naturas suis notis insignientem, & ad certas cathegorias notionum reducentem iuxta eorum similitudines, & iuxtà dissimilitudines diuidentem atque ex eis promptius amplioribus notis, quæ definitiones sunt, ostendentem, correxit sapiens: nunc eundem res notas copulantem, & dirimentem prout in natura cõspiciuntur, quod per orationes facit, regat, est opus. Oratio ergò tot partes habet, quot & rerum vniuersitas.

In Vniuersitate autem primum sunt rerum essentiæ, hoc est substantia, quantitas. Figura, virtus, Actus

Actio, Passio, similitudo, Dissimilitudo, Accidens; & & hæc omnia, quatenus essentiæ sunt per nomen significantur: Nam & Actio, & Passio vt essentiæ etiam per nomina significantur.

Sunt etiam ab essentiis Actus & Actiones, & Passiones, quæ vt sic significantur per operari, & agere & pati. Et hæc per verbum exprimunt: quod merito est pars 2. orationis.

Extat etiam horum connexio, quæ participio notatur.

Iterum singularitates & personæ essentiarum, ductarum ad existentiam, & multiplicatæ & particularisatæ; quæ pronominibus demonstratiuis, ipsorumque pertinentiæ, quæ eisdem possessiuis demonstrantur.

Item actuum modificationes in essendo, in quanto, quali, tempore, loco societate, dissocietate, necessitate, & contingentia, & possibilitate, & impossibilitate, industria, & sorte, reperiuntur, quæ aduerbiis semper verbo adhærentibus connotantur.

Sunt etiam essentiarum respectus inter se, societates, circunstantiæ oppositiones, occultationes, propalationes, adhærentiæ, causationes, locationes, quæ per præpositiones, idcircò nominibus innixas, commonstrantur.

Coniunctiones addentur, his vtrique seruientes; quę & societatem, & disiunctionem, & comparationem, & illationem aliorum ex aliis manifestant.

Interiectiones tandem passiones animorum potius nutu & spiritu, quam terminis explicant. Quapropter videntur duæ esse principales orationis partes NOMEN, ET VERBVM. Cæteræ enim sunt horum participationes, & determinationes. Oratio verò est complexio istorum omnium, sicut Mundus, quem & oratione imperatiua Deus fecisse in sacris literis reuelatur.

DE NOMINE

CAP. I. ART. I.

DEFINITIO.

NOmen est terminus per se significans essentiam purè rerum, vt homo, & animal.

DECLARATIO.

POnitur in hac Definitione *Terminus*, loco generis. Dicitur *per se significatiuus* ad differentiam syncategorematum pronominum, aduerbiouum, & præpositionum,& coniunctionum quæ per se non significant, vt in Gram. cap. 4. & in logicæ lib. 1. cap. 1. dictum est.

Non rectè Grāmatici ly omnis, & nullus, & alius & c. huiusmodi, inter nomina ponunt: Cum sint pronomina, & sincategoremata, nullamque per se essentiam significent, nisi adiuncta nominibus personatam.

Dicimus, *essentiam*, ad differentiam verbi, quod per se significat, sed non essentiam, sed Actionem & Passionem, & Actus essentiæ.

Et dicitur *purè* ad differentiam Participij: quod significat essentiam cum Actu.

Et quia essentia sine tempore est in quantum essentia, ideò nomen sine tempore significat, id est sine præsenti præterito & futuro; sed tamen significat tempus quatenus tempus est aliqua essentia, vt dies, Annus, sol, hora, & similiter significat actionem, & passionem, vt sunt aliquæ essentiæ. Verbum verò vt sunt actus fluentes temporaliter ab essentiis.

Dicitur *quarumcumque rerum, id est, siue mentalium*, siue naturalium, siue fictarum: quidquid enim nominatur,

habet aliquo pacto essentiam, siue fictam, siue veram siue entem, siue nonentem, nam & Nihili essentia in Metaph. declaratur.

CORRECTIO.

1. Perhierm Cap. 1.

ARist. sic definit. *Nomen est vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars significat separata, finita, & recta.*

Sed perperam. Nam si rectè posuerit pro genere. *Vox significatiua ad placitum*: Haud tamen posuit differentiam essentialem, quæ fert quid significat. Nos quidem diximus *Essentias*: Donatus, *substantiam vel qualitatem propriam vel communem cum casu.* Beda, *corpus vel rem*: putans se dicere consimiliter. Sed Arist non dixit, quid significat vnde deterius quàm cæteri omnes videtur definisse. Etsi enim verum sit, quod nomen non modo significat substantiam, vel qualitatem sed etiam qualitatem, relationem, & Actum, &c. Quæ omnia sub essentiæ vocabulo nobis continentur, quod alij nõ considerauerunt: nam ly verbum; ly actio, ly passio nomina sunt, essentiam verbi & actus, &c. notantia, & omnis res, quà est, notatur nomine. Tamen quid significet solus Arist. omisit imperitissimè. Sed adducit differentias alias negatiuas accidentales, neque exprimentes quid sit nomen. Nam sine tempore significat omnis pars orationis. Et ipsum verbum substantiale *est*. At cum tempore solum signant actiua & passiua: non autem essentialia, nec existentialia nec actuatiua. Imò nulla, quando est indicatius modus. Alij enim modi non sunt verba Arist. Prætereà nomen est ly dies, ly mensis, annus, &c. ergò nomen signat tempus vt ens est: & sic actionem & passionem. Similiter signant aliquando cum tempore, vt prandium & Cænæ dicunt actum & tempus, seu cum tempore: Propterea differentia ista videtur ridicula & extranea; sic posset dicere *sine loco, sine tuba* eadem nugacitate. Superfluò etiam

etiam addit, *Cuius pars. n. s. s.* ad differentiam orationis: hoc enim conuenit omnibus partibus orationis: vnde præposterè distinguit prius à verbo, quæ est pars, quam ab orat. quæ est totum. Imò partes nominis multæ, significant separatæ vt signifer, & nihilum & vt prius, excepta coniunctione; quod etiam in oratione contingit. Quæ proprie non est vox terminusue, sed terminorum complexio ordinata. Item Interiectio est oratio cuius partes non significant separatim. Hæc tamen omnia non declarant nomen, nec distingunt, & sunt extra quidditatem. Et quod addit, *finita*, tam in nominis, quam in verbi definitione, ad docendum, quod non sunt nomina nec verba, ly non homo, & Nonamo, quoniam, ait, indeterminatè dicuntur de entibus & de non entibus; vanum est: ista enim indeterminatio non facit ne sint nomen. Nam & æquiuoca sic non sunt nomina, neque ly nihilum: & tamen enunciamus, *cælum est non homo.* Sit ergo vitiosum vocabulum, at non non vocabulum. Et quod addit *Recta ad* excludendum casus obliquos, etiam inutile est ad quidditatem. Et sæpè obliquus recto æquiualet, vt me tedet ocij. Et ego habeo rationalitatem, i. sum rationalis. Quod autem addunt Grammatici propriam vel com. cum casu; inutile est & ad notitiam & ad distinctionem, vt in Gram. Cap. 4. probatum est. Ergò Arist. & alij quia veras differẽtias ignorarunt, vagati sunt per inanes.

DE VERBO.

ART. II.

DEFINITIO.

Verbum est terminus per se significans actum rerum, vt Amo, Calefio, Quiesco, sum.

Et ideò orationis copula.

DECLARATIO.

Omnes particulæ ponuntur in hac definitione sicut & in nominis definitione dictum est. Sed

ponitur, *significans actum rerum*, ad differentiam nominis. Et aliarum partium.

Est autem alius actus essendi, vt hominem esse Animal. Alius existendi, vt Petrum esse, & Paulum Romæ morari. Alius operationis, vt terra quiescit, & cælum & Angelus sese mouet. Alius actionis, vt calefacit ignis. Alius passionis, vt calefit manus. Et significatio horum est per modum fluxus, & temporis. Idcirco ex hoc quod actũ significat, cũ tempore etiam significare dicitur, non tamen semper, licet aliquando actus sumatur pro ipsa rei forma essentiali, vel accidentali, tamen ab Actu operationis ad formam translatũ est hoc nomen, Aristotelis quoque testimonio. In oratione verbũ copulat prædicatũ cum subiecto. Sed hoc non est de quidditate verbi, vt verbũ: sic enim eius est actum dicere: sed vt pars est orationis.

CORRECTIO.

ET quia non semper Verbum significat actum cum tempore, imperitè Peripatetici ponunt hoc in definitione Verbi. Imò ipsi abstrahunt ab existentia temporali propositiones logicas: Ergò & verbum. Vt cum dico, *homo est animal*, ly *est*, non significat existentiam. nam hæc esset falsa in hyeme, *Rosa est flos*, & tamen secundum essentiam est vera. Ergò verbum Logicum significat sine tempore per se: At per accidens & aliquãdo & solum verba actiua & passiua significant cum tempore. Nec tempus enim de essentia actus cum sint diuersorum prædicamentorum.

Addunt Peripatetici ad definitionem verbi, & nominis *Rectus*. Nam nomen obliquum, vt Petri, & Petro non ponitur in oratione sicut subiectum aut Prædicatum, aut copula, sed sicut determinatio, & syncathegorema non per se significans, vt Petrus currit ad domum, ly ad domum, non est pars orationis principalis: sed determinatio Prædicati: quoniam si nomen est

terminus per se significatiuus in oratione, necessario est rectus; obliquus enim significat vt à recto dependet. Sic etiam in definitione verbi non enim hæc oratio est vera, *Cæsar fuit in mundo* & *Antichristus erit*, nisi quia reducitur ad tempus indicatiuum rectum. Vt aliquando verum fuit dicere, Cæsar *est*. Et aliquando verum erit dicere, *Antichristus est*: Nam præsens existentia verificat rem esse. Et quia presens abstrahit à tempore, cum sit nunc indiuisibile; Peripatetici secum pugnant, cum dicunt verbum significare cum tempore apud logicum; id quod solum vixque apud Gramaticum verum est. Item neque verbum reputatur apud logicum secundum Peripateticos nisi substantiuum, quod dicit rem esse. Nam *Petrus currit*, non est oratio, nisi quia resoluitur in substantiuum & participium, *Petrus est currens*. Ergò logica eorum abstrahit à tempore: apud nos verò verbum substantiuum maximè recipitur, quoniam actum dicit essendi, & existendi, ex his oritur operatio, Actio & Passio, vt patuit in Metaphys.

Propterea Stoïci Grammatici cum Donato fallūtur, cum dicunt, *Verbum esse dictionem significantem actionem vel passionem*. Nam verbum, *est*, & *indigeo*, & *abundo*, & *maneo*, & multa verba neutra, non dicunt actionem, nequepassionem; sed Indigeo, potentiam patiendi; Abundo, agendi, Maneo actum existendi: Intelligo, operationem: sed de his alibi.

Sed quidem omne nomen, & omne verbum rectum & obliquum sunt partes orationis, sed non propositionis, quæ est oratio Logica, vt patebit.

Arist. etiam omisit essentialē differētiam verbi: quæ est significare actum; & accidentales inaniter aggregauit, vt patet in periermenia. Similiter extrauagantur qui addunt *cum modis formis temporibus*: sicut qui Homini, proprium vel com. cum casu.

DE PARTICIPIO.

Art. III.

DEFINITIO.

PArticipium est terminus per se significans essentiam simul cum Actu. vt Currens, id est, Ens in cursu, vel qui currit.

DECLARATIO.

POnuntur in hac Definitione omnia sicut in verbi & nominis definitione.

Additur essentiam cum actu ad differentiam nominis, qui solum essentiam, & verbi quod solum Actum: quorũ particeps in significãdo: est & in Grãmatica habet tẽpora vt verbum; & Casus vt nomen ideò dicitur Participium. Præsens & præteritum & futurum: passiuè, actiuè actuatiuè &c. & est quasi oratio implicita.

DE PRONOMINE.

Art. IV.

DEFINITIO.

PRonomen est terminus syncategorematicus consignificans essentiam deductam ad existentiam & personatam.

DECLARATIO.

POnitur *syncategorematicus* ad differentiam Nominis & verbi, qui sunt termini Categorematici, id est, per se significatiui.

Dicitur *essentiam personatam* ad differentiam aduerbij, præpositionis & coniunctionis, quæ respectus, & circunstantias, & colligationes rerum, & actuum notant non essentias: dicitur *personatā*. i. vestitam accidentibus, & indiuidualitatibus. Omnis enim res vt essentia est, non est hic & nunc, nec multiplex, nec indiuidua, nec alba, nec patitur, &c. Sed vt existit cum aliis.

DISTINCTIO.

ET ideò datur Pronomen demonstratiuum, vt hic & ego; & Possessiuum vt Meus. Aliud Gentilitium vt Nostras, & Priamides. Non enim Hector est Priami filius, nisi personatus existens. Aliud relatiuum substantiæ, vel accidentis eiusdem, vel diuersi, vt qui, qualis, quantus, idem, alius.

Pronominum aliud Vniuersale, vt omnis, personas omnes dicens: Aliud particulare vt aliquis: Aliud singulare, vt hic. Vide Grammaticam.

De Aduerbio.

ART. V.

DEFINITIO.

A*Duerbium est terminus syncategorematicus consignificans determinationem Actus: Proptereáque nititur verbo significanti Actum.*

DECLARATIO.

POnitur *terminus syncategorematicus*, vt in ratione Pronominis.

Dicitur *significans determinationem Actus*, ad differentiam præpositionis, quæ essentiæ circunstantiam & respectum dicit.

Et coniunctionis; quæ nexum & societatem siue rerum, siue Actuum..

Determinat aduerbium ipsos Actus vel circa qualitatem, vel quantitatem, vel tempus, vel locum, vel vices vel numeros, vel contingentia, &c. & propterea dantur tot specierum aduerbia. Vide Grammaticam, exempla loqueris doctè: multum, hodie: illic &c. propterea *Aduerbium verbo adhæret cuius actum qualificat, aut, &c.*

De Præpositione seu Adnomine.

Art. VI.

DEFINITIO.

P*Ræpositio est terminus syncategorematicus, consignificans respectum, aut circunstantiam essentię.*

Ideóque nomini, significati essentiam, adhæret.

DECLARATIO.

OMnia ex dictis patent. Dicitur *circunstantiam aut respectum*: quoniam siue qualitatem cuiusque causæ, vt per, & ab, & propè; siue aliud essentiæ accidens, per præpositionem declaratur, & ideò debet dici *adnomen*, quoniam nomini essentiam significanti adhæret, sicut aduerbium, quia verbo. vide Grammaticam.

De Coniunctione.

Art. VII.

DEFINITIO.

C*Oniunctio est terminus syncategorematius consignificans connexionem essentiarum, vel actuum, vel vtrorumque simul.*

DECLARATIO.

DIcitur *terminus syncategorematicus* vt suprà.

Dicitur *coniunctionem essentiarum*, vt Homo, & Asinus est animal.

Vel actuum: vt Petrus, currit, & sanátur.

Vel vtrorúmque: vt Paulus currit & Petrus sedet.

Datur coniunctio comparatiua, vt sicuti; conditionalis, vt si; localis, vt vbi: temporalis vt quando. Aduersatiua vt sed; illatiua vt ergò. Causalis, vt quia. Subiunctiua, vt cum; de quibus cum de oratione composita redibit sermo.

De Oratione.

CAP. II. ART. I.

DEFINITIO.

ORatio autem est terminorum complexio, ordinata ad per se significandum rerum copulationem, & disiunctionem.

Vt homo est animal, significat copulationem essentialem animalis cum homine; & *homo est*, significat copulationem essentiæ humanæ cum sua existentia. *Homo non est asinus* significat disiunctionem hominis ab asino.

DECLARATIO.

POnitur *Complexio* loco generis.

Ponitur *terminorum* ad differentiam complexionis rerum.

Dicitur *ordinata* si enim multi termini copulantur simul absque ordine ad significandum, non sunt oratio. *Vt currens, per, valet, homines.*

Oratio indicatiua copulat notiones rerum, optatiua animi affectiones pandit; & notificat copulam desideriorum cum obiecto, desiderabili; & Imperatiua potestatis cum

possibili; & separationem non ab obiectis, sed quatenus ex eis fiunt notiones, alioquin solis interiectionibus, & actibus exprimuntur.

Fit autem complexio ex septem orationis partibus grãmaticalibus: Sed verbum, est, quo principaliter nomina, & quæ loco nominum apponuntur, complectitur.

Dicitur *per se significans copulationem*, nam paticipium significat, sed non per se, nisi quatenus est oratio vt ly *legens*, significat eum qui legit, participium quoque actum cum re copulat; oratio verò actum cum re, & rem cum re, & actum aliquando cum actu, vt currere est moueri. Sed vocata coniunctio Grammaticis non est oratio, sed particula eius: ergo non complexio, &c.

Dicitur & *Disiunctionem*, quoniam oratione negatiua intellectualis complexio est significans rerum separationem essentialem, vel existentialem. Vel, &c. *Correctio.* Imperfectissimè Arist. in perier. dicit, *Oratio est vox, cuius partes signant separata.* Non enim dicit genus proprium nec differentiam veram essentialem, sed Grãmaticalem, quæ & communis est suis partibus aliquando.

Diuisio Orationis.

ART. II.

ORationum alia perfecta, alia imperfecta, alia confusa.

DEFINITIONES.

PErfecta oratio est, quæ perfectum sensum generat in animo auditoris, ita vt quiescat sciens, quod dicitur, sicuti, homo est animal. Petrus in bello præualet contra hostes.

Imperfecta verò imperfectum generat sensum, & suspendit animum auditoris; vt homo animal, & Petrus contra hostem. His enim prolatis adhuc hæret animus, num velis dicere, homo est animal, vel homo animal sentit, & num

& num Petrus pugnet, aut succumbat pugnans contra hostes.

Diuisio Orationis perfectæ & imperfectæ.

ART. III.

ORationis perfectæ tres sunt species, simplices, seu facultates, *alia, scilicet Imperatiua; alia indicatiua alia optatiua*; quæ ex tribus manant Principiis. sc. *Potestatiuo, Cognoscitiuo, & Volitiuo.* Imperatiuum habet præsens & futurum; sed non præteritum, quia præterita non possunt imperari. Optatiuum, & Indicatiuum habent præsens præteritum, & futurum, quoniam desiderium & cognitio extenduntur per omnia tempora.

Eadem oratio quando est maioris, quatenus Maior, ad minorem, est imperatiua. Quando Minoris, quo minor, ad maiorem, est deprecatiua. Quando æqualis quatenus æqualis ad æqualem est consultiua, hortatiua.

Subiunctiua & Infinitiua etiam in Grammatica vtimur quæ non sunt simplices, sed coniungunt duas, siue determinatè: sicuti, volo vt tu studeas. Siue indeterminatè ad personas & numeros; volo te studere & Petrum, & homines studere.

Imperfectæ Orationis species sunt quatuor, vel enim fit ex duabus vocibus sine verbo, vt *Petrus albus.*

Vel ex infinitiuo sine principali verbo & modo, *vt Petrum currere.*

Vel ex verbo famulanti cum nomine absque infinitiuo, vt *Petrus solet*, incipiet, vel potest.

Vel ex vna coniunctim absque coniungibilitate, vt *si erues me.* Omnes hæ perficiuntur. Si dicas, *Petrus est albus. Petrum currere, vidi.* Et *Petrus solet legere. Si erues me, honorabo te.*

Et hæc omnia quando intelliguntur faciunt perfectam orationem, vt in responsionibus conuenit. Si enim quis dixerat; quis faceret hoc? tu dicendo, Petrus albus: per-

fecte loqueris; quoniam intelligitur facit.

Et quid? Resp. Petrum currere, id est, video.

Dabis mihi honorem? Resp. si erues me.

Quo eunt discipuli? spatiatum.

Quis solet studere? Petrus solet.

Quis legit in scholis? Resp. perfectè, Plato, id est, legit in scholis. Eamus intro Resp. *I*: vbi ly *I*. Oratio est perfecta, quoniam subauditur, tu I intrò.

DE CONFVSA.

Oratio confusa est, quæ non per terminos dictinctos, sed per signum corporale affectuosum significat.

CORRECTIO.

Falsò à Grammaticis vocatur pars orationis, & interiectio: quandoquidem semper est totum, vt *Ah ah ah.* Quæ tantum valet, quantum, *ego rideo.* Neque semper interiicitur partibus orationis, sed sola pronunciatur sæpenumero, & apud poëtas, & in sermone familiari.

DISTICTIO.

Confusæ species sunt tres: alia enim spectat ad exprimendum Potestatiui extensiones, vt Apagesis. Alia ad cognoscitiui, vt non, sic, ecce; [quæ vt exprimant notitiam sunt oratio, & non aduerbia, vt videtur Grammaticis.] Alia ad volitiui, vt ah ah, euge, proh, heu.

De Propositione.

Cap. III. Art. I.

DEFINITIO.

Propositio est oratio perfecta indicatiua; verum, vel falsum significans per se.

DECLARATIO.

Dicitur *propositio*, quasi pro alio positio in argumentatione, quoniam ponitur pro inferenda conclusione, vel pro veritate, aut falsitate proponenda.

Ponitur *oratio loco* generis. Dicitur *perfecta*, quoniam logicus non vtitur imperfectis orationibus.

Dicitur *indicatiua* ad differentiam orationum optatiuarum, & deprecatiuarum, imperatiuarum, quæ sunt perfectæ orationes: sed non indicant rerum veritatem, & falsitatem per se, sed per affectiones animi, nec ad docendum sunt aptæ, sed ad conuiuendum, exprimimus enim quod cupimus nos, non quid sunt res per eas.

Vbi nota etiam, quod orationes de præterito, & futuro non sunt propositiones, quoniam non dicunt veritatem, nisi ad præsens reducatur, vt dictum est & *ideò dicitur significans verum, & falsum per se*, ad differentiam *dictarum* orationum, quæ non per se significant.

Significatur verum per orationem, affirmatiuam, quando dicit rem esse, sicut est; vt homo est animal, & per negatiuam, quando dicit rem non esse sicuti non est; vt homo non est asinus; ex eo enim, quod res est, vel non est, dicitur oratio vera, vel falsa; quoniam veritas est in propositione, vt in signo: in intellectu vt in cognoscente, in rebus vt in subiecto: in Deo essentialiter & causaliter. Res enim vera est, si causæ suæ est similis in Idea, sicuti gladius verus est gladius, si similis est ideæ artificis gladiorum. Intellectus autem est verus, si res apprehendit sicut sunt: Oratio verò dicit verum, si dicit vt sunt.

Diuisio prima Propositionis secundum qualitatem.

Art II.

Ergò *diuiditur Propositio in affirmatiuam, & negatiuam Affirmatiua est in qua verbum principale affirmatur. Quod in negatiua negatur* vt homo est animal. Nã affirma-

tio & negatio sunt actus à verbo expressi. Ideò si dicas est non animal adhuc affirmatiuè reputatur. *Verbum enim se tenet ex parte prædicati semper.* Hæc est affirmatio. Petrus, qui non studet, est piger. Negatio enim non cadet super verbalem copulam principalem: & æquiualet huic, Petrus non studens est piger. Prima enim Propositio est subiectum. Sic, tu qui curris, non stas; est negatiua, quoniam subauditur, tu currens non es stans.

Et hominem stare non est verum; etiam est negatiua: negatur enim est principale: negatur & prædicatum. Infinitiuum enim cũ nomine loco vnius nominis ponitur. Subiectum namque materiæ correspondet, prædicatum verò formæ, quarum in natura coniunctio per propositionem exprimitur.

Secunda diuisio.

Art. III.

ex obiecto

P*Ropositio autem tam affirmatiua, quam negatiua, diuiditur in veram, & falsam.*

Affirmatiua vera dicit rem esse sicut est: falsa, esse sicut non est. Negatiua verà, rem non esse sicut non est. Falsa rem non esse, sicut est.

Tertia Diuisio Propositionis, secundum eius entitatem.

Art. IV.

O*Mnis autem Propositio rursus diuiditur in simplicem & compositam.*

Est simplex, quæ habet Subiectum Prædicatum, & Copulam tanquam principales partes sui.

Dicitur *subiectum* quod se habet in oratione materia-

liter, & est vel inferius prædicato, vel æquale, vt homo est albus. Homo enim est materia, cui inhæret albedo: vel entitas cui inest animal, vel esse.

Prædicatum verò est quod de subiecto dicitur.

Copula est verbum, quod prædicatum cum subiecto copulat, & ideò solum verbum substantiuum reputatur pars cathegoricæ seu simplicis. Dicitur enim cathegorica, quasi prædicatiua, quia simpliciter aliquid prædicat de aliquo. Etenim cum dico, homo currit, intelligitur homo est currens. Verbum enim dicit actum, & semper continet in se prædicatum. Nam etiamsi dico, homo est, intelligitur est Ens, vel existens. Non ergò semper expliciter ponitur tertius adiacens terminus.

Est autem subiectum quidquid præcedit copulam principalem. Prædicatum verò quidquid sequitur. Vt Petrus diues & fortis, qui non solet mentiri, est dignus imperio ciuitatis. Vbi Petrus diues, fortis non solens mentiri, sunt subiectum, & subiecti qualificationes: sicut ea quæ sequuntur copulam, sunt prædicatum & explicationes eiusdem.

Dicitur *tanquam principales partes sui* ad differentiam compositæ, cuius partes principales sunt duæ orationes: subiecta verò & prædicata & copulæ sunt secundariæ & remotæ partes, vt si Deus pluit, prata germinabunt.

Datur etiam decomposita Propositio, seu oratio, quæ narrationem continet multis compositam orationibus & dicitur vna ex materiæ, & finis vnitate, vt Ilias Homeri, & & parabola Euangelica.

Prędicatio autem *directa est*, quando æqua de æquis, vel communiora de minus communibus prędicatur. *Indirecta* è contra, vt dictum est in p. lib.

Quarta Diuisio Propositionis in quantitate.

ART. V.

P*Ropositionum alia est quanta, alia non quanta;* Quanta est cuius subiectum stat pro vno, vel pro omnibus, vel

pro nullo, vel pro aliquibus. Non quanta verò abstrahit à numerali subiecti suppositione, ratione termini ipsam impedientis, quales sunt *Exceptiua reduplicatiua, & exclusiua*, vt mox patebit.

De Propositionibus quantis.

Art. VI.

DIVISIO.

D*Iuiditur Propositio quanta in Vniuersalem, Particularem, Indefinitam, & singularem.*

DEFINITIO.

V*Niuersalis est illa, in qua subiicitur terminus communis, signo vniuersali determinatus.*

DECLARATIO.

NAm à subiecto sumitur quantitas. Quod si communis est terminus plures significat, vt homo: si singularis, vnum, vt Petrus. Signa autem vniuersalia sunt affirmatiua, & negatiua, Pronomina, vt omnis, nullus, quilibet, quot quot, quicunque, quisquis, neuter quæ distribuunt omnibus, vel nullis subiecti partibus ipsum prædicatum, vt nullus homo currit. Intelligitur neque Petrus, neque Marcus, neque vllus alter homo: signa enim ista vt in Gram. probauimus, sunt pronomina, ideò propersonis seu indiuiduis stant.

Sunt etiam vniuersalia Temporum & locorum, nedum personarum vt Quando, & Vbi. Determinare est hic distributiue stare pro omnibus, quod signat illud nomen, quod præcisum erat secundum se. Si autem non distribuat, sed colligat, non est propterea Vniuersalis, vt omnes planetæ sunt septem. nam neque Iupiter est septem, neque Mars, neque alius quiuis.

Distributio quandoque fit ex parte temporis, vt quan-

docunque veneris recipiam te. Hæc est vniuersalis ex parte temporis, non ex parte subiecti.

Aliquando distribuit locos, vt vbi te videbo, te iudicabo, id est in quocumque loco.

Aliquando ex parte significatorum subiecti. Vt omnis homo currit.

DEFINITIO.

Particularis est in qua subiicitur terminus communis signo particulari determinatus. Signa autem particularia sunt pronomina, Aliquis, Quidam, non nullus, aliquando, alicubi. Sic, nunc, tunc, illic, &c.

Indefinita est in qua subiicitur terminus communis, non determinatus aliquo signo, vt homo venit.

Singularis est, in qua subiicitur terminus singularis vel singularizatus, vt Petrus currit; &, hic homo, vel ille homo, currit, vel, Primogenitus Petri currit.

De Propositionibus non quantis.

ART. VII.

Propositio non quanta reperitur nulla per se, sed per accidens fit addita aliqua notula, quæ totam vim significationis ad se trahit.

Est autem triplex.

Alia *Exceptiua*, vt solus Deus est bonus, vel nullum Ens præter Deum, est bonum. Vbi ly solus, & ly pręter, excludunt prędicatum ab omni subiecto, excepto Deo.

Alia *est exclusiua*, quæ à toto aliquid excludit vt partem, vt inter animalia homo tantum est rationale; vbi ly tantum includit hominem, & excludit cętera animalia.

Alia est reduplicatiua, quę reduplicat subiectum, vel subiecti adiectiuum, quoniam secundum illud Prędicatum conuenit ei, & non aliter, vt homo inquantum scriptor scribit, & in quantum homo est rationalis; aut homificat. Vbi ly in quantum, exprimit perseitatem, & vniuersali-

tatem & secundũ quod ipsum. Nõ enim dicitur per se nisi vniuersale & secundum quod ipsum addit conuertibilitatem vt dictum est in Prędicamentis. Cum autem ly inquantum seu secundũ sumitur specificatiuè: vt æthyops est albus secundum dentes; tunc diminuit suum significationem.

De Propositionum radicali essentia ad significandum, quæ dicitur materia non earum, sed in qua ipsæ fiunt.

ART. VIII.

DISTINCTIO.

OMnis Propositio vel fit in materia necessaria, vel contingenti, vel impossibili, seu repugnanti.

Præceptum. I.

I*N materia necessaria*, quam etiam naturalem vocamus, *fit quando Prædicatum semper & necessariò inest subiecto*, vt quando species, vel genus, vel differentia, vel definitio, vel proprium, prędicatur de suo subiecto, vel idem de ipso; vt Petrus est Petrus: est homo, est rationalis: est disciplinabilis: est animal rationale.

Præceptum II.

I*N materia impoßibili fiunt*, seu remota, seu repugnanti, vt alij loquuntur; *quando opposita de oppositis prædicantur quacunque oppositione*, vt Pater est filius. Album est nigrum. Homo est Asinus. Cęcus est videns. Lapis est oculatus: tria sunt quatuor; linea est color; vt patet ex capitulo de similitudine.

Præ.

Præceptum III.

I*N Materia contingenti fiunt, quando Prædicatum potest affirmari, & negari de subiecto*; quia contingit inesse & abesse; vt homo est albus, & sic omne accidens commune facit propositionem in materia contingenti.

Præceptum IV.

I*N Materia necessaria semper affirmatiua est vera, & negatiua falsa. In repugnanti è contra affirmatiua falsa, negatiua vera. In contingenti vtraque aliquando est vera, aliquando falsa.*

DE PROPOSITIONE COMPOSITA.

Cap. III. Art. IX.

DEFINITIO.

C*Omposita dicitur Propositio, quæ habet plures orationes tanquam principales partes sui, coniunctas per aliquam notam.*

DECLARATIO.

DIcitur *plures orationes*, ad differentiam simplicis, seu Categoricæ.

Dicitur *per notam.* Si enim non coniungantur non faciunt vnam complexam, sed plures Categoricas. Vocatur Peripateticis omnis composita hypotetica, sed ruditer. Sola enim conditionalis est hypotetica: vt vox Græca indicat.

DIVISIO SPECIERVM.

COniunctio autem multiplex: ita & Compositio.

1 *Alia enim est hypotetica, seu conditionalis per no-*

tam conditionis, Si, constituta, vt si Deus pro nobis; quis contra nos.

2. *Alia temporalis coniuncta per notam temporis*, vt Quando magister legit, Discipuli addiscunt.

3. *Alia localis per notam loci*, vt vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

4. *Alia relatiua per pronomen relatiuum: vt Petrus, qui dormit, saluus est.*

5. *Alia comparatiua per notam comparationis*, vt sicut Deus fecit Sylo, ita faciet Ierusalem.

6. *Alia causalis per notam causæ*, vt Quià estis vos indigni, conuertimur ad gentes.

7. *Alia copulatiua per notam copulationis*, vt Ego dormio, & cor meum vigilat.

8. *Alia disiunctiua per notam disiunctionis*, vt vade vel ad dextram, vel ad sinistram.

9. *Aliæ aduersatiua per notam aduersandi*, vt Petrus est doctus, Sed filius eius ignorans.

10. *Alia illatiua per notam argumenti*, vt Petrus plorat, Ergo dolet.

11. *Additur subiunctiua*; vt Cùm sis malus non potes cogitare bonum. Sed reducitur ad causalem: aliquando verò ad temporalem, vt, cum venero, cætera disponam. Aliquando est solum explicatiua, vt volo vt sedeas. Dic, vt hi duo filij sedeant; & hæc propriè subiunctiua.

12. *Additur etiam infinitiua*, vt volo te sedere, quæ reducitur ad subiunctiuam. Explicatiuam. Aliquando verò est modalis, vt verum est Petrum esse Papam.

Infinita impersonalia sumuntur nominaliter non Verbaliter, propterea non faciunt compositum, vt tædet me viuere, id est, vitæ.

De Conditionali.

IN Conditionali iunguntur per notam, *Si*, Propositio antecedens, & consequens. Fitque affirmatiua, & negatiua prout nota negatur, vt, non si tu es homo, es doctus,

vel affirmatur; vt, si tu es, &c.

Conditionalis est vera quando oppositum consequentis repugnat antecedenti: Vt si Petrus est homo, est animal, vera est. Nam non esse animal, qui est homo impossibile est.

Falsa vero quando non repugnat, vt si tu es homo, es sanctus. Nam potest esse non sanctus, qui est homo.

Omnis conditionalis vera est necessaria & possibilis in omni materia. Vt si Petrus est Asinus, est rudibilis, necessaria est & vera & possibilis. Omnis falsa est impossibilis. Vt si Petrus est Asinus, est albus. Cum enim oppositum consequentis stet cum antecedenti, non potest verificari. Cum autem falsa est, est etiam impossibilis.

Prouerbium est. *Conditionalis nihil ponit in esse.* Nam licet sit vera, si Petrus est asinus, est rudibilis. Quo ad consequentiæ vim; non tamen Petrus est asinus, neque rudibilis. Sunt enim ergo falsæ Antecedens & Consequens, & sola consequentia vera.

De consimilibus ad conditionales.

C*Ausalis*, *& rationalis se habent vt conditionales procedentes ex hypotesi.* Et propriè est vera cum est necessaria connexio, cum causa est perse & propria. Vt Ver est, quia Sol intrat in Arietem. Et Homo currit, ergò mouetur. Falsa è contra; vt homo est animal, quia est Albus. Gallus cantat, ergò Cælum est rotundum.

De Comparatiua.

C*Omparatiua autem*, *quia similium est*, *prout similitudo est essentialis, vel accidentalis*, *est vera vel falsa*, vt dicemus in consequentiis. Quando enim est essentialis necessaria, vt sicut homo est rationalis, ita asinus est rudibilis; vel repugnans: vt sicut lapis est mollis, ita aqua est dura, tunc vtraque comparatiua est vera: vel vtraque falsa. Quando contingens vel disparata, si vna est falsa, tota est falsa: Vt homo currit, sicut sagitta. Sed propriè nec materia, facit veritatem, & falsitatem, sed comparatio congrua: vt, sicut

ceruus desiderat ad fontes aquarũ, ita Anima ad te Deus. Vel incongrua; laborat homo, sicut lapis. Aliquando vtraque falsa ob congruitatem fit vera. Vt, si potest Æthiops mutare pellem suam: Ità & vos benefacere cum didiceritis malefacere: dicit Dominus.

De locali & temporali.

Similiter localis & temporalis est vera si opposita consequentis repugnat Antecedenti: vt quando pluit, terra madet: Repugnat enim pluuiæ non madere: Et falsa è contra vt quando ningit Galli cantant. Non enim repugnat pluuiæ non cantare. Vide si habent, aut non habent vim inferendi. Nam cum consequens annexum est antecedenti ordine necessariò tunc sunt verę; si verò accidentali ordine: tunc sunt verę si vtráque veræ: falsæ si vnà est falsa. Sed propriè vnitas temporis & loci eos verificat in omni materia, vt quando pluit, Terra madet; & vbi sudor, ibi morbus. Disparitas falsificat etiam in omni; vt quando pluit, damus panem: & vbi sudor, ibi diuitię.

De Copulatiua.

COpulatiua autem & disiunctiua non videntur ex hypothesi procedere. Idcircò impropriè dicuntur hypotheticæ in Peripato, sed complexæ dicendæ erant.

In Copulatiua nota copulationis non copulat terminos, sed orationes; Copulat autem vel *Diuisiuè*, vel *Collectiuè*. Si diuisiuè resoluitur in duas, vt Petrus & Paulus currunt. Sequitur ergò Petrus currit, & Paulus currit. Sed Collectiuè non valet Petrus & Paulus trahunt nauim, ergo Petrus trahit nauim, & Paulus trahit, nisi pro rata.

Fit affirmatiua & negatiua prout nota affirmatur vel negatur. Negatio autem præponitur toti, vt super copulam vim habeat, vt non vos me elegistis, & exaltastis.

Ad verum copulatiuam requiritur veritas vtriusque propositionis: vt Petrus est homo, & Paulus sedet.

Ad *falsitatem sufficit si altera tantum sit falsa*, vt Petrus

est homo, & tu es linea. Plura enim requiruntur ad constituendum, quam ad destruendum. Ad necessarium ergo & possibile requiritur vtraque necessaria & possibilis, seu contingens. Ad impossibile verò vna : sed Logicus semper distinguit vera & falsa.

De Disiunctiua.

SImiliter in Disiunctiua, nota coniunget orationes non terminos, quarum sensus tamen disiungit.

Similiter diuiditur in affirmatiuam, & negatiuam, prout nota disiunctionis affirmatur, vel negatur.

Et in veram & falsam.

Vera Disiunctiua recipit alteram propositionem veram, alteram falsam : alioquin non disiungeret sensum, vt tu es albus vel niger. Si autem vtraque sit verificabilis, non erit ex vi disiunctionis, sed gratia materiæ, vt ibis ad dexteram, vel ad sinistram. Sed quando itur, vna est falsa. Et qui est rubeus non est albus, vel niger, sed tamen est vtrumque mistim. Gratia materiæ est vera. Alexander est Rex, vel Græcus.

Idcircò recurre ad regulas Diuisionis in libro præcedenti.

Ad falsam vero vtraque falsa requiritur, vt linea est color, vel sapientia. Idem dic ad impossibilem. At ad necessariam, & possibilem, dic, vt in vera.

DESCRIPTIO V.

Propositionis, ex puritate, & qualificatione Terminorum.

ART. X.

D*Iuiditur Propositio Categorica iterum in absolutam & modalem. Absoluta est, in qua subiectum Prædicatum & Copula ponuntur absque qualificatione,* vt Petrus est albus.

Modalis fit vel ex subiecto modificato : vt, Petrus Doctus currit. vel, *ex prædicato modificato*, vt Petrus est albus dentes, vel *ex Copula modificata*, vt homo est necessariò animal. Et per accidens est albus. Etenim tunc modificatur compositio quam facit copula, & infinitiuè explicatur sic, necesse est hominem esse animal, contingens est hominem esse album.

DE PASSIONIBVS PROPOSITIONVM.

CAP. IV.

ASSERTIO.

ACcidunt propositionibus passiones multæ, scilicet Oppositio. Æquipollentia, Conuersio, Suppositio, Ampliatio, Restrictio.

De Oppositione Prop. Categ.

ART. I.

DAtur Oppositio inter propositiones Categoricas. Nam aliæ sunt contrariæ; aliæ subcontrariæ; aliæ contradictoriæ, aliæ subalternæ: aliæ diuersæ, aliæ differentes.

Diuersæ sunt, quæ nullo termino inter se participant: Id est, neque prædicato, neque subiecto, neque copula, vt Deus est bonus, & Baculus est in angulo, & inter has non datur connexio.

Differunt verò quæ sunt eiusdem generis, sed non speciei, vt homo est animal, & lapis non est animal. Sunt enim ambæ categoricæ. Sed altera affirmatiua, altera negatiua. Sic etiam & diuersæ esse possunt respectu significati, & differentes respectu significationis.

Sed quæ conueniunt in subiecto, & Prædicato, & disconueniunt penes copulam affirmatam, & ngatam, dicuntur partici-

pare vtroque termino, & opponi quatuor primis modis, super quibus fundatur consequentia rationalis, & Æquipollentia, vt patebit.

AXIOMA.

ESsentia Propositionum est esse Categoricam, & Compositam. Qualitas, affirmatiuam, vel negatiuam. Quantitas vniuersalem, vel particularem, &c.

De Oppositione Contrariarum.

ART. II.

OPpositio Contraria est duarum Propositionum, quarum altera est Vniuersalis affirmatiua; Altera vniuersalis negatiua, de eisdem subiectis Prædicatis & copulis, vniuocè, atque æquè amplè, & æquè strictè acceptis.

Dicuntur autem *contrariæ* ad similitudinem Physicæ contrarietatis, quoniam non opponuntur in quantitate, cum sint ambæ vniuersales. Sed in qualitate cum sit affirmatio, & negatio.

Dicitur etiam hoc ad differentiam aliarum Propositionum.

Dicitur *de eisdem subiectis*, &c. vt omnis homo est albus, ad differentiam diuersarum. Dicitur *vniuocè, & æquè amplè, & æquè strictè*: Quoniam respectu primi non est contraria, omnis populus est arbor, & nullus populus est arbor. Respectu secundi; neque hæ omnis auis volat & nullus auis volat. In prima namque ly,omnis, distribuit pro vtroque sexu auium: In secunda pro masculino tantum. Intelligitur de eisdem formaliter in Logica: nam physicè contraria sunt, omnis homo est animal, & nullum rationale est animal. Virtualiter enim idem est homo, & rationale. Idem patet in copulis. Non enim sunt contraria, omnis stella est lucida, & nulla stella fuit lucida.

De Oppositione Contradictoriarum.

Contradictio verò est duarum Propositionum, quarum altera est Vniuersalis affirmatiua. Altera particularis negatiua: vel è conuerso; vt omnis homo est animal, Aliquis homo non est animal, & nullus homo est animal, & aliquis homo est animal. Opponuntur enim in quantitate, & qualitate. Idcircò vocantur maximè oppositiones. Est enim contradictio Entis, & Nonentis in Metaphy. & ab hac omnis oppositio dependet.

Et *propterea etiam duæ singulares sunt contradictoriæ*, vt Petrus currit, & Petrus non currit. Semper autem intelligimus de eisdem subiectis prædicatis & copulis, æquè amplis, & æquè strictis, & vniuocis.

Contrariæ autem opponuntur in quantum contradictionem participant; *Quæ est affirmatio & negatio eiusdem de eodem, secundum idem, & in eodem*, vt dictum est in lib. præcedenti, & in 2. parte Metaphys.

De Oppositione Subcontrariarum.

Art. IV.

Subcontrariæ verò sunt, quarum altera est particularis, vel indefinita affirmatiua. Altera verò particularis negatiua, de eiusdem, &c. vt homo currit, & homo non currit: vel aliquis homo currit, & aliquis homo non currit. Manent enim sub contrariis.

De Oppositione Subalternarum.

Art. V.


Oppositio Subalterna est inter vniuersalem affirmatiuam, & particularem affirmatiuam; vel vniuersalem negatiuam, & particularem seu singularem negatiuam; de eisdem, &c. vt homo est animal, & Petrus est animal; & nullus homo est animal

animal, & quidam homo, vel homo, vel Petrus, non eſt animal, ſemper enim ſingularior communiori ſubalternatur.

De omnibus dictis oppoſitionibus formatur ſubſequens figura in triplici materia. Scilicet, neceſſaria, contingenti & repugnanti.

ART. VI.

FIGVRA OPPOSITIONVM CATEGORICARVM SIMPLICIVM.



De habitudine oppositarum Propositionum circa verum & falsum; vt de consequentis, exercendis per eas, fundamenta iactantur.

PRIMA REGVLA.

SIC autem se habent circa verum & falsum, quod semper contradictoriarum altera est vera, altera est falsa in materia naturali, & contingenti & remota.

DECLARATIO.

QVoniam altera dicit esse idem, altera negat. Non potest autem res idem esse & non esse, vt patet in Metaphys. & propterea aliæ propositiones opponuntur, quæ dicunt esse, & non esse. Logicè autem ad destruendam vniuersalem sufficit particularis defectus; si enim aliquis homo non est albus, tunc falsa erit, Omnis homo est albus: quoniam ille aliquis, qui non est, destruit omne, quod dicitur esse, & sic de cæteris.

REGVLA 2.

DVÆ verò contrariæ in materia necessaria semper ita se habent, quod affirmatiua est vera, & negatiua falsa. In remota verò est è contra negatiua vera, affirmatiua falsa.

DECLARATIO.

QVoniam tunc sunt verè contradictoriæ, quia de eisdem omnibus idem simul negatur, & affirmatur. Omnis homo est animal, & nullus homo est animal de omnibus, & singulis dicuntur.

REGVLA 2. Pars 2.

SED in materia contingenti possunt esse ambæ falsæ; sed nunquam ambæ vera.

DECLARATIO.

QVoniam declinant à contradictione, cum enim dico, omnis homo eſt albus, falſa eſt, quoniam aliqui non ſunt albi, vt Æthyopes. Et cum dico nullus homo eſt albus, falſa eſt, quoniam aliqui, vt Galli albi ſunt: ergò quia de diuerſis prædicatur contingens, accidit ambas falſas conſtitui.

Sed ambas veras nunquam: obſtat enim participatio contradictionis. Si verò ambæ eſſent veræ, cum altera, vel vtraque ſubcontrariarum vera ſit: Ergò vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua erunt veræ, quod eſt impoſſibile. Non autem poſſunt eſſe veræ, quia idem de oppoſitis eiſdem nequit verificari.

REGVLA 3.

SED duæ ſubcontrariæ in materia neceſſaria, & remota ſe habent, ſi uti contrariæ; ſed in contingenti, è conuerſo; quoniam poſſunt eſſe veræ, ſed non ambæ falſæ.

DECLARATIO.

PRopterea quod quatenus dicunt eſſe, & non eſſe, participant contradictionem, quæ eas diſparat. Quatenus verò dicuntur de diuerſis, recedunt à contradictione. Ideò enim vera eſt; Aliquis homo eſt albus. Quia ly aliquis particularizat ſubiectum, & pro alio ſupponit in negatione, vt pro alio in affirmatiua, vt pro Æthyope; & pro alio in affirmatiua, vt pro Britanno. Sed ſi pro eodem; ſemper altera eſſet vera, altera falſa: vt Petrus eſt albus, & Petrus non eſt albus.

REGVLA 4.

SVbalternæ verò ita ſe habent quod in materia neceſſaria, & remota, quales ſunt vniuerſales, tales ſunt, & particulares.

Sed in materia contingente, si vniuersalis tam affirmatiua, quam negatiua est vera, est quoque particularis vera. Sed non è conuerso, quoniam accidens prædicatur de aliquo, & non de omnibus. Item si vniuersalis est falsa, particularis potest esse vera: sed si particularis est falsa, semper vniuersalis est falsa. Si enim falsum est quemdam hominem non currere, falsum est nullum currere. Sed si falsum est nullum hominem currere, tunc verum est aliquem hominem non currere.

De Modalibus.

Art. VIII.

Dicturi de Modalium oppositione præmonemus, quod non modo modificatur ex parte subiecti, & Prædicati & copulæ, sed etiam ex parte compositionis subiecti cum Prædicato, non modò per adiectiua nomina substantiuorum modificatiua, & per aduerbia, & præpositiones: sed etiam per syncategoremata Primalitatum, & influxionum magnarum cuius modi sunt.

Possibile, *Impossibile* à Potentia & suo opposito: *Verum & falsum*, à sapientia & opposito. *Bonum*, *& Malum* ab Amore, & opposito, vt diximus in Metaphys.

Datur necessarium, & contingens ab influxu Potentiæ: & ab iis per se & per accidens. Item certum, incertum, opinabile, inopinabile, fatale & casuale à Vero & Falso per influxiones sapientiæ.

Conueniens & inconueniens, iustum & iniustum, pulchrum, & turpe, quibus vtitur Plato, à Malo & Bono, per influxum Amoris. Rerum quippè concursus, qui per orationis compositionem designatur, ab influxibus Primalitatum; scilicet, Potentiæ, Sapientię, & Amoris, manant; qui sunt Necessitas, Fatum, & Harmonia; & ipsorum oppositis, & defectibus: quæ sunt Contingentia, Casus & Dissonantia. Vide Metaphys. nostram.

De Modis Compositionis, Modalem propositionem constituentibus.

Art. IX.

AT quoniam apud Logicum sermo fit de modalibus prout ad argumentationem conferunt; & huic deseruiunt tantum, quæ modificant compositionem, vt patebit per regulas consequentiarum. Idcircò ex his tantum propositiones modales facimus.

Possunt autem fieri ex prædictis modis aduerbialiter, vt Petrus currit necessariò, verè, benè, contingenter, per accidens, &c. *Possunt quoque nominaliter*, & sic magis proposito deseruiunt, vt Petrum currere necesse est, bene est, verum est, contingens est. Vbi *ly Petrum currere* ponitur vt subiectum, *necesse est*, vt copula, & Prædicatum.

Cur non omnes modi compositionis modalem faciunt Propositionem.

Art. X.

AT Peripatetici non ex omnibus modis efficiunt modales: sed tantùm ex Necessario, Possibili, Contingenti & Impossibili: quoniam (aiunt) verum & falsum non dicunt aliquid super absolutam propositionem, quam vocant de inesse, idem enim est, homo currit, & hominem currere est verũ. Sed non est idem homo currit, & hominẽ currere est necessarium: quoniã ly *necessariũ* addit modum essendi, non possibile aliter se habere. Sed hæc ratio non cogit. Nam bonũ est hominẽ esse bipedem, addit aliquid super ipsum esse, hoc est vtilitatẽ. Et tamen ipsi nec memorant hunc modum. Item quidquid est, dum est, necessarium est; non dabitur ergò contingens. Licet enim anteà fuerit contingens: vbi tamen est, necessarium iam est. Sicut etiam quod præteriit nõ potest non præteriisse.

Potius ergò verum & falſum non faciunt modales quoniam æquiualent neceſſario, & impoſſibili. Quod enim verum eſt, neceſſarium eſt. Quod autem falſum, impoſſibile.

Sed neque hęc ratio conuincit. Quoniam contingens, & poſſibile æquiualent. Nihilominus autem modales faciunt.

Præterea ſicut bonum addit ſupra ens reſpectum ad voluntatem Autoris. Ita verum addit reſpectum ad intellectum Autoris. Similiter & ad noſtrum, vt menſuratum, non vt menſurantem.

Potius ergo omiſerunt, Logici veteres, non tamē Plato, Bonum, & verum, quoniam non faciunt vniuerſalitatem, & particularitatem in propoſitione modali, abſque alio modo. At neceſſariū eſt modus vniuerſalitatis. Quod enim neceſſarium eſt, ſemper eſt, ſemper ſe habet eodem modo, & dicit temporis vniuerſalitatem. Sic etiam impoſſibile. Contingens autem & poſſibile, particulares ſunt notæ. Quod enim contingit, aut poſſibile eſt, aliquando eſt, non ſemper neceſſarium. Sed de his in Metaph. 2. p. Item Verum, & Bonum, addunt reſpectum ad ſapientiam, & Amorem. Poſſibile autem, & contingens & neceſſarium, & impoſſibile, ſuper ipſo eſſe fundantur ſubito. Quod eſt idem quod poſſe.

De oppoſitione modalium, ex modis Poteſtatiui.

Art. XI.

Sicuti ergo in Categoricis abſolutis contrariæ ſunt, omnis homo currit, & nullus homo currit. Ita hominem currere eſt neceſſarium, & hominem currere eſt impoſſibile in Modalibus.


Et ſicut ſubcontrariæ ſunt. Quidam homo currit, & quidam homo non currit, ita Poſſibile eſt hominem currere, & Poſſibile eſt hominem non currere.

Ergò & contradictoria ſunt Neceſſe eſt hominem

currere, & Poſſibile, ſeu contingens eſt hominem non currere.

Et Impoſſibile eſt hominem currere, & poſſibile eſt hominem currere.

Tandem ſubalterna ſunt; neceſſe eſt hominem currere, & poſſibile eſt hominem currere, & poſſibile eſt hominem non currere.



De Oppoſitione Modalium Cognoſcitiui.

Notabile de Vero & Bono modaliter.

ART. XII.

VErum autem falſo, Bonum malo contrariantur; ſicut Neceſſarium Impoſſibili, & Contingens affirmatum Contingenti negato: At non in quantitate, ſed qualitate orationum.

De Conſtitutione modali, & de ſenſu diuiſo, & Compoſito.

ART. XIII.

DIuiditur ergo Propoſitio in dictum & modum. Dictum eſt infinitiuum cum accuſatiuo, & ponitur ex parte ſubiecti. Modus verò eſt nomen, aut aduerbium, modificans ipſum, & ſe habet ex parte Prædicati.

Sed vt poſſit ſubita facie apparere, oppoſuimus modum dicto in figura.

Poteſt enim præponi, & poſtponi; & tunc Propoſitio habet ſenſum compoſitum: ſed aliquando intermediat, & habet ſenſum diuiſum, vt album poſſibile eſt eſſe nigrum; & quia in ſenſu compoſito componit prorſus ſubiectum cum Prædicato: in diuiſo verò non prorſus: Idcircò poteſt eſſe vera aliqua in vno ſenſu, quæ non eſt in altero. Nam hæc eſt falſa Nigrum eſſe album eſt poſſibile. Quod intelliges reſoluendo in Categoricam hanc, album eſt nigrum. Propoſitio falſa.

Hæc autem vera eſt, Album poſſibile eſt eſſe nigrum. Quod ſcies reſoluendo, Album poteſt fieri nigrum, quia res alba poteſt denigrari, ſed non albedo. Idcircò in ſenſu compoſito ſupponit pro forma, in diuiſo pro ſubiecto, vt dicunt Peripatetici.

Sed hæc diſcretio fit ab intellectu diſtinguente, non à virtute ſermonis, niſi ex condicto, licet probatio aliquid innuat.


De

De Veritate & Falſitate modalium.

Art. XIV.

CIrca veritatem & falſitatem eum ſe habent in modum, quo & Categoricæ abſolutæ, tam in materia neceſſaria, quam remota, & contingenti prædictæ, propoſitiones diſpoſitæ.


De Oppoſitione Modalium Cognoſcitiui.



Opponuntur quidem vt in præſenti figura, ſed non videntur habere quantitatem. Quod enim eſt verum non ſemper nec vniuerſaliter eſt verum niſi in materia

necessaria, & remota. Idem videtur de falso. Sed de certo & incerto, quoniam sunt modi ad animam non ad rem pertinentes, datur certitudo, incertitudo de vero & de falso.

De Modalibus Volitiui.



DE ÆQVIPOLLENTIA PROP.

Cap. V. Art. I.

DEFINITIO.

Æquipollentia est æquiualentia in quantitate, & qualitate, duarum Propositionum sitarum in figura oppositionum, facta per negationem negantem, ita quod ab vna ad alteram valeat consequentia.

DECLARATIO.

OMnes particulæ huius definitionis sunt claræ: sed vltima *per negationem negantem* innotescit considetanti, quod est *quædam negatio infinitans*, vt, Non homo in vi vnius dictionis, quæ dicitur de omni ente, quod non est homo: *Quædam priuans*, vt cæcitas: *Quædam negans*, vt non currit.

Prima facit terminum indeterminatè significare.

2. *Priuat formam in subiecto eius receptiuo.*

3. *Quidquid post se inuenit destruit in propositione, & eius oppositum inducit*: quia mutat quantitatem & qualitatem: & ipsammet negationem conuertit in affirmationem. Et hæc facit æquipollere contrarias, contradictorias, & subalternas: absolutas & modales, quales nuper definiimus.

Regulæ de Æquipollentiis Categoricarum.

Art. II.

PRima Regula est, *Negatio præposita signo in propositione facit æquipollere contradictorias.* Vt omnis homo currit, & Quidam homo non currit, contradicunt. Sed si dices, Non omnis homo currit, erit eadem cum Quidam homo non currit. Quoniam negatio inuenit affirmati-

uam vniuersalem falsam, & facit negatiuam particularem veram: Et sic facit in omni alia propositione, omnis enim habet sui contradictoriam.

REGVLA 2.

N*Egatio postposita signo, ac subiecto, & præposita verbo, facit Æquipollere Contrarias.* Vt omnis homo est albus, & nullus homo est albus, contrariæ sunt. At æquipollent si dicas, Omnis homo non est albus. Siquidem negatio non mutat quantitatem, cum non præponatur signo vniuersali, sed solum qualitatem, in qua contrariantur duæ contrariæ. Similiter eadem est, Nullus homo non est albus, cum hac, Omnis homo est albus. Et omnis viuens non iustificabitur, cum hac, Nullus viuens iustificabitur. Et Nolite iurare omnino, & iurate nullo modo.

REGVLA 3.

N*Egatio præposita, & postposita signo facit æquipollere subalternas*, quoniam differunt in sola quantitate: Idcircò postponitur negatio, vt etiam differant in qualitate, & tunc præposita altera negatio mutat quantitatem & qualitatem, & facit consequentiam Æquipollentiæ, vt Omnis homo currit, & Quidam homo currit. Subalternæ sunt: sed si dicas: Non omnis homo non currit, idem erit, ac Quidam homo currit: & similiter, Non quidam homo non currit, erit eadem, cum Omnis homo currit.

APPENDIX.

VT autem memoria teneantur æquipollentiæ prędictæ, factus est versus:

Præ contradic: Post contra: Præ postque subalter.

Id est, *Negatio Præposita contradictorias. Postposita Contrarias. Præposita & Postposita, subalternas, æquipollere facit.*

Dubitatio de Æquipollentiis Subcontrariarum.

Art. III.

NEgant Peripatetici æquipollere subcontrarias, quoniam præposita negatio concordat contradictorias; postposita contrarias: præposita & postposita subalternas. Ergo si prçponeretur mutaretur quantitas, in qua conueniunt: si postponeretur fieret negatio in negatiua, & identitas in affirmatiua. Idem enim est, Aliquis homo non currit; Et aliquis homo non currit. Et Nugatio est Aliquis homo non non currit. Bis enim ponitur negatio in negatiua, & profectò si sic est neque æquipollet suç subalternç. Non enim absque nugatione præpones, & postpones negationem in particulari negatiua, & in Vniuersali negatiua hebraica, in qua lingua non datur signum vniuersale negatiuum. Sed verò potest per duas negationes diuersi soni fieri, vt si dicas, Quidam homo currit. Ergo quidam homo, nec non currit. Affirmatio verò affirmat quidquid inuenit, sed non inducit oppositum, sicut negatio propter causas positas in Metaphys.

De Æquipollentia Modalium Potestatiui.

Art. IV.

MOdales autem æquipollent per negationem cadentem super modum, aut dictum, aut vtrumque. Et dantur quatuor Regulæ quas explicant quatuor vocabula ficta in suis vocalibus, vt possimus ea in memoria prompta habere. Sunt autem.

Amabimus, *Edentuli*, *Iliace*, *Purpurea.* In quibus *A*, significat affirmatiuam de dicto, & de modo, vt possibile est Petrum currere. *V*, verò negatiuam de dicto & de modo, vt non possibile est Petrum non currere. *I*, ne-

negatiuam tantum de modo, vt non possibile est Petrum currere. *E*, negatiua de dicto tantum, vt possibile est Petrum non currere.

Ex his fiunt quatuor ordines oppositi, & æquipollentes in figura sexdecim propositionum, quatuor pro quolibet modo. Semper autem possibile se habet vt contingens in his. Nam in Metaph. aliquando est necessarium.

Regulæ Æquipol. Modalium. Pot.

ART. V.

Prima Regula in *Amabimus*.

Qvicumque dicto affirmatiuo attribuitur possibile, eidem attribuitur contingens, ab eodem remouetur impossibile, & à suo contradictorio remouetur necesse.

DECLARATIO.

QVoniam ab affirmatiua de Possibili ad affirmatiuam de contingenti valet consequentia: & ab eadem ad negatiuam de impossibile, & ab eodem dicto negato ad negatum modum necesse. Vt si est possibile Petrum currere. Ergo contingens est Petrum currere. Ergo non est impossibile Petrum currere. Ergo non est necesse Petrum non currere.

Regula 2.

Secunda regula in *Edentuli*.

Qvicunque dicto negato tribuitur possibile, eidem tribuitur contingens: Ab eodem remouetur impossibile, & de suo opposito (hoc est dicto affirmato) *remouetur necesse.*

Vt possibile est Petrum non currere, ergo contingens est Petrum non currere: ergo non impossibile est Petrum non currere. Ergo non necesse est Petrum currere.

Regula 3.

Tertia Regula in *Iliace.*

A Quocumque dicto affirmato remouetur poßibile: ab eodem remouetur contingens. Eidem attribuitur impoßibile: & ſuo oppoſito tribuitur neceſſe:

Vt non eſt poſſibile Petrum currere, ergo non eſt contingens Petrum currere, ergo impoſſibile eſt Petrum currere; ergo neceſſe eſt Petrum non currere.


Regula 4.

Quarta Regula in *Purpurea.*

A Quocumque dicto negato remouetur poßibile, ab eodem remouetur contingens: eidem tribuitur impoßibile, & ſuo oppoſito, id eſt, dicto affirmato, tribuitur neceſſe.

Vt non poſſibile eſt Petrum non currere, ergo non contingens eſt Petrum non currere: Ergo impoſſibile eſt Petrum non currere. Ergo neceſſe eſt Petrum currere.

Hæ Regulæ patent in ſequenti figura.



Hinc patent omnes oppositiones, & Æquipollentiæ singularum; & quomodo vnus modus quatuor efficit propositiones.

De Æquipollentia Modalium Cognoscitiui.

Prima Regula in Amatrice.

ART. V.

ÆQuipollent modales Cognoscitiui per Regulam in vocabulo *Amatrice. Cuicunque dicto affirmato tribuitur verum eidem tribuitur certum, ab eo remouetur falsum: & suo opposito tribuitur incertum.*

Vt verum est hominem currere. Ergo certum est hominem currere: ergo non est falsum hominem currere: ergo incertum est hominem non currere.

Alia Regula in edentula.

VErum est Petrum non currere. Ergo certum est Petrum non currere, ergo non est falsum Petrum non currere. Ergo est incertum Petrum currere.

Tertia in Iliaca.

NON est verum Petrum currere. Ergo non est certum Petrum currere: ergo falsum est Petrum currere: Ergo incertum est Petrum currere. Sed 3. propriè non æquipollet cum 2. quoniam res & actus animæ de facto non concordant semper.

Regula 4. in Succurrere.

NON est verum Petrum non currere. Ergo non est certum non currere: Ergo falsum est Petrum non currere: ergo incertum est Petrum non currere.

Cur non æquiualent Modales cognoscitiui, sicut potestatiui. Et quomodo possunt eosdem modos habere.

NON procedunt autem sicuti in Modalibus Potestatiui quoniam in iis æquiualent Contingens & Possibile: in istis

istis verò non dantur æquiualentes modi.

At si loco *Incerti poneremus Opinabile*, *& loco certi credibile, valeret in Amabimus*, credibile est Petrum currere. Ergo opinabile est Petrum currere. Ergo non est verum Petrum non currere. Et sic in cæteris. Edentuli, Iliace, & Purpurea. Credibile enim & opinabile sunt sicut possibile & contingens; verum & falsum necessarium, & impossibile.

De æquipoll. Modalium volitiui. & reductione ad Modos potestatiui.

ART. VI.

ÆQuipollent etiam quæ sunt Volitiui Modales similiter vt Cognoscitiui. Vt in Amatrice, Bonum est Petrum currere. Ergò Conueniens est Petrum currere. Ergo non est malum Petrum currere. Ergò non est inconueniens Petrum currere. Sic de cæteris.

Sed non procedunt sicut modales Potestatiui, nisi æquipolleant duo modi, quod in dictis non euenit. Si autem diceremus, *Vtile & conueniens, bonum & malum*, valerent in cunctis regulis. Nam vtile & Conueniens se habent, sicut possibile & Contingens; Bonum, & Malum sicut Necesse, & Impossibile.

DE SVPPOSITIONE.

CAP. VI.

ART. I.

SVPPOSITIO Physicè sumitur pro subiectione. Logicè verò vel pro propositione quæ in scientiis supponitur & dicitur hypothesis, vel pro passione dictionis, vt hic definitur.

DEFINITIO.

Suppositio est acceptio termini substantiui, in propositione extremaliter se habentis, ad standum pro aliquo suo significato.

DEFINITIO.

VT cum dico, Homo est animal, ly *homo*, stat pro significato formali, quę est natura humana. Et cum dico Homo est nomen, stat pro materiali signi entitate.

Dicitur *substantiui*; quoniam adiectiua non supponunt, sed determinant, & qualificant, nisi vbi loco substantiui ponunt, vt quando relatiuum grammaticale, vel pronomen, vel participium, vel adiectiuum in neutro genere, vel, &c. stat loco substantiui, vt qui currit, mouetur, vel currens, vel ille mouetur? vel Album disgregat visum, vel fortissimus Græcorum pugnat, scilicet Achilles.

Dicitur *in Propositione*, & enim extra significat, sed non supponit pro determinato significato, nisi in Propotione.

Dicitur *extremaliter* se habentis, quoniam substantiuum verbum seu copula non supponit, sed supponentia cessit.

Dicitur *ad standum pro suo aliquo significato*; quoniam quæ per se non significant, nec supponunt.

Et quæ significant multa, vt æquiuoca & Metaphorica ex prędicato noscuntur pro quo significato supponunt: cum enim dico, ius est calidum, non supponit pro lege, sed pro brodio, &c. sed cum prædicatum est multiplicis sensus ex subiecto noscitur pro quo stat vt prata rident, ex prati ratione scimus, quod risus stat impropriè, &c.

Diuisio Suppositionum.

ART. II.

SVppositionum *alia fit de terminis absolutis. Alia de Relatiuis* grammaticalibus, vt talis, quis & alius, *Absoluta*

alia est propria, vt homo est doctus: *Alia appropriata*, vt Apostolus est doctus, id est, Sanctus Paulus: *Alia impropria*, vt Respublica habet bonum caput, id est, Regem.

De Suppositione materiali discreta, & communi.

SVppositio propterea secatur in *materialem, & formalem*. Materialis est, quando terminus sumitur pro se ipso, quod imponitur, & non pro significato ad quod imponitur. Sic enim esset formalis.

Materialis autem vel fit cum termino discreto, vt hæc vox homo est nomen, hoc nomen Petrus est bissyllabum; *vel fit cum termino communi*, vt homo est nomen, Petrus est bissyllabum. Nam licet Petrus formaliter sit singularis: Materialiter tamen est communis, scripto mentali, & vocali. *Discreta semper est vera. Communis potest esse vera, & falsa*: vt Petrus est nomen, & non est nomen. Nam tunc verè & solum supponit materialiter, quando ponitur nota demonstratiua, vt ly, & hic, & iste terminus, & sic semper est personæ tertiæ. Vnde dicit Grammaticus, Ego est personæ primæ, vos est personæ secundæ. Vbi ly, vos concordat cum ly, est, supponendo materialiter. Formaliter verò diceremus vos estis virtuosi. Atque ideo signum vniuersale, vel particulare eiusdem generis trahit ad suppositionem formalem, vt omnes vos, aliquis homo, &c. supponunt formaliter, in neutro verò materialiter.

De Suppositione formali.

F*Ormalis autem est, in qua stat pro formali significato ad quod imponitur terminus in oratione.*

Secaturque in *discretam, indefinitam, particularem, Vniuersalem & confusam*: de his dictum est, sed non de confusa. Sed hæc æquipollet indefinitæ, vt tantum homo currit, & si homo currit mouetur: & hæ omnes fiunt, aut in materia naturali, & fit suppositio formalis naturalis. Aut in accidentali, & fit formalis accidentalis.

Subdiuisio.

AST *accidentalis alia est rationalis, alia realis.*

Rationalis est cum terminus supponit pro significato sibi accidente per Actum animæ, vt homo est species, Animal est genus, & tunc propriè omnis est singularis, sicuti dictum est in suppositione materiali: & non licet descendere in consequentia ad sua indiuidua. Nam ex hoc quod homo est species, non dicimus. Ergo Petrus est species.

Formalis autem accidentalis realis, quam Peripatetici vocant personalem, quia pro indiuiduis & personis verificatur, est illa, in qua supponit pro significato conuenienti sibi ex natura rei, non ex opere intellectus, nisi natura eius sit opus intellectus, & tunc ea est suppositio ex natura rei vt homo est albus, conuenit enim sibi ex natura sua, non quia nos ita ratiocinamur. Sed cum dico, syllogismus est oratio, personalis quoque seu realis est suppositio. Quoniam hęc est natura syllogismi, vt sit opus animę, qualis oratio. Sed cum dico syllogismus est species argumenti, fit suppositio formalis rationalis, sicut in hac Homo est species animalis, quoniam ab opere intellectus habet hoc, & ideò non licet descendere per consequentiam ad personas. Ergo hic homo est species, vel iste syllogismus est species.

Subdiuisio Suppositionis Realis Accidentalis.

DIuiditur autem *in Discretam & Communem,* vt aliæ, sed communis diuiditur in Certam, & confusam. *In Certa sumitur terminus communis absque signo, vel cum signo particulari,* vt homo, vel aliquis homo currit. Et ex hac licet descendere disiunctiuè ad indiuidua, vt, ergo, vel iste homo currit, vel ille, vel Petrus, vel, &c. & sufficit quod de vno verificetur. Sub confusa autem non licet descendere, nisi disiunctiuè, quoniam verificari potest de multis, & de omnibus indiuiduis.

Idcirco secatur *in confusam tantum*, *& confusam vniuersalem.*

Et iterum confusa tantum secatur in *mobilem & immobilem.*

Sub mobili licet descendere subiunctiuè, & hæc fit si cadit super terminum communem dictio exceptiua, vel exclusiua, vel reduplicatiua, vt tantum homo currit. Ergo hic, vel hic, &c. & verba concernentia actum mentis iterabilem, & aduerbia numeralia, & temporalia, & termini modales. Nam si scio aliquam propositionem, ergo sequitur vel hanc vel illam, &c. & quater vidi hominem, ergo hunc, & illum. Semper erunt stellæ, ergo hodie, eras, & perinde, &c. Vbique est Deus. Ergo istic & illic, &c. Possibile est hominem esse doctum. Ergo hunc & illum.

Confusa immobilis est, quando non potest Prædicatum verificari de subiecti partibus diuisim, sed, *coniunctim*: vt elementa, sunt duo, planetæ sunt septem, non enim possumus dicere, ergo hic planeta est septem: Sed omnes simul. Neque valet, debeo tibi decem ducatos, ergo hos vel illos, &c. Confusa vniuersalitas facit descensum ad indiuidua copulatiuè, si est distributiua, vt omnis homo currit, ergo iste & iste, & cæteri currunt.

Si autem est Collectiua, vt omnes Apostoli sunt duodecim, non facit descensum.

Est quoque immobilis quando est conditionata. Non enim fit descensus, ex, si omne animal currit, ergo omnis homo currit, ad hoc, ergo si hoc animal currit, omnis homo currit, vel hic homo currit. Asino enim currente homo non currit.

Sed mobilis adhuc est duplex. Alia absoluta, vt omnis nix est alba; & fit absolutus descensus. Ergo hæc & illa nix. *Alia glossabilis, & non fit descensus, nisi cum glossa*: vt omnis qui petit accipit, id est, iustè petens. Et tunc descendimus. Ergo Helias iustè petens accipit, & Petrus iustè, &c. & Iob, &c.

De Suppositione relatiua.

IN ſuppoſitione autem Relatiua, *ſemper Relatiuum ſupponit ſicuti ſuum Antecedens, quod refert.* Si enim illud ſupponit materialiter, aut formaliter, aut rationaliter, aut eſſentialiter, aut accidentaliter, ſic & illud; vt homo eſt nomen, quod eſt ſubſtantiuum, ly homo, & ly quod, materialiter ſupponit. Hic verò formaliter, homo eſt animal, quod eſt rationale eſſentialiter.

Omne Relatiuum identitatis ſubſtantiæ, vt qui, & ſe, & quidam, *ſupponit eo modo peculiari quo Antecedens, id eſt, diſtributiuè, confuſè, mobiliter, immobiliter:* vt homo qui currit mouetur. Ly homo, & ly qui, ſtant determinatè. Petrus qui dormit, ſaluus eſt, ly Petrus, & ly qui ſtant diſcretè formaliter.

Sed Relatiuum diuerſitatis ſubſtantiæ, vt Alius, alter *non ſemper eodem modo ſupponit, licet eadem ſuppoſitione,* vt omnis homo peccator, mendax, & alius verax. Sed ſi apponatur idem ſignum, & omnis alius verax, vtraque diſtribuit: ſemper etiam pro diuerſo ſubiecto ſupponunt neque poſſeſſiuum refert idem, vt homo bonus eſt, ſed ſuum peccatum malum, vbi ly ſuum refert peccatum in recto & hominem in obliquo, & ſuppoſitio poteſt eſſe eadem & alia.

Relatiuum Identitatis Accidentis, vt, talis, tantus, aliquãdo, taliter, aliquoties, &c. *Non refert idem, ſed ſimile, & ſupponit pro conſimili, non ſemper eadem ſuppoſitione, ſed prout à ſigno ſyncathegorematico determinatur.* Vt, Plato eſt doctus, qualis Socrates: ly qualis refert Socratem Platoni conſimilem, & ſupponit diſcretè, vt Plato. Sed in hoc, omnis homo eſt grandis, quantus eſt leo, ly quantus ſupponit determinatè, ſeu certè, & ly homo diſtributiuè. *Idem dico de Relatiuo diuerſitatis Accidentis, & alteriuſmodi.*

Hæc regula valet pro comparationis nota, ſicut, velùt, vt, tanquam, quaſi. Eadem enim ſuppoſitione ſupponit, ſed non ſemper eiuſdem modi, vt tu es fortis ſicut leo. Suppoſitio eſt realis vtraque, ſed diſcreta in Antecedenti, communis in Relatiuo, ſeu Comparatiuo.

DE AMPLIATIONE, ET RESTRICTIONE.

CAP. VII.

ART. I.

DEFINITIONES.

Ampliatio est extensio termini de minori ad maiorem suppositionem. Restrictio verò, quam Peripatetici vocant Appellationem, est contractio à maiori ad minorem in propositione.

Ad quod fit Ampliatio & Restrictio.

ART. II.

Fiunt autem respectu temporis, & loci, & indiduiduorum.

REGVLA I. ART. III.

Omnis terminus Communis absolutè sumptus, vel cum signo vniuersale supponit pro omni induiduo, & omni tempore, & loco in Propositione indicatiua in materia necessaria, & remota, ita vt copulatiuè poßit ad omnia descendere: vt homo, vel omnis homo est animal, aut nullus homo est asinus. Ly enim homo supponit pro præsentibus præteritis & futuris hominibus, in omni loco, & tempore: potes ergò dicere. Ergo hic & ille & Petrus, &c. sunt animal; vel non sunt asinus.

Sed in Materia contingenti licet supponat pro omnibus, & omni tempore & loco, non tamen licet descendere, nisi disiunctim: Vt, homo est albus. Ergo vel hic vel ille, &c. sed non, ergo hic & ille, &c. Quod enim accidit potest singulari

accidere, sed non omnibus, & in aliquo tempore, & loco at non semper & vbique. Si autem addatur nota restringens tempus, aut locum, aut ad supposita, fiet restrictio suppositionis, sic enim hæc, homo non languet, supponit pro omni homine præsenti, & in omni hora. Et sic ista, homo nunc languet Neapoli, restringit suppositionem ad locum, & tempus, &c. Item si dicas nullus homo restringitur ad masculos, sed ly nullus potest sumi etiam ampliatiuè, quia masculinum concipit fœmininum per figuram grammaticalem.

Regvla 2.

Item *omnis terminus Communis in Propositione de Præterito supponit pro præsentibus vbique*: vt homo fuit à sæculo; intelligitur de his, qui fuerunt, & sunt, non de futuris. Similiter cum dicitur, homo erit *gloriosus*, supponit pro futuris, & præsentibus, & non pro præteritis: sed tamen prædicatum *gloriosus* supponit in futuro, & sumitur restrictiuè Sic cum dico, Album fuit nigrum, ly album supponit pro præterito. Et cum dico, album erit nigrum, ly albũ sumitur ampliatiuè pro præsenti & futuro; sed ly nigrum pro futuro, & sumitur pro futuro tantum restrictiuè.

Regvla 3.

Incipit autem & desinit suppositionem, trahunt ad tempus, quod indicant, quidquid dicant Peripatetici: licet desinit, habeat potius subiectum de præterito, & prædicatum de futuro, incipit verò è contra.

Regvla 4.

Possum, Scio, & Volo, & eorum consimiles termini, signantes actum Primalitatum, ampliatiuè sumuntur pro tempore & loco, & indiuiduis. Et quando iunguntur termino communi ad omnem locum, & tempus amplificant. Quando verò cum singulari ad præsens, & ad futurum, nisi addatur nota restrictionis: Vt Rex potest belligerare, id est nunc, & in futurum. Sed homo potest bella gerere, supponit pro præsentibus & fu-

& futuris, & non excludit præteritos, licet neque concludat; quoniam terminus communis, neque tempore, neque loco arctatur, quoniam abſtrahit ab eis. Vnde cum dico, ſcio roſam, de quacumque poteſt intelligi, præterita, præſenti, & futura.

REGVLA 5.

SED omnes termini ſignificantes exiſtentiam ſupponunt pro tempore ſignato per verbum grammaticaliter: vt Roſa eſt. Intelligitur nunc. Sed habitudinem ſubiecti ad prædicatum quandocumque. Propterea non valet homo eſt animal, ergo eſt: niſi grammaticè. Nam non valet Roſa eſt flos: ergo eſt.

REGVLA VI.

TErminus autem ſingularis ſupponit pro tempore ſecundum grammaticam: vt Petrus eſt doctus, id eſt, nunc: erit doctus, id eſt in futurum; ſed ſi addas, *poteſt*. Intelligitur nunc, & in futuro, niſi reſtrictionis notula obſtet.

REGVLA VII.

VErba Intellectus, & volantatis expreſſiua, poſſunt reſtringere, & ampliare terminum, & fallere ſententiam, ſi per ſe, vel per accidens, vel quomodolibet accipiatur: vt ego appeto cibos venenoſos, ly venenoſos, per ſe eſt falſa, per accidens eſt vera, quoniam appeto baſiliſcum, qui eſt Venenoſus; ſed non inquantum venenoſus. Similiter cum ego dico, ſcio Deum infinitum, poteſt eſſe vera, quia ſcio Deum qui eſt infinitus & falſa quoniam neſcio Deum in quantum eſt infinitus: ſic enim ſcibilis non eſt. Quapropter cautè intelligendæ ſunt, num vis verbalis extendatur per conditiones prædicati, vel reſtringatur.

Præceptum ad cognoſcendum Suppoſitionem ex prædicato & Copula. ART. 4.

SCiendum, quod prædicatio ex parte Verbi, & extremi oſtendit ſuppoſitionem, cum enim dico; *Deus generat*, intelli-

gitur personaliter, quoniam generare est suppositi Patris, cum verò dico, *Deus creat, supponit essentialiter*, vt ait Diuus Thomas. Sic cum dico, *homo est nomen*, ly nomen, facit supponere hominem *materialiter*. Cum dico *est species*, facit suppositionem rationaliter. Cum dico *est albus personaliter*, seu, *realiter*. Cum dico *est*, *restrictiuè*; cum dico, *Animal, ampliatiuè*. Etiam per subiecti adiectiuum, & syncategorema manifestatur suppositio. Homo albus currit sumitur restrictiuè: homo currit, ampliatiuè.

DE CONVERSIONE.

CAP. VIII. ART. I.

DEFINITIO.

Conuersio est transpositio subiecti in prædicatum, & Prædicati in subiectum, de eisdem terminis vniuocè, æquè amplè & æque strictè sumptis.

DECLARATIO.

VT Homo est animal, animal est homo. Possibile est hominem esse animal, & hominem esse animal possibile est. Nam in modalibus, modus se habet loco prædicati; sed si dictum conuertatur, erit conuersio duplex, vt possibile est hominem esse animal, & animal esse hominem, est possibile.

Species Conuersionis.

ART. II.

POtest autem hic Propositio conuerti quatrupliciter.

1. *Manente eadem qualitate, & quantitate*, vt omnis homo est animal, omne animal est homo.

2. *Mutata qualitate, sed non quantitate*: vt omnis homo est animal. Nullum animal est homo.

3. *Mutata sola quantitate*, & non qualitate, vt omnis

homo est animal. Quoddam animal est homo.

4. *Mutatis vtrisque*, vt omnis homo est animal. Quoddam animal non est homo.

Et Boetius addit quintum modum, *si termini finiti mutentur in infinitos.* Omnis homo est animal, omne non animal est non homo. Negatio enim addita termino facit ipsum indeterminatum, si in vi vnius dictionis sumantur. Non homo enim de rebus omnibus prædicatur, quæ non sunt homo.

De Vtilibus Conuersionibus ad consequentias.

Art. III.

VErùm *vtiles conuersiones ad syllogisandum tres modò reputantur* 1. 2. *& quinta* in reliquis enim non valet cõsequentia. Neque in his omnibus est valida semper.

Sed per primam, quam vocant simplicem, conuertitur tantummodo vniuersalis negatiua in vniuersalem negatiuam, & particularis affirmatiua in particularem affirmatiuam. Vt nullus homo est asinus; ergo nullus asinus est homo. Vtilis est conuersio & vera fit consequens sicut Antecedens. Et quidam homo est albus. Et quoddam album est homo.

Singularis indefinita similiter conuertitur. Petrus currit. Quoddam currens, vel hic currens est Petrus.

Per tertiam verò, quam vocant, *per accidens, conuertitur solummodo vtiliter vniuersalis affirmatiua in particularem affirmatiuam, & vniuersalis negatiua in particularem negatiuam*, vt omnis homo. Nullus homo est asinus. Ergo quidam asinus, vel iste asinus nòn est homo.

Sed *per quintam*, quam vocat Boëtius *per contrapositionem, conuertitur vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua in se ipsas*: & vires habet ex aliis consequentiis. Nã omnis homo est animal. Ergo Nullus homo est non animal. Tum per simplicem conuersionem. Ergo Nullum non animal est homo. Ergo sequitur omne non animal, est Non homo. Ergo de primo ad vltimum, si omnis homo

est animal. Omne non animal est non homo. Sic facies in negatiua. At in vsu duæ priores sunt.

REGVLA.

Vt autem Cognoscantur, versiculum Logici fecerunt hunc.

Ecce tibi, sim: Armigeros ac: Arma Bono, con.

Vbi litera *A*, significat vniuersalem affirmatiuam *E*, vniuersalem negatiuam: *I*, particularem affirmatiuam: *O*, particularem negatiuam. Sensus ergo est, quod simpliciter conuertitur: *Ecce* & *tibi*, id est *E*: *& I*, *in* I; sed per accidens *Armi*, & *Geros*: id est, *A*, *in I*: & O, in O: & per contrapositionem *A*, in *A*: *& O*, in *O*. Solæ enim vocales in hoc versiculo significationem habent.

DIALECTICÆ.

LIBER III.

DE ARGVMENTATIONE.

CAP. I. ART. I.

PROOEMIVM.

QVoniam ex Propositionibus argumentationes constituuntur; illis declaratis, declarandæ istæ manent, ad regulandum intellectum, de notis copulis rerum, & diuisionibus, ad ignotas procedentem.

DEFINITIO.

EST ergo *argumentatio processus intellectus à noto ad ignotum cognoscendum & declarandum & probandum.*

DECLARATIO.

DIcitur *processus* loco generis: quoniam vniuersalius est, & omnem à termino in terminum signat motionem. Dicitur *à noto*, vt ostendamus à quo. Dicitur *ad ignotum*, vt ostendatur ad quem. Dicitur *cognoscendum* in inuentiua, *& declarandum* in doctrinali: additur *ad probandum*, quoniam comparatio & poësis declarant, sed non satis probant. Non autem potest declarari aliquid nisi per lucem clariorem.

Omne vero notum lux est ignoto, quatenus cum illo habitudinem habet, vel similitudinis, vel causæ, vel effectus. Simile

quippe in quantum simile vnum & idem est cum suo simili. Et quatenus idem si notum est vnum, notificat alterũ sibi idem, quatenus idem. Quatenus verò aliud & non idem, non per argumentum scitur, sed per sensum. A causa ad effectum, & è conuerso discurrimus. Quoniam similitudo est, & vnitas aliqua inter eas, alioquin non posset fieri argumentum ab inuicem.

Species Argumentationis secundum Formæ varietatem.

ART. II.

SVnt autem argumentationis species multæ, *Demonstratio*, seu Indicatio; *Inductio*, *Expositio*, *Consequentia*; *Syllogismus*; *Enthimema*, *Redargutio*, & *Examplũ*. Indicatio probat singularem indefinitam, & particularem. Siue negatiuas, siue affirmatiuas. Inductio probat vniuersales, affirmatiuam & negatiuam. Consequentia omnem propositionem: similiter syllogismus. Et Enthimema. Exemplum, singularem confirmat: & destruit vniuersalem. Redargutio extorquet omnem negatam veritatem.

DE INDICATIONE, SEV DEMONSTRATIONE.

CAP. II. ART. I.

Fundamentum scientiæ humanæ esse sensum.

ART. I.

S*Cientia Omnis quidem nobis in hac vita ortum naturalem habet à sensu. Ergò quæ sensui nota sunt, non amplius probantur;* quoniam nulla notior restat ratio; nisi vbi aliquid latet in iis, quæ sentimus, & ex patentibus adhuc latentia peruestigamus.

Quæ ergo sensui nota sunt immediata dici solent, quia carent medio, quo demonstrentur, nam quasi digito indice indicantur. Vt si dico hic homo currit, ostendo eum currere, & nulla probatio requiritur. Nisi fortè ad sciendum qua ratione currit. Vtrum mouente spiritu corporeo, vel incorporeo, & de his physicus considerat.

Accipiunt autem omnes, vt nota, quæ sensu patent, & supponunt tanquam lucem, elementa & media aliorum noscibilium.

Quoniam ergo *singularia sunt sensui notissima*, omnes propositiones per singulares tanquam ad digitum exponuntur, quod & Aristoteles in 2. Post. fatetur, & Telesius contendit esse verissimum. Et nos in p. p. Metaph. contra Peripateticos intellectiuam quoad certitudinem præponentes, redarguimus.

De Syllogismo sensato quo probatur singularis propositio indefinita, & particularis.

ART. II.

M*Edius terminus notus, quo probatur singularis & indefinita, & particularis minus nota, est pronomen demonstratiuum*: vt, ego, tu, nos, vos; hic, ille, iste, nunc, & hic.

Et quoniam ista probatio est syllogismus sensatus: fit rectè ex duabus propositionibus in quarum altera prædicatur subiectum conclusionis, in altera verò prædicatum conclusionis, de pronomine demonstratiuo. Sic enim etiam Mathematici demonstrant ad sensum ex demonstratis quasi digito. vt si debeam probare singularem, Petrus currit, dicam, hic est Petrus, & hic currit. Ergo Petrus currit.

Similiter indefinitam vt iste triangulus est scalenus, & iste habet tria latera inæqualia. Ergo scalenus habet tria latera inæqualia.

Similiter particularem. Vt ego sum aliquis homo, & ego sum Grammaticus: ergo aliquis homo est grammaticus.

Eadem ratione negatiuæ probantur eadem. At si quod negatur est Nonens, demonstrari sensu non potest: sed per suam contradictoriam, vt homo non est Hircoceruus. Dicimus enim: homo est hircoceruus, est falsa. Ergo sua contradictoria, quæ est, Homo non est hircoceruus, est vera. Sed per syllogismum sensatum dicimus, hircoceruus est Ens fictum, & homo est verum. Ergo homo non est hircoceruus. Item hic homo Petrus non est hircoceruus, ergo homo non est hircoc.

Propositiones ampliatiuæ similiter probantur cum nominatione amplitudinis. Vt homo est mortuus sic probatur. Hoc est mortuum, & hoc est, vel fuit homo. Ergo homo est mortuus, &c. hoc quod dicit Euangelium est futurum: & hoc est, vel erit Antichristus. Ergo Antichristus est venturus.

Similiter & disiunctiua, & copulatiua, vt patet & aliæ, quantitatis alicuius de loco & tempore. Vt nunc & hic Petrus est ebrius; & nunc & hic est aliquando, & alicubi: ergo Petrus aliquando & alicubi ebrius est. Et è conuerso. Item Petrus est in platea, aut hodie: sed platea est hic, aut hodie est nunc. Ergo Petrus est hic: vel nunc, &c.

DE INDVCTIONE, qua probatur vniuersalis.

CAP. III. Art. I.

POstquam probauimus particularem & indefinitam & singularem propositiones per indicationem; restat vt probemus vniuersalem per inductionem. Est autem medium inductionis, indicatio singularium, quoniam.

DEFINITIO.

INductio est argumentatio à partibus sufficienter enumeratis ad suum totum vniuersale.

DE-

DECLARATIO.

VT iste Planeta declinat ab Æquatore, & hic alius declinat, & alius similiter, & sic de cæteris septem. ergo omnis planeta declinat.

Et probatio fortissima est, quando omnes partes possunt cõnumerari. Quando verò aliquæ tantũ per illas aliæ iudicantur, quatenus per simile noscimus simile: & ideo ponitur appendix, & sic de cæteris. Vt hic homo est coloratus, & ille, & ille alius, & ille Germanus, & iste Gallus, & Italus hic, & sic de cæteris. Ergo omnis homo est coloratus.

Sic in Negatiua. iste planeta non scintillat, nec ille, nec Saturnus, neque Mars, nec alius quispiam. Ergo nullus Planeta scintillat.

DE EXPOSITIONE,

CAP. IIII.

DEFINITIO.

Expositio est probatio vnius propositionis per clariores, & æquipollentes propositiones.

APPENDIX.

ET quidem vniuersales, & quæ nullius sunt quantitatis, & termini multi sic probantur.

De Vniuersalis Expositione. ART. I.

Probatur vniuersalis propositio exponibiliter faciendo vniuersalem indefinitam; & deinde addendo negatiuam vniuersalem, æquipollentem; & mox concluditur vniuersalis affirmatiua: vt omne malum est abominabile, sic probatur. Malum est abominabile, & nullum est malum, quin illud sit abominabile. Ergo omne malum est abominabile.

In probatione verò negatiua secunda præiacens est affirmatiua, quoad verbum principale, & negatiua solum in subiecto: Vt hæc, Nullum inquinatum intrabit in cœlum, sic probatur, inquinatum non intrabit in cælum; nec reperitur inquinatum vllum, quod intret, vel sit intrans in cœlum. Ergo nullum inquinatum intrat, &c. Et licet Peripatetici hoc non ponant, parum obest.

De Probatione Proposit. nullius Quantitatis.
ART. II.
Regula de Exceptiua.

EXceptiua propria, in qua excipitur pars à toto distributo, Sic probatur, &c. *Si est affirmatiua præiacitur pars excepta cum negatione, & mox fit altera de subiecto vniuersali adiuncta parte exceptiua æquipollente conclusioni.* Vt omnis homo præter Christum peccat. Sic probatur: Christus non peccat, & omnis homo qui non est Christus, vel omnis homo non Christus peccat. Ergo omnis homo præter Christum peccat.

Ex præiacentibus è conuerso affirmatis probatur negatiua, vt nullus homo præter Christum est Deus, sic probatur. Christus est Deus, & nullus homo non Christus est Deus. Ergo nullus homo præter Christum est Deus.

Regula de Exclusiua.

E*Xclusiua, quando cadit supra subiectum exclusio, si est affirmatiua, probatur ponendo ipsam absque nota, & aliam negationem vniuersalem de subiecto exclusiuè negato.* Vt tantum homo ridet, sic probatur. Homo ridet, & nullum ens non homo ridet. Ergo tantum homo ridet.

Negatiua autem *fit dupliciter, aut enim præcedit negatio notam exclusiuam;* vt non tantum homo est animal; *aut subsequitur,* vt tantum homo non est caudatus. *Prima probatur oppositis modis affirmatiue:* vt homo est animal. Et aliud ab homine est animal. Ergo non tantum homo est animal. 2. *Probatur per negatiuas,* vt homo non est caudatus,

& omne animal aliud ab homine est caudatum. Ergo tantum homo, vel solus homo non est caudatus. Aliæ exclusiuæ fiunt. quæ probantur, sic, vti Vniuersalis affirmatiua, vel singularis, alicuius quantitatis, de quibus dictum est prius. Quicunque inspicit sensum propositionis, repente inuenit probationem.

Regula de Reduplicatiua.

R*Eduplicatiua affirmatiua exponitur per tres præiacentes, quarum in prima prædicatur terminus reduplicatus de subiecto. In 2. prædicatum, prædicatur absque illo termino. In 3. Idem prædicatur de termino reduplicato.* Dicitur conditio naturaliter cum termino transcendentali, vel cum negatione æquiualente affirmationi vniuersali, vt Petrus in quantum homo est rationalis. Sic probatur. Petrus est homo, & Petrus est rationalis, & si aliquid est rationale illud est homo, vel non reperitur rationale, quin non sit homo. Ergo Petrus in quantum homo est rationalis. Negatiua, quando reduplicatio non est negata, similiter exponitur, vt homo in quantum homo non est Angelus. Homo est homo, & homo non est Angelus, & si aliquid est homo illud non est Angelus. Ergo homo in quantum homo non est Angelus.

At si negatio præcedit reduplicationem: vt non in quantum homo Petrus est albus; aliter probatur, quoniam *quod conuenit alicui in quantum tale, conuenit omnibus talibus:* ly enim, *inquantum*, præsupponit per se, & vniuersale. Tunc si non est vniuersalis propositio de prędicato, & de termino reduplicato falsa est. Vt Petrus est homo, & multi homines non sunt albi Ergo Petrus in quantum homo non est albus, & quia multi sunt albi, similiter dicas. Ergo in quantum homo non est non albus. Et Caietanus contra Scotum rectè arguit non esse veram hanc: Vniuersalis natura de se, id est, in quantum vniuersalis, non est non prædicabilis. Ergo est prædicabilis. Nam vniuersale præcisum abstrahit ab vtroq; sicut homo ab albo, & non albo.

De Prob. Modalium.
Art. III.

Propositiones verò modales probantur per suas æquipollentias. Modi quoque consimiliter. Facimus enim præiacentē ipsam probandam absque modo, & aliam de modo æquipollenti, & sic concludimus: vt Deus est necessario. Deus est, & non potest esse quin Deus sit: vel impossibile est Deum non esse. Ergo necessariò Deus est: & similiter Antichristus erit, & Adam fuit, quia non potest non futurus ille esse, & iste non fuisse. Et impossibile per necesse probatur, vel per non possibile. At contingenter per possibile & è contra, vt contingenter homo currit. Sic homo currit, & potest non currere. Ergo contingenter currit. Similiter probantur harū negatiuæ, & per suas contradictorias, vt patet.

De Probat. aliquorum terminorum.
Art. IV.

Probat etiam Logici has dictiones, *Differt*, *aliud*, *semper*, *ab æterne*, *Incipit*, *desinit*; & *Comparatiuum*, & *Superlatiuum*, & *Immediatè*: & *Totum*, & *Infinitum*, quæ per se patent.

Vt homo est, & Asinus est, sed homo non est asinus. Ergo differt ab Asino. Ergo est aliud. *Ly aliud, essentialiter semper sumitur, Alius verò suppositaliter in Theologia.*

Immediatè nominaliter sumptum probatur, quoniam inter hæc duo non capit medium, ergo sunt immediata.

Aduerbialiter quando significat tempus, & de præterito sic probatur hæc. Ante hoc instans immediatè fuit pluuia, videl. ante hoc instans præcessit pluuia, & nullum præcessit instans, quando ante illud, vel hoc fuerit pluuia. non valeret tamen, si non datur primū esse, vt Arist. putat.

Quoad Tactum localem consimiliter.

Similiter probatur & negatiua, & de præterito & de futuro.

Quando autem non possunt exponi, si negatio cadat

super aduerbium per contradictoriam probantur.

Ab æterno & in æternum exponuntur per tempus, vt aliæ. Vt ante hoc tempus fuit Deus: & nullum fuit tempus, in quo non fuerit Deus: Ergo ab æterno fuit Deus.

Idem dices de futuro, & è conuerso in negatiua, & aliquando per contradictionem.

Ly semper absolutum probatur per omne tempus, sicut vniuersale per singularia: vt non fuit, neque est, neque erit aliquod tempus vel duratio in quo non sit Deus. Ergo semper est Deus.

Si est respectiuum, vt semper beati fruentur Deo probabitur per præsens & per futurum. Negatiua verò per affirmationem appositam, vt fuit Angelus aliquo tempore, & aliquo non fuit. Ergo non semper fuit. Sic de futuro.

Probatio de toto, & de infinito.

LY *Totum, sumitur categorematicè, & pro eo quod constat ex Partibus: & syncategorematicè pro qualibet parte*; vt tota scriptura est pulchra: ly *tota*, potest de integra simul, & de *qualibet parte* exponi.

Primò sic. scriptura est pulchra, & nulla pars inest illi non pulchra; vel nulla pars pulchritudini illi deest. Ergo tota est pulchra.

2. Similiter, quod autem dicunt sophistæ. *Tota domus minor est domo* captiuncula est, quoniam non potest pro parte sumi idem & pro toto absque aliqua differentiali suppositionis nota.

Infinitum Categorematicum exponitur vt singularis propositio dicitur, exponitur sic. Sidera sunt duo, & tria & quatuor, & sic absque fine. Ergo sunt infinita, & hæc: Corpus est tantum, & non tantum, quin maius. Ergo infinitum. Sed hæc omnia per se patent, si propositiones sint immediatè. Nam semper sumitur Vniuersalis negatiua, quæ erat probanda per singulares inductiones, vt patuit in principio.

De Prob. Desinit & Incipit.

DEsinet, & Incipit, probantur dupliciter, sed semper per duas copulatiuas. Sed vel negatiuam de præsenti, & affirmatiuam de futuro: Vt Sol nunc non est super horizontem, & immediatè post nunc erit. Ergo nunc incipit ascendere horizontem.

Vel per affirmatiuam præsentis, & negatiuam præteriti, vt rosa nunc incipit florere.

Sic etiam desinit, probatur per affirmatiuam de præsenti, & negatiuam de futuro, vt æstas nunc est, & immediatè post nunc non erit. Ergo nunc æstas desinit esse.

Vel per negatiuam de præsenti, & affirmatiuam de præterito; vt nunc non pluit, & immediatè ante hoc nunc pluebat. Ergo nunc desinit pluere.

De Prob. Compar. & Superlat.

ART. V.

COmparatiuus gradus est in æqualitate, vel in magis, vel in minus.

In æqualitate probatur sic, Scotus est subtilis, & Durandus est subtilis; & nihil subtilitatis est in Scoto, quæ non sit in Durando. Ergo Durandus est æque subtilis ac Scotus.

In magis verò sic. Arist. est doctus & Telesius est doctus. Sed Arist. non est æquè doctus, ac Telesius. Ergò Telesius est doctior Aristotele. Tertia autem propositio probatur per inductionem quoniam in hoc, & in hoc dogmate rationabilius iste loquutus est.

In minus verò probatur è contra.

Superlatiuus autem quando est absolutus, vt Deus est potentissimus, exponitur sic. Deus est potens, & nihil est, neque potest esse potentius vel æquè potens illo. Ergo est potentissimus.

Sed respectiuè per tres propositiones probatur, vt Cicero est eloquentissimus orator; sic Cicero est eloquens,

& Oratores sunt eloquentes, & nullus orator est ita eloquens, vt Cicero. Ergo eloquentissimus, ergo oratorum est ipse Cicero.

Similiter etiam fit negatiuè.

COROLLARIVM.

Ex iam dictis patet, probationes terminorum fieri per æquipollentiam aliorum terminorum vel propositionum, & per descriptiones; quod qui scit, regulis non eget; & ad horum similitudinem exponet terminos & propositiones omnes.

De Probat. officiabilis & discriptibilis. ART. VI.

PRobant nunc & Logici per scientiam scibile & per propositiones res significatas, vt ipsi dicunt *officialiter, & discriptibiliter.* Et hæc propositio Deus est, est necessaria. Ergo necesse est Deum esse.

Sic de per se, de per accidens de contingenter probatur ad hominem.

Discriptibilem vocant à mentis actu, non à re, vt scio rosam, sic probatur. Scio aliquid sub ratione qua rosa. Ergo scio rosam, & complexè scio adæquatum significatum huius propositionis. Deus est omnipotens. Ergo scio Deum omnipotentem. Sic de *scio, volo, imaginor,* &c. Quæ puerilia sunt; & tamen exponentibus cunctis obuiam non sunt subito. Et plurimum commentantibus librorum prosunt.

De expositione per causas.

Exponitur aliqua propositio per plures causas quando habet plures causas: vt diximus in consequentiis, vt Petrus febricitat. Ergo vel per humores prauos, vel per iram, vel per laborem, &c. Hæc expositio deseruit diuidenti causas rerum. His & aliis modis possunt exponi. Neque oportet esse superstitiosum in addiscēdis modis, quoniam, *qui res cognoscit rectè, exponit rectè.* Sed ne quid ingeniis desit phisticis: neu conquerantur de nobis, omnia tetigimus.

AMPLIATIO EXPOSITIONIS.

Quoniam, vt inquit Hilarius, *sensus dictorum ex causis dicendi sumendus est*: cum exponitur lex aut priuilegium, aut aliqua scriptura, recurrendum est ad causas, vnde sic dicere moti sunt. Propterea omnis lex primò dicit causam, quare promulgatur, teste Plat. & ex illa sumitur declaratio eius & probatio declarationis. Et tantum & ibi & ita valet Lex, quantum & vbi & quando valet causalis ratio eius. Et ratione eius cessante, ipsa cessat. sic in expositione s. literarum & Poëtarum & Philosophorũ procede. Semper ad sermonem sensumque formalem respiciendo, hoc est, ad intentionem dicentis, quod ex suppositionibus terminorum, ex causis dictorum, & aliis iam dictis regulis innotescit. Errant autem ex formali ad materialem, & à simpliciter & per se ad secundum quid & per accidens, & è conuerso incurrentes: vt insulsis concionatoribus vsurpatur.

DE CONSEQVENTIA.

DEFINITIO. ART. I.

Consequentia est propositio composita ex duabus, quarum altera ex altera dependet, & per illatiuam notam perficitur.

DECLARATIO.

Dependentia Consequentis ex Antecedente dicitur propriè consequentia, & ideo requirit connexionem inter eas, vel causalitatis, vel similitudinem essentialem, vel accidentalem, vel simul esse ipsarum significata in tempore vel loco, vel subiecto, vel aliquo modo, vnde possit fieri illatio.

REGVLA.

Signum autem consequentiæ bonæ est, quando oppositum consequentis ita repugnat Antecedenti, vt simul stare nequeant: sicuti

ſicuti Petrus currit, ergo mouetur: Non enim qui non mouetur poteſt currere. *Mala autem eſt, cum oppoſitum conſequentis antecedenti eſt compoßibile*: Vt Petrus currit. Ergo pluit. Nam poteſt currere quando non pluit. Non ergo inferebatur conſequens ex Antecedente, licet verum eſſet.

NOTAB.

Poteſt enim veri eſſe, Antecedens & conſequens: & ſimul conſequentia eſſe falſa. Et ideo dicitur alia eſſe veritas conſequentiæ, alia conſequentis apud Logicos: vt ſi homo eſt Aſinus eſt rudibilis, vera eſt conſequentia: falſum autem eſt Antec. & conſeq.

De Conſequentia æquipollentiæ.

FIT autem conſequentia bona, vel ex propoſitionum conſimilitudine, vel ex rerum connexione. Ex propoſitionum conſimilitudine fit illa, quæ vocatur Æquipollentia à Peripateticis. Quarum regulæ tres poſitæ ſunt in categoriis, notæ hoc verſu.

Præ Contradic: Poſt contra. Præ: Poſtque ſubalter.

Et quatuor in Modalibus, notæ in his dictionibus. *Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea.*

De Conſequentia Conuerſionum.

ART. II.

DE Conſequentiis Conuerſionum dictum eſt in præcedenti ſermone, *quoniam per ſimplicem, & per accidens fit vtilis conuerſio*: Itavt valeat ab altera ad alteram conſequentia, & notatur in verſiculo.

„ *Ecce tibi, ſim. Armigeros, ac. Arma. Bono, Co.*

Igitur eas nunc pertranſire oportet.

De Consequentiarum Connexione, Vi, & regulis.

Art. III. Reg. I.

QVoniam Consequens ex antecedente infertur, consimiliter e habeant oportet in bona Consequentia ita circa veritatem, & falsitatem, & necessitatem, & impossibilitatem, & contingentiam; & concesso Antecedente vel negato, concedendum est, vel negandum & consequens.

Regvla 2.

ITem quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, & quidquid antecedit ad antecedens antecedit ad consequens: Idcirco plurimæ fiunt consequentiæ inter primam & vltimam, si benè formentur omnes: Ita quod de prima ad vltimam valet processus: & hoc diximus in exordio prædicamentorum. Si enim homo currit; & Corpus, & substantia, & Ens. Item si Petrus currit: Ergo & animal, &c. & quoniam distinctio de Prædicatis substantialibus, & accidentalibus hic superflua est: satis fit nosse bonam consequentiam, cuius consequentis oppositum repugnat Antecedenti. Sic enim omnes regulæ patent, cum enim dicunt.

Regvla 3.

QVod ab inferiori ad suum superius per se affirmatiua sine distributione, & signo immobilitante in suppositione reali, valet consequentia: Omnes hæ conditiones ab illa vna euacuantur: Idcircò enim non valet negatiua. Quidam homo non currit, Ergo nullum animal currit; quoniam oppositum consequentis stat cum antecedenti. Neque si Petrus est asinus est rudibilis. Ergo si est animal, est rudibilis: neque si homo est byssyllabus: ergo animal est byssyllabum.

REGVLA 4.

Item ab inferiori ad superius negatiuè, sed præposita negatione; non valet: postposita, valet. Aliquis homo non currit. Ergo aliquod animal non currit valet. Non autem si dicam, non aliquis homo currit. Ergo non aliquod animal currit. Neque si addas distributiuum. Omnis homo non currit, Ergo omne animal non currit: & hæc patent ex regulis suppositionum, & ex definitione consequentiæ.

REGVLA 5.

Item à superiori ad inferius sine distributione non valet. Valet autem cum distributione: non valet autem sine distributione tam negatiuè, quam affirmatiuè. Hoc patet ex iisdem quoniam si Animal currit non propterea homo currit. At si omne animal sentit, ergo & homo. Item si nullum insensatum est. Ergo neque homo.

REGVLA 6.

Item in propositionibus quantis de eisdem subiectis prædicatis, & copulis valet consequentia ab vniuersalibus quibuscumque ad particulares per regulas subalternarum in omni materia.

Sed ab indefinita ad particulares & singulares, non valet in materia contingenti; in cæteris valet.

Sed disiunctiuè semper valet in omni materia. Si enim homo currit. Ergo, vel iste, vel ille, &c.

Sed à particulari ad indefinitam, & è contra, valet in omni materia.

In necessaria, & impossibili valet à subalternis ad subalternantes, & à singularibus enumeratis, vt infra patebit.

De Consequentia Propositionum non Quantarum.

ART. IV.

Fiunt etiam consequentiæ ex propositionibus non quantis, & primò in exclusiuis.

De Consequentiis Exclusiuarum.

HAS constituimus ex notis syncategorematicis, *Tantum, Solum, Solummodo, præcisè, & ex nomine solus*, dumtaxat.

1. Et possunt excludere à subiecto, & tunc solent præponi, vt tantum homo est risibilis.

2. Et à prædicato, & postponitur, vt homo tantum est animal.

3. Et àconditione prædicati, vt homo est animal solummodo quoad corpus.

REGVLA 1.

SI *tertio modo sumitur specificatiuum est*; vt Æthyops est albus secundum dentes. Et tunc non valet consequentia. Ergo est albus. Sed ergo dentes Æthiopis albi sunt, vel, ergo aliquo modo est albus.

REGVLA 2.

SI *2. modo valet consequentia negatiua ad alia prædicata*: vt oleum est tantum liquor. Ergo non est raritas, aut durities, *sed non valet negatio super subiectum.* Ergo solum oleum est liquor: quoniam etiam aqua est liquor.

REGVLA 3.

SI *primo modo, in propositione vera valet consequentia* ad suam vniuersalem affirmatiuam terminis transpositis: vt tantum homo est rationalis. Ergo omne rationale est homo. Sic & in obliquo, vt solius vel tantum hominis est vti pecunia. Ergo omnis vsus pecuniæ est hominis; quoniam ly tantum, licet super subiectum orationis connectitur.

De Consequentiis Exceptiuarum.

EXceptiuæ autem sunt notæ *Præter*, & *Nisi*, sed quando ly *præter*, sumitur pro *sine*, & pro *vltra*, non est exceptiua, sed quando excipit aliquid à toto, vel communi: neque nisi quando sumitur pro *si*, non conditionaliter. Sed quando capitur exceptiuè. De his ergo est regula sequens.

REGVLA.

AB exceptiua uniuersali negatiua ad suam exclusiuam affirmatiuam: & ab exceptiua affirmatiua ad exclusiuam sibi correspondentem negatiuam, valet consequentia: vt nullus homo præter Christum est bonus. Ergo solus Christus homo est bonus. Et omnis homo mendax præter Christum: Ergo tantum Christus est homo non mendax, vel non est homo mendax.

NOTANDVM.

REgulæ autem à superiori ad inferius patent ex supradictis in suppositione, & cæteris passionibus propositionum.

De Conseq. Reduplicatiuarum.

Regula I.

A Reduplicatiua affirmata ad suam negatiuam de opposito, valet consequentia: Vt homo in quantum, homo est rationalis; Ergo non irrationalis.

Sed si quatenus homo non est albus, non valet, ergò est niger homo: neque ergo non albus, quatenus homo.

Regula 2.

VAlet etiam ab omni reduplicato ad vniuersalem: vt si homo quatenus homo est rationalis: Ergo omnis homo est rationalis: & si homo, quatenus albus, est coloratus, aut disgregat visum: Ergo omnis albus est coloratus, aut disgregat visum.

De Consequentiis inter opposita.

Regula I.

COnsequentiæ dissimilium sic se habent, *ab diuerso vel disparato, vel differente ad aliud negatiua valet consequentia, & non è conuerso:* vt Petrus est homo. Ergo non est asinus: non est linea, non est albedo. Sed non valet, non est asinus, non albedo, non linea: ergo est homo. Eadem regula valet in contrariis, vt tu es albus: Ergo non es niger. Sed non è conuerso: tu non es niger: ergo es albus,

quia potes esse rubens. At quando contraria carent medio: valet, vt hic numerus est par: Ergo non est impar, vel non est impar; ergo par.

Regula 2.

IN Conuertibilibus ab vno ad alterum valet consequentia mutua, seruata eadem quantitate, qualitate, & suppositione orationum: vt homo currit ergo risibile currit; & è contra. Similiter homo non currit: ergo nec risibile currit, & è conuerso.

Regula 3.

IN correlatiuis valet semper consequentia affirmatiua, & negatiua quoad esse Ad: in propositionibus significantibus existentiam tantummodo, quas vocant de 2. Adiacente; vt Dominus est, Ergo seruus est: & è contra: & similiter negatiuè, & filius est; ergo habet patrem, & è contra.

Regula 4.

IN Priuatiuis valet consequentia de priuatiuo termino ad infinitatum affirmatiuè, sed non è contra: vt Petrus est iniustus: ergo est non iustus: At si catulus est non videns, non sequitur; ergo est cæcus.

In negatiuis autem non valet; vt lapis est non videns. Ergo non est videns, seu cæcus, propter rationem dictam in p. lib. de dissimilitudine.

Regula 5.

ITem ab indefinitato ad negatum terminum valet Consequentia: vt lapis est non homo: ergo non est homo: & è contra ritè facta.

Aliæ Regulæ proficuæ.

ART. VI.

Regula I.

ITem à Propositione quacumque de 3. adiacente ad propositionem de secundo, valet consequentia: Vt sroa est corpus;

ergo est. Nam si res imaginabilis est, in imaginatione saltem est. Si realis; est in natura rerum, saltem in tempore suo, vt Mille mundi sunt imaginabiles: ergo mille mundi sunt in imaginatione. Rosa est flos: ergo in tempore suo est; & similia.

Regula 2.

I*Tem à causa ad effectum proprium, & contra valet consequentia*, vt sol est in Cancro: ergo incipit æstas. Incipit æstas, ergo sol in Cancro.

Sed quando eiusdem rei possunt esse plures causæ, valet disiunctiuè: vt pulsus alteratur, ergo vel ab ira, vel potu, vel inedia, vel ab humoribus infestantibus, &c.

ADMONITIO.

DE Consequentiis secundum expositionem, & descriptionem terminorum, & Definitionem in suis locis patet doctrina; si enim hic omnes consequentias poneremus omnes mundi argumentationes aggregaremus. Quoniam in omnibus est consequentia. Sed de Hypotheticis non dicere possumus modo nullo.

De Consequentiis Complexarum Propositionum, & Hypotheticarum.

ART, VII.

De Copulatiuis. Regula 1.

I*N Copulatiuis à tota affirmatiua diuisiua ad partes singulas valet consequentia*; vt ego dormio, & cor meum vigilat: ergo ego dormio: & ergo cor meum vigilat.

Regula 2.

Sed non valet à negatiua, Non ego dormio, & cor vigilat: ergo ego dormio.

Regula 3.

Neque à parte ad totum valet, neque Collectiuè: Petrus trahit nauim, & Paulus. Ergo Petrus trahit.

Regula 4.

Item à toto copulato ad partem quamlibet valet consequentia

affirmatiua: vt Petrus & Paulus comedunt. Ergo Petrus comedit; ergo & Paulus.

Regula 5.

Sed non Collectiuè Petrus, & Paulus sunt duo. Ergo Petrus est duo.

De Consequentiis Disiunctiuarum.

Regula I.

IN *disiunctiuis à parte principali ad totum valet consequentia affirmatiua*: vt paries est albus: Ergo vel paries est albus, vel paries est niger; *quoniam ad veritatem disiunctiuæ, sufficit veritas alterius partis.*

Regula 2.

Sed non valet à toto ad partem. Paries est albus vel niger. Ergo est albus.

Regula 3.

A tota disiunctiua affirmatiua cum destructione vnius partis ad positionem alterius valet Consequentia: vt homo est rationalis, vel irrationalis: non irrationalis: Ergo rationalis.

Ratio 4.

Sed cum quis dicit, tu es Asinus, vel non Asinus; sed non asinus: Ergo Asinus. Nihil concludit, quoniam à positione ad positionem arguit. Debebat namque dicere, sed tu non es asinus: ergo Asinus: & quia illa est falsa, ergo & hæc.

Regula 5.

A Copulatiua ad disiunctiuam affirmatiuam non valet consequentia, neque è conuerso.

Valet tamen negatiuè in singularibus contradictoriis: vt tu non es homo, vel tu non asinus: ergo non es homo, & asinus, & non tu es homo, & tu es asinus: ergo tu non es homo, vel tu non es asinus.

De Consequentiis Conditionalium.

Regula I.

IN *Conditionibus affirmatiuis à positione Antecedentis ad positionem consequentis, & à destructione consequentis ad destructionem Antecedentis, valent consequentiæ, sed non è contra, nisi in conuertibilibus*: vt si tu curris: ergo moueris. Sed curris ergo moueris: sed non dices, moueris: ergo curris.

Regula 2.

In Conuertibilibus autem valet; semper enim dices, si est homo, ergo rationalis, sed est rationalis ergo homo.

Et non est rationalis, ergo non est homo.

Et est homo ergo rationalis; & non est homo: ergo nec rationalis, vt patet.

Regula 3.

In negatiuis verò Consequentiis hæ regulæ non valent, præterquam in Conuertibilibus gratia materiæ.

De Conseq. in Comparatiuis.

Regula I.

QVoniam *comparatio est inter similia, & in quo similia sunt vnum: valet semper consequentia, si fiat in eo, in quo similia.* Sicut Petrus est homo, ita nix est alba: sed Petrus est homo per humanitatem: ergo nix alba per albedinem. Iecur est calidum sicut, sed non quantum cor: ergo calefacit sicut, sed non quantum cor.

Comparatiua Consequentia non valet inter similia in quo non similia; vt pater est Deus & generat Verbum: & filius est Deus, ergo generat Verbum, non valet: quoniam pater paternitate generat non deitate.

De Conseq. in temporali & locali.

Regula I.

IN *temporali autem, & locali consequentia valet à posititione & destructione tam Antecedentis, quam consequentis*: vt quando sonat audimus: Nunc non audimus, ergo non

ſonat. Nunc non ſonat: ergo nunc non audimus. Nunc ſonat, ergo nunc audimus. Vbi eſt theſaurus tuus ibi & cor tuum, ſed theſaurus in cœlo, ergo & cor in cœlo. Sed non eſt cor in cœlo: ergo neque theſaurus in cœlo, &c. ſed iſta ad ſyllogiſmos, in quibus & cauſales melius patebunt.

DE SYLLOGISMO INTELLECTIVO.

CAP. VI.

De Fundamento Syllogiſmorum, & de Quidditate, & Forma ipſorum.

ART. I.

CONſtitutis propoſitionibus particularibus, & vniuerſalibus affirmatiuis, & negatiuis, & per ſenſum inſpectis & approbatis. Nunc quo pacto ex his propoſitionibus alias iterum probemus, dicere oportet per ſyllogiſmum intellectiuum.

DEFINITIO.

SYllogiſmus eſt oratio perfecta complexa tribus terminis & duabus propoſitionibus: ex quibus poſitis, & ritè ordinatis, neceſſe eſt couclusionem euenire.

DECLARATIO.

POnitur *oratio perfecta* loco generis.

Dicitur *complexa* ad differentiam ſimplicis. Eſt enim oratio copulatiua ex qua ſequitur illatiua. Dicitur *ex tribus* quoniam probatur ſemper prædicatum de ſubiecto, hoc autem fit per aliquid certius & notius, quod vocamus medium. Ex tribus ergo terminis conſtat hæc argumentatio, *Quorum primus vocatur maior extremitas, ſecundus id eſt, prædicatum, minor extremitas. Mediuſque terminus dicitur ille, cuius virtute, & lumene innoteſcit, & probatur prædicatum de ſubiecto.*

REGVLA.

SEmper Medius terminus conuenit cum subiecto & prædicato in argumento affirmatiuo, nam ex quo *conueniunt in tertio prædicatum & subiectum, conueniunt inter se.* Et hoc est fundamentum omnis discursus, quoniam simile vtrisque est id, in quo conueniunt. *Simile autem in quantum simile est vnum suis similibus.* Idcircò *notificat sua similia, quia se ipsum offert notum, quod est ipsa quoque similia.*

In negatiua verò probanda, oportet inuenire medium, quod conueniat subiecto solum, & disconueniat prædicato, vel è conuerso. Si enim *in tertio dissimilia sunt; sunt inter se.* Ergo syllogismus est oratio significatiua discursus intellectualis, & fit ex tribus propositionibus. Nam *in prima quæ dicitur Maior, medius terminus copulatur cum subiecto: in secunda quæ minor, cum prædicato: in tertia quæ dicitur conclusio concluditur prædicatum de subiecto virtute illorum, quæ vim habent à medio replicato cum subiecto & prædicato.* Dicitur *positis & ritè ordinatis.* Quoniam.

De quatruplici forma Syllogismorum: quas figuras similitudinariè dicunt.

ART. II.

QVatuor modis contingit fieri copulationem medij termini cum maiori & minori extremitate, in maiori & minori propositione, ac proinde configurari ad inuicem, & ordinari ad conclusionem.

Aut enim fit subiectum in maiori, & prædicatum in minori; & sic oritur prima figura syllogisandi.

Aut fit prædicatum in vtraque; & sic oritur secunda figura.

Aut fit subiectum in vtraque: & sic nascitur tertia figura.

Aut fit prædicatum in maiori, & subiectum in minori, & oritur quarta figura. Quam Peripatetici non norunt: sed Galenus non ignorauit.

Vtque memoria teneatur dispositio figurarum hunc disticon apponimus.

„ *Sub. Prę. prima.* Bis *Prę. Secunda. Tertia bis Snb.*
„ *Prę, Sub, Quarta facit. Quinta nec vlla datur.*

Hoc est prima figura facit medium terminum subiectum maioris, prædicatum minoris. Secunda bis prædicat medium in prima & secunda. Tertia bis subiicit in eisdem Quarta prædicat in maiori, & subiicit in minori, &c.

De Modis figurarum variis.

Art. III.

QVoniam verò ordinamus syllogismos ita, vt non nisi verum ex veris, & falsum ex falsis concludatur: & non omnimodo in omni figura id rectè fit; inuenti sunt modi cuilibet figuræ vtiles. Quos ergo his dissimiles inuenies, inutiles ad formam syllogismi dices.

Et licet Peripatetici putent, ex falsis concludi posse verum, sed non è contra. Hæc assertio mihi non arridet. Quoniam non ex notitia, & virtute falsarum oritur conclusio vera. Nam & illis non positis melius sequitur. Sed ex figura veritatis videtur ita sequi & ex suppositione. Vt omnis asinus est homo. Petrus est asinus: ergo Petrus est homo. Dicitur, *Rite ordinatis.*

Regulæ conficiendi modos in figura continentur his versibus.

1 *Partibus ex puris sequitur nil*, 2 *siue negatis.*
3 *Si qua præit partis*, *sequitur Conclusio partis.*
4 *Si qua negata prẹit*, *Conclusio sitque negata.*
5 *Lex generalis erit : medium concludere nescit.*
6 *Vniuocúsque* 7 *triplex*, 8 *ac idem terminus esto.*

DECLARATIO.

HOc est, ex puris particularibus, Vel negatiuis præmissis, non sequitur conclusio, quoniam particulare

ex particulari non probatur, neque negatur aliquid de aliquo, nisi per id, quod habet aliud, deficitque illi.

Item si aliqua præmissarum est particularis, vel negatiua, etiam conclusio erit particularis, vel negatiua: quoniam vniuersale ex particulari, & affirmatiua ex negatiua non sequitur, vt patet in Metaphys.

Item medius terminus non intrat conclusionem, & non est eius pars probata, sed probans.

Item termini debent esse tres vniuoci, semper idem supponentes: alioquin essent virtualiter quatuor, vel plures.

Declaratio Modorum.

ART. IV.

OMnes modi concludunt, aut vniuersalem affirmatiuam, aut vniuersalem negatiuam, aut particularem affirmatiuam, aut particularem negatiuam. In his modis ponuntur literæ vocales, id ipsum significantes. A, namque significat vniuersalem affirmatiuam, E, vniuersalem negatiuam, I, particularem affirmatiuam, O, particularem negatiuam. Ideo quatuor sunt modi principales in prima figura. Alij verò reducnutur ad eos per conuersionem vt patebit. Omnes his versibus exprimuntur.

1 *Barbara, Celarent, Darij, Ferio.* * *Baraliptun,*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frismesorundul.
2 *Cesare, Camestres, Festino, Barocho.* 3 *Darapti,*
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison.
4 *Balnama, Carmente, Dinami,* Fimeo * Bolamiptu,
Cangemops, Diramis, Fesarpo, Fesistro. valebunt.

Quatuor primos modos Arist. posuit, Reliquos addidit Eudemus, & Theophrastus, & Boëtius. Quartam figuram; licet a Galeno inuentam dicant, nos primi ordinauimus: & nouem eius modos vltimos formauimus. Neque enim quarta dispositio trium terminorum debuit

quarta carere figura, & mutilari ſcientia.

De Formatione Syllogiſmorum in modis directis primæ figuræ.

Art. V.

Omnis modus habet tres ſyllabas. Nam quintus, & nonus, & vigeſimus quartus concinnandi carminis gratia ſyllabas ſuperaddunt. In omni ſyllaba eſt vna vocalis, quæ ſignificat aut vniuerſalem, aut particularem affirmatiuam, vel negatiuam, prout expoſuimus. Si ergo debes probare vniuerſalem affirmatiuam, ſtatim occurrit, Barbara, in prima figura. Sit v. g. Omnis aqua eſt tranſpicua, quam probare volumus: tunc oportet inuenire medium terminum, qui aquæ & tranſpicuitati conueniat. Hic autem eſt liquor, videmus enim res liquidas eſſe fluidas & tranſpicuas, tunc ſic diſponas in prima.

Bar | *Omnis liquor eſt tranſpicuus.*
ba | *Omnis aqua eſt liquor:*
ra | *Ergo omnis aqua eſt tranſpicua.*

Similiter ſi probanda erit particularis affirmatiua, occurrit. Darij. ſit hæc.

Quidam homo eſt monoculus. tunc inuenire oportet medium vtrique congruentem. Sit carens vno oculo medium: tunc dies.

Da | *Omne carens vno oculorum eſt monoculus:*
ri | *Quidam homo caret vno oculorum:*
i | *Ergo quidam homo eſt monoculus.*

Vbi patet ſubiectum in maiori fieri prædicatum in minori; & in concluſione maior extremitas de minori concluditur.

At ſi negatiua vniuerſalis ſit, nullus triangulus eſt quatratus, tunc oportet inuenire modum vniuerſale, qui conueniat triangulo, & non quatrangulo: ille enim oſte-

dit triangulum non esse quatrangulum, vt autem fiat hoc reperiamus modum, qui est *Celarent*: medius autem est habens tres.

Ce	*Nulla figura habens tantum tres angulos est quatrata:*
la	*Omnis triangulus habet tantum tres angulos:*
rét	*Ergo nullus triangulus est quatratus.*

Idem facies, si particularis negatiua est probanda; vt quidam homo non est albus, reperto medio, quod homini conueniat, & non albo. Sit ille, Æthyops, qui est homo, & non albus. Tunc sic disponas in ferio.

Fe	*Nullus Æthyops est albus:*
ri	*Quidam homo est Æthyops:*
o	*Ergo quidam homo, non est albus.*

De modis indirectis in prima figura.

ART. VI.

SIC fiunt syllogysmi directè concludentes in prima figura. Sunt autem & alij eiusdem figuræ, qui indirectè concludunt, hoc est, non fit in conclusione maior extremitas prædicatum minoris, sed è conuerso: vt patet in quinque modis reliquis primæ figuræ *Baralipton.* In qua probatur particula affirmatiua, vt partes ex tertia syllaba; & sic concludit.

Ba	*Omnis stella est in cælo:*
ra	*Omnis planeta est stella:*
lip	*Ergo quoddam ens in cælo est planeta.*

Debebat autem potius concludere directè: ergo quidam planeta est in cælo.

De Reductione omnium modorum ad quatuor modos primę figurę per conuersionem.

ART. VII.

SED aduerte, quod omnes syllogismi indirectè concludentes, & alij syllogismi aliarum figurarum directi reducuntur ad quatuor primos modos iam dictos primæ figuræ hac lege, quod omnes incipientes ab B reducuntur in *Barbara*, ab *C*, verò in *Celarent*: ab *D*, in *Dary*, ab F, in *Fero* per Conuersionem. Vt autem scias quæ ex tribus propositionibus sit conuertenda: & quomodo: interpositæ sunt quatuor literæ. S. P. M. C. quoties ergo post aliquam vocalem vides vnam ex his literis, intellige propositioné, ab illa vocali denotatam, conuerti oportere per conuersionem ab illa litera designatam. Nam S, significat conuersionem simplicem, id est transpositionem subiecti in prædicatum, non mutata qualitate, neque quantitate. P, per accidens mutata quantitate. M, significat transpositionem propositionis, vt Maioris in minorem, & è conuerso; & aliquando conclusionem transponit. At si adsunt duæ literæ, duplici conuersione illam propositionem egere indicant.

Ergo conuertitur *Baralip in Barbara*, conuertendo conclusionem particularem affirmatiuam in vniuersalem affirmatiuam mutata quantitate, & transpositis terminis, quoniam post I, sequitur P. Vt *Omnis stella est in cœlo*. Et quia concludebat: Ergo quoddam ens in cœlo est planeta. Nunc concludit: Ergo omnis planeta est in cœlo.

Idem facies de reliquis modis primæ figuræ. Nam *Celantes*, conuertitur ad *Celarent*. Simplici conuersione, conclusionem in directam conuertendo. *Dabitis*, ad *Dirÿ*, simpliciter. *Fapesmo*, ad *Ferio*, conuertendo minorem simpliciter, quia sequitur *S*, & faciendo eandem simul maiorem, quia sequitur M sic procedes in *Frisinesorundul*, Quem Peripatetici imperitè vocant *Friiesomorum*, tum quia additur *O*, faciens confusionem: tum quia non po-

test

test fieri conuersio eius ad *Ferio*, simpliciter, stante literarum positura, vti iacet.

APPENDIX.

VT conuersiones è memoria non labantur cape sequentes versus.

1 *Simpliciter verti vult S*, 2 *P*, *vero per Acci.*
3 *M*, *vult transponi*, 4 *C per impossibile duci.*
Quid sit per impossibile duci, mox videbimus.

De Syllogisandi ratione in modis secundæ Figuræ.

Art. VIII.

SEcunda figura, in qua prædicatur medius in maiori & minori: quatuor habet modos. *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*, concludentes directè: Et in eis nulla maior propositio est particularis neque conclusio vlla affirmatiua; & semper altera præmissarum modò est affirmatiua altera negatiua. Inuenies autem medios terminos, vt in prædictis. Exemplum.

Ce	*Nullus lapis est mollis:*
sa	*Omne lubricum est molle:*
re	*Ergo nullum lubricum est lapis.*

Conuertitur ad *Celarent*, si prima conuertatur conuersione Simplici veluti S, post primum E, indicat, sic; *Nullum molle est lapis*: tunc sequitur minor, & conclusio vt iacent: *Omne lubricum est molle. Ergo nullum lubricum est lapis.* Idem seruabis in cæteris modis, excepto *Baroco*, qui conuertitur ad Barbara per impossibile.

De Conuersione per impossibile.

Art. IX.

COnuersio per impossibile est, cum accipitur contradictorium Cõclusionis, & fit minor proposito & con-

cluditur minoris opposita.

Ba	*Omne lignum est flexibile:*
ro	*Quidam lapis non est flexibilis:*
co	*Ergo quidam lapis non est flexibilis:*

Bar	*Omne lignum est flexibile:*
ba	*Omnis lapis est lignum:*
ra	*Ergo omnis lapis est flexibilis.*

Vbi patet Delirium sophistarum; si enim non reducibilis, nisi cum falsitate, palam est, quod talis conuersio non erat acceptanda.

De Tertiæ figuræ Syllogismis, & modis.

ART. X.

TErtia figura habet sex modos *Darapti Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferison;* in quibus non concluditur vniuersalis, neque datur minor negatiua; vt rectè prodeat conclusio, & subiectum in maiori, subiicitur etiam in minori; vt,

Da	*Omnis filius habet patrem:*
rap	*Omnis filius est genitus:*
ti	*Ergo quidam genitus habet patrem.*

Conuertitur hæc ad *Darij:* Si minor in suam particularem conuertatur, sicuti P, post secundum A, indicat. *Vt omnis filius habet patrem: Quidam genitus est filius, ergo quidam genitus habet patrem.* Idem fiet in reliquis modis, vt caracteres admonent, præterquam in *Brocardo*, qui conuertitur per impossibile, sumpto opposito Conclusionis pro minore, & relicta minore, vt iacet, & concludendo oppositum maioris.

De Quarta figura: & modis in ea Syllogizandi.

ART. XI.

QVarta figura quatuor habet modos primos *Balnama*, *Carmente*, *Dinami*, *Fimeo*; qui reſpondent quatuor primis primæ figuræ, & concludunt æquè bene ac illi, quamuis indirectè reſpectu illorum, propterea minime eſſent reducibiles, ſed tamen ad vſum ſcolarium reduximus omnes per tranſpoſitionem minoris in maiorem. Idcirco M, intexuimus. *Balnama*, ad *Barbara*, ſic reducitur minori facta maiore.

Bal	*Omnis arbor eſt frondifera:*
na	*Omne frondiferum germinat:*
ma	*Ergo omnis arbor germinat;*

Reductio ad Barbara.

Bar	*Omne frondiferum germinat:*
ba	*Omnis arbor eſt frondifera:*
ra	*Ergo omnis arbor germinat.*

Idem ſeruabis in cæteris reducendis ad alios modos eiuſdem literæ.

Quinque alios modos concludentes directè pariter, ſicut regula monet.

CORRECTIO.

HOC tamen ſciendum, quòd directio quartæ figuræ contrariatur directioni primæ. Nam in prima directi ſunt, cum maior extremitas prædicatur de minori in concluſione: in quarta verò ſunt directi modi, in quibus minor prędicatur de maiori;& propterea quatuor primi modi huius figuræ dicuntur indirecti reſpectu primæ. Reliqui verò directi. At ſecundum ſe quatuor primi ſunt directi; ſexque reliqui indirecti.

Defensio quartæ figuræ.

Art. XII.

NEque hanc dicant esse superfluam. Si secunda & tertia non sunt frustrà. Nam quot modis configuratur medius terminus tot oportet esse figuras. Item sæpissime apud philosophos, & Theologos fiunt syllogismi in quarta bene concludentes sicut in aliis figuris: ita v necessariò sequatur conclusio ex præmissis: & naturaliter, quidquid dicat Auerr. Et quamuis alij Peripatetici dicant sufficere regulam antepraedicamentalem loco huius figuræ. Hoc dicunt ex superstitione, qua venerantur Aristotelem, & nolunt plus posse inueniri, quam quod ille. Profectò sufficiunt regulæ consequentiarum, etiam ad omnem probationem, nec propterea frustra est syllogismus. Item ista regula, quidquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiam de subiecto, limitibus mille indiget, & sufficit pro primo huius figuræ tantum, non tamen pro cæteris, vt palam est exercitatis. Item truncata esset scientia de syllogismo. Si tres termini quatruplicitcr possunt configurari, & non nisi tres sunt figuræ.

ANIMADVERSIO.

PAralogismi autem fiunt innumeri, quando non seruantur prędicti modi in his figuris, & regulæ præiactæ: neque decet nos in illis terere tempus.

De aliis generibus, Syllogismorum non simplicium.

Art. XIII.

SYllogismos modales ad categoricos aduerbialiter reducemus simplices: sic & hypotheticos: quibus plurimum vtuntur sophistæ. Semper autem considerabimus verbum principale affirmandum, vel negandum, & resumptionem modificationis. Vt si dicas, omne animal si est rationale est homo. Omnis asinus est animal; ergo est homo. Non valet. Sed dices, Omnis asinus est animal

ergo est homo, si est rationabilis. Sed Conclusio nihil ponit cum sit conditionalis. Neque valet cum modo mutato, vt possibile est omnem hominem currere. Ergo necesse est Petrum currere. Nam licet sit homo necessariò, non tamen currit necessariò. In his seruandæ sunt regulæ suppositionum; & consequentiarum, & probationum aliarum & æquipollentiarum, & conuersionum, idcircò nolo immorari.

De Argumento Redargutiuo.

ART. XIV.

DAtur etiam syllogismus ducens ad impossibile, quo plurimum vtuntur Mathematici & Theologi; in quo ex dictis ab aduersario concluditur aliquod falsum, & ex hoc, quod conclusio est falsa, reuertimur ad probandum aliquam, vel omnes præmissas esse falsas. Vt contra Aristot. ponentem res plurimas fieri à casu præter prouidentiam, sic procedatur. Si fiunt aliqua in mundo sine prouidentia: ergo autor mundi Deus est sine prouidentia. Sed hoc est falsum: ergo & antecedens ex quo sequitur. Sicque fiat in forma syllogistica, sic redarguitur. Omnis causa cuius effectus sunt à casu, est sine prouidentia. Sed per te multi effectus sunt in mundo à casu. Ergo eius causa Deus, est sine prouidentia. Sed hoc est falsum, ergo & aliqua præmissa: non prima ergo secunda.

Argumentum ex concessis & dictis Aduersariorum est in Theologia valde proficuum: sicut Goliam suo gladio confodere: Et propterea Plato arguit semper petendo.

DE ENTHIMEMATE.

CAP. VII.

DEFINITIO.

ENthimema verò est syllogismus truncatus, in quo tacetur vel maior, vel minor, quoniam est notissima.

DECLARATIO.

VT omnis homo eſt animal. Ergo Petrus eſt animal. Nam ſecunda, Petrus eſt homo, patet. Et ſic loquuntur Philoſophi notiſſimas ſubticentes, & ſubintelligentes. At oportet Tyrones prius exerceri in formatis ſyllogiſmis.

DE EXEMPLO.

CAP. VIII.

DEFINITIO.

E*Xemplum eſt aliquid oſtendere de vno ſingulari per aliud ſingulare, in quo idem prædicatum ineſt.*

DECLARATIO.

ET valet ex vi ſimilitudinis, & Idealis cauſæ. Ergo quo ſimilius eſt alterum alteri, eo validior eſt argumentatio. Vt *Piſiſtratus, concesſo ſibi lictorum ſatellitio in Athenis, Tyrannidem occupauit. Ergo & Follerius Venetiis ſi ſatellitio donabitur fiet tyrannus.*

De Exemplo Oratorio & Poëtico.

Et hoc argumento vtuntur Oratores.

Et quo plura exempla & conſimiliora confarcinant, eo magis mouent auditores. Nam ſi Chriſtianis proponis exemplum Turcarum, minus moues. Et ideo Tragediæ & Comœdiæ, quibus præpoſterè acuti Poëtæ mouent auditores ab exemplis, & docent; debent à ſimilibus procedere: & magis à certis, quam à fabuloſis. Tota Poëtica eſt argumentum ab exemplo.

Licebit autem per fabulas fingere exempla veriſimilia, vbi deſunt vera.

Et vbi timetur, ſi veritatem propalabis.

Aut vbi non perſuadetur, niſi exemplis ſenſibilibus.

Huiuſmodi parabolis vtitur Socrates & Natan ad Dauid, & Ieſus Deus ad Iudeos.

De Exemplo Physiologico.

AT etiam Philosophi vtuntur exemplis ad probandum vniuersale inductiuè, & aliquando ad simile essentialiter, vel accidentaliter, vel proportionaliter, vel aliter consimile: vt Galenus ostendit hecticum post cibum accendi magis, exemplo calcis, quę feruet, iniecta aqua. Rectè quidem, quia calx in siccitate constipatum continet calorem, qui in molli materia dilatatur, & augetur; sic hecticus siccitate percalida laborans addito cibo, in cibum calorem amplificat. Sed Arist. argumentum, quo probat cælum & sydera, non calida, facere calorem, dum aërem percutiunt, ab exemplo ligni & lapidis, qui confricatione, & percussione incalescunt & scintillant; dissimilitudinem habet multam. Eo quod Aër non recipit ictum, sed fugit; neque densitatem occultatricem caloris habet. Ergo flagellatus non scintillat, vt lapis densus à calore constitutus, & ictus sustinens expectansque, quibus laxatur, & patefacit calorem.

De exemplo Pythognomico.

PYthognomica Portæ, qua ex similitudine herbarum ad membra humana, probat, eas consimilibus prodesse membris, aliquam quoque veritatem habet, sed exiliorem. Neque enim cucumer confert veretro, quoniam maior dissimilitudo latet, quàm quæ similitudo patet: vel in semine multo valet, vel in medela; sed tamen multam claudit de conditore rerum scientiam: & quæ de similitudine animalium ad plantas, pandit, & vsu, mira sunt. Vide Med. l. 5.

De exemplo Astrologico, &c.

ASTronomantia Ptolomæi, vnde physionomiam cœlestem Porta trahit, aliquid habet probabilitatis. Nam colores stellarum, & motus varij, & situs, indicant diuersum modum agendi ipsarum super res inferiores & in res consimiles sympathiam. Sed dissimilitudines factas à concursu earum & concausarum inferiorum, quis notabit omnes? Idem de Chiromantia, & diuinatione per so-

mniū ſentire licet, ex ſymbolius apparitionibus, & exemplis; de quibus alibi.

Phyſ. ab Animalium ſimilitudine in naturalibus, ſi plura ſigna concurrunt, facit opinionem: ſi vnum, ſuſpicionem. Vide 3. p. Metaph.

DE VARIIS SPECIEBVS argumentationis ex materia & effectibus.

CAP. IX.

PROOEMIVM.

POſtquam argumentorum formas docuimus ad ipſorum materiam deſcendere oportet, ex qua diſcimus.

Diſtinctio & Definitio ſpecierum Argumentationis.

ART. I.

Argumentum aliud demonſtratiuum, quod cauſat ſcientiam. Aliud probabile, quod cauſat opinionem. Aliud ſuſpicatiuum, quod cauſat opinionem: Aliud teſtificatiuum, quod cauſat fidem. Aliud ſophiſticum, quod cauſat ignorantiam & deceptionem.

DECLARATIO.

EX forma omne argumentum generat ſcientiam. Formas autem declarauimus multas, id eſt, indicatiuam, Expoſitiuam, Inductiuam, Conſequentialem, Syllogiſticam, Enthimematicam redargutiuam & exemplarem. At ex materia non omne facit ſcientiam, ſed aliud opinionem, aliud ſuſpicionem, aliud fidem, aliud deceptionem. Prout alia ſunt in materia neceſſaria, alia in contingenti: Alia in euidenti & certa; alia in incerta & minus euidenti: aut falſa.

Qua-

Quarum definitiones patent in Metaph. Sed hoc in loco ita dicimus.

DEFINITIONES.

Scientia est certa & euidens notitia rei, ex necessariis notisque deducta. Vt dies est. Ergo sol est super terram.

Opinio est quasi certa & quasi euidens cum formidine de opposito, ex contingentibus vt plurimum, deducta. Vt Petrus plorat: Ergo dolet. Potest enim plorare aliquando non dolens, licet sæpè ex dolore.

Suspicio est incerta & ineuidens notitia, ex contingentibus rarò fluctuante ratione deducta: Vt, hæc mulier est pallida: ergo peperit. *Pallor enim ex aliis causis est vt plurimum.*

Fides est aliqua ineuidens notitia ex alieno sensu habita. Vt Cæsarem fuisse in Mundo scimus; Quoniam qui viderunt, historiæ commendarunt. *Est tamen certissima fides cum habetur à sensu diuino, vel humano diuinitus illustrato. Incerta verò quando ab humano. Et magis & minus certa prout à magis vel minus sapienti & tunc de fide fit suspicio. Credibilitas enim certitudinem requirit. Suspicio etiam ab ineuidentibus nobis inest. Et scientia nullam incertitudinem aut dubitationem admittit.*

Quid sit scire, & quod res nullas neque earum causas perfectè scire poßimus.

Art. II.

Syllogismus ergo Demonstratiuus facit scire. Scire autem arbitrantur omnes homines cum rerum causas cognoscunt propter quas illæ res sunt, & quod aliter se habere non contingit. Si enim crastina die fore pluuiam ex stellarum positione cognoscam, quia hoc non semper euenit, vt hæc positio indicat, dicor opinari & non scire pluuiam futuram; contingit enim aliter se habere. Neque si scio pro certo futuram esse pluuiam, quia sapientissimo, vel Prophetæ assentior, dicor scire, sed credere, nisi sciam causam pluuiæ materialem, vt vaporem: efficientem, vt solem: forma-

lem, vt condensationem vaporis in aere; & finalem vt propter terræ fœcunditatem; & idealem prout in exemplari diuino patet Angelis: & quòd cras ista conuenient.

Has autem omnes causas scire non datur homini, quoniam infinitæ sunt; vel simpliciter, vt Deus; vel secundum quid, vt vapor & sol, & condensatio, & fœcunditas terræ. Quæ nec tota, nec omnia, nec totaliter, nec omnino scire valemus. Non enim omnes solis vires, & caloris gradus, & lucis angulos, & actionis modos, & quomodo, & cur, & quibus modis concurrentibus causis factum, vt hodie pluat, inuestigare possum; & vt tales, tantosque vapores, qui ad pluuiam, & non ad ventos apti sunt, & alias res; & stellarum concursus, & radios omnes adiuuantes, & reluctantes, & terræ dispositiones: Vnde vapores educuntur. Et cur est talis hæc terra facta à solis actionibus ab initio mundi vsque hodie. Nec quis vapor, & cuius particula ex quali terra & aqua emittitur, & quo caloris gradu, & cur hodie ita factum, vt hunc emittant vaporem, & eius atomos omnes quomodo sciam? Similiter neque condensationis gradum, & modum; & num à frigore, aut ab oppositis ventis, aut ab angustia loci, & suimet compressione, constipentur. Et rursus de frigoris viribus, & aliorum concursu disputandum foret: & de fato & necessitate, qua hanc in pluuiam conueniunt. Et tandem respectus harum causarum ad alias causas & concausas, & ad reliquas mundi partes, & quem situm, vim, vsum habeat hæc pars ad totum, & ad alias. Et similiter de die isto, quem locum habet inter præteritas circulationes solis; & de causis causarum vsque ad Deum interrogabimus, vbi in summa eiusdem ignoratione nos tandem esse reperiemur. Vnde & ineuidentia ex parte nostri, & infinitas ex parte rerum, nobis scientiam perfectam tollunt.

Quapropter vt dicebam in p. p. Metaph. perfecta scientia non datur vlla. Sed nos putamus scire, cum crasso quoddam modo rerum causas proximas cognouerimus. Et licet Arist. dicat hęc omnia non esse quærenda, nisi proxima essentialia, superbè fallitur: quoniam neque

eſſentialia ſciuntur, iſtis ignoratis, niſi craſſo modo & ex parte. Item ne fateatur propriam ignorantiam cum Socrate, ita loquitur; & quia ſciri non poſſunt, putat eſſe negligenda, cum potius colenda ſint, ac noſtra ignorantia confi enda ſimul. Tunc enim verè ſcimus, cum cognoſcimus nos verè non ſcire, teſte Socrate, & Paulo Apoſtolo.

Scimus tamen pro certo, quod res ſit, & hic & nunc: non autem quid. Quidquid dicant Sceptici ſenſum negantes, contra quos in Metaph. Non autem quòd fuerit, aut erit perfectè. At quid ſit ſecundum omnem quidditatis ſimilitudinem, & differentiam, & cauſationem, & efficientiam, ſcire non datur, niſi imperfectè; ex parte, non perfectè ex toto, vt dicit Apoſtolus.

Neque Procedi in infinitum Demonſtrando, neque circulo vniformi, ſed difformi aliquando.

Art. III.

N*Eque procedimus in infinitum in demonſtrationibus ſcientificis*, quoniam in cauſis, vt cumque notis per ſenſum ſiſtimus: non quia quæſitum reperimus, ait S. Leo, ſed quia in inquiſitione defecimus.

Neque circulariter demonſtrare potis eſt. Nam tunc idem eſſet notius & ignotius, prius & poſterius. Vt ſi dicam, pluit, quia vapor condenſatur in aëre, & vapor condenſatur in aëre, quia pluit: tunc qua ratione pluuia notificat condenſationem, eſt prior & notior: qua verò notificatur per condenſationem, eadem eſt poſterior, & ignotior.

Non inconuenit circulo demonſtrare difformi, vt cauſa per effectum innoteſcit. Deinde melius conſiderata cauſa, poteſt notificare nobis effectus, quoniam acceſſit illi notitia noua, & non illa ſola, quæ eſt ab effectu: ſic n. nihil notificaret. Demonſtrant circulariter Mathematici ex angulis latera, & ex lateribus angulos: Item ex quantitate vmbræ eclypſantis Lunam, quantitatem terræ, & è conuerſo. Sed

ad omnes homines. Ad eundem enim id, quod notius illi, notificat ignotius.

DE DEMONSTRATIONE.

CAP. X. Art. I.

QVoniam demonstrare est causare scientiam in illo cui demõstratur duplicẽ dicimus demõstrationẽ: aliam indicatiuã, seu sensualem, aliã intellectualẽ. Illa pertinet ad Inuentionem, ista ad Doctrinationẽ magis. Principium enim scientiæ est à sensu: Consummatio in intellectu. Sensus & intellectus in sensu & organis singularia experitur: intellectus & sentiens vis illi addita legit intus, colligitque singularia, & ex eis facit vniuersales propositiones: quæ sunt principia artis. Ideo forma argumenti sensati habet pro medio pronomen indicium demonstratiuum singularitatis; vt iste est triangulus, & iste habet tria latera & tres angulos: ergo triangulus habet tria & tres angulos. Intellectiuus verò habet pro medio terminum vniuersalem collectum ex singularibus. Ex quo probat quasi circulo idem de singulari. *Vt omnis triangulus habet tres angulos, & tria latera.* Scalenus est triangulus. Ergo habet tres, & tria latera. Attamen & sensus & intellectus cognoscunt, vterque & singulare & vniuersale: secus essent sicut ego & tu, nec posset alter præmissas, alter conclusionem facere. Qui enim infert ex præmissis aliquid, prænouit præmissas: alioquin inferre non posset: & qui præmissas facit, conclusionem infert. Spiritus ergo sentiens, & mẽs intelligens coëunt in notitiis naturalibus.

De duplici sensata Demonstratione.
Art. II.

DVplex autem est Demonstratio indicatiua, alia potissima per sensus omnes consentientes & non con-

tradicentes, ſed conteſtantes: vt cum oſtenditur nobis niuem eſſe albam, & Socratem currere. Nullus enim ſenſus contradicit: & fit in nobis ſapientia: & hæc eſt tam neceſſariorum, quàm contingentium. At ſi aliquis ſenſus contradicit, non eſt potiſſima demonſtratio. Neque enim remus fractus iudicatur ab omni ſenſu, licet viſus in aqua videat ipſum fractum. Nam extra aquam videt ſanum, & tactus experitur eſſe ſanum. Similiter licet nix tactui appareat frigida, tamen guſtus, quem dilatat, & viſus, quem rarefacit, oſtendunt eam eſſe calidam. Ergo hinc intelligimus, frigus illud eſſe extraneum, ſicut in vino; quod tactus frigidum probat, guſtus verò calidum. Senſus ergo mentis ductu dicit calorem & frigus ineſſe, ſed alterum natiuum, & alterum extraneum in vino. Sed hæc demonſtratio non eſt potiſſima, licet ſit certiſſima, quoniam ſenſus ſibi inuicem contradicunt: potiſſima autem eſt, quando nullus repugnat ſenſus, neque noſter, neque alienus.

¶ De Intellectiua Demonſtr. ¶

Ex ſenſitiua demonſtratione oriri intellectiuam.

ART. III.

HÆC experimenta ſunt ſcientiarum elementa intellectiuarum. Cum enim ſæpè idem ſemper eodem modo ſe habere probatum fuerit, fit propoſitio vniuerſalis, vt *Sol lucet, Homo eſt bipes.* Hoc autem fit ex ſingularium inſpectione: ſiue ſingularitas ſit temporis, ſiue loci, ſiue eſſentiæ alicuius. At ſi omnes propoſitiones particulares fiunt à ſenſu, multò magis de Vniuerſalibus idem oportet aſſerere. Fiunt enim ex inductione. Nam propterea ſcio omne totum eſſe maius ſua parte, quoniam ſenſus ſemper ita expertus eſt; & omnem hominem eſſe rationalem, quoniam hunc & illum, & cæteros eſſe rationales experti ſumus.

Quia ergo in rebus eſt ſimilitudo, omnia ſimilia vno

nomine donantur, quoniam in quantum similia, vt vnum cognoscuntur, & sic fiunt propositiones vniuersales. Quia enim Petrus est similis Paulo & Francisco, & aliis, & personis aliis, in essentialitate, datum est illis hoc nomen *homo* vnum: & ideo formatur propositio, homo est rationalis vniuersaliter: patet etiam, quoniam deficiente visu non formamus propositiones de Coloribus.

Ergo *demonstratio intellectiua fundatur super sensitiua.* Propositio enim vniuersalis, quæ est principium Intellectiuæ, fit per inductionem ex singularibus, & est ipsorum Collectio. Et rectè dixit Arist. in 2. Post. & in p. Metaph. quod ex pluribus sensationibus fit memoria: ex pluribus memoriis experimentum singularium: ex experimentis Ars: ex his propositiones vniuersales quæ sunt principia demonstrationum intellectualium facientium scientiam: De qua dixit in pri. Post. *Omnem scientiam intellectiuam fieri ex praeexistenti cognitione*, non innata intellectiua, vt dicit Plato, sic enim scire esset reminisci: sed sensitiua illata. Hęc enim est certissima, quia certificat alias. *propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis.* Vnde quando de aliqua re dubitamus, consulimus sensum certificatorem, & testimonium. Sensus Columbi de Nouo orbe redarguit syllogismos Augustini, & Lactantij, & aliorum doctissimorum, qui probabant Antipodas non extare. Item 1. Post. cap. 14. Arist. ait. Quorum non habemus sensum, non habemus scientiam. Siquidem cæcus scie tiam non habet de coloribus: quoniam non inducit. Inductio autem est à sensu. Ergo sensus causat illi scientiam. Idemque probat 2. Post. cap. vlt.

Sentire esse scire, & Arist. dum id negat, secum & cum naturæ decretis pugnare.

ART. IV.

HÆC quidem Arist. sæpè docet. Nihilominus postea & secum & cum naturę decretis pugnat, vbi sen-

tire negat esse scire; rationibus impulsus à Platone mutuatis non examinatis, & prauè dogmati suo adaptatis. Igitur primo Post. cap. 4. inquit.

2. Sensus non est scire: quoniam scire & Demonstratio est Vniuersalis vbique & semper similiter se habentis. Sensus vero particularis, hic, & nunc.

2. Præterea si quis videret hic triangulum habere tres æquales duobus rectis: haud tamen propter hoc sciret omnem triangulum habere tres. Id quod est propriè scire vniuersaliter & causaliter.

3. Item si quis esset supra Lunam, videret ipsam eclypsari, non autem propter quid eclypsatur. Scientia autem est per causas. Item nobilius est vniuersale, quam particulare.

4. Præterea non quæruntur quædam si videntur, non quoniam est scientia in videndo; sed quoniam tanquam habentes vniuersale ex eo videmus. Vt si vnum vitrum foratum & lumen pertransiens, diceremus quia illuminat propter id, quod videremus seorsum in vno quoque. Intelligere autem est, quoniam in omnibus sic est.

Præterea alibi ait: quod scitur impossibile est aliter se habere. Sed singularia continuò mutantur ita vt non possis ea discere: Vniuersalia autem semper se habent eodem modo. Ergo scire non est singularium. Sensus autem singularium est.

SED contra est quod Arist. dixit 1. Post. cap. 1. *Omnem intellectiuam scientiam fieri ex praexistenti cognitione sensitiua*: Quod probat in Mathematicis quæ, vt declarat in Cap 12. propterea sunt certiores aliis, quoniam ad sensum res demonstrant. non dicunt triangulum in Communi habere tres, sed demonstrant hunc triangulum, & per hunc ad consimiles docent etiam habere tres. Idem probat Arist. 1. Poster. cap. 1. per hoc quod scientiæ procedunt ab inductione singularium, vel ab exemplo, quod est quædam inductio. Propterea 2. Poster. cap. 18. quærens, quo pacto cognoscantur principia Demonstrationi-

intellectualis. Respondet, per sensum. Ex sensu enim, ait, fit memoria, ex memoriis repetitis experimentum: ex experimentis fit vniuersalis propositio in anima, quæ est principium Demonstrationis, & concludit. *Neque igitur insunt determinati habitus in anima* (sicut vult Plato) *neque ab aliis habitus fiunt notionibus, sed à sensu. Pluribusque sensationibus, vt ex pluribus militibus exercitus principium pugnæ.* Et tandem ait, *quod sensus est etiam vniuersalis, vt hominis, non Calliæ hominis solummodò*: Et concludit; *principia inductione cognosci. Sic enim sensus vniuersale facit.* Non potest autem sensus singularia inducere, & intellectus concludere vniuersale. Essent enim sicut ego & tu. Ergo idem facit conclusionem & præmissas. Et hoc Scotus & Durandus probant, nedū Telesius. Quapropter nesciens soluere Platonis argum. secum pugnat Arist. cum sensum non facere scientiam, nec vniuersale, dicit in 4. cap. Post. 1. Prętcrea natura ipsa docet, quoniam plus credimus expertis, quàm artificibus. Vt plus Columbo sensu experienti alterum extare hemisphærium, quam Philosophis & Theologis per rationem, & autoritatem negantibus. Et cum dubitamus de aliqua re, sensum consulimus. Item vel singularia sunt incognoscibilia simpliciter, vel nobis. Si simpliciter, ergo etiam Deo, & ab Angelis, solum intellectum habentibus, non intelligerentur. Si nobis: ergo quod nunc video scamnū non intelligo. Sed respondes, intelligis per vniuersale, non per id quod vides. Ergo (inquam) falsum est, quod sensus facit vniuersale notando indiuidua consimilia, vt dicebat Arist. atque nos. Item neque intelligerem hoc scannum, & hunc solem, quem video, sed communem solem tantùm: quod est falsum. Præterea Asinus etiam vniuersale scit, quoniam non solum hoc hordeum, sed omne hordeum, alioquin non nisi hoc manducaret. Probauimus etiam quod sensus præsens est vniuersalis & particularis, vt hominis, & Calliæ hominis: Sed distans est solius vniuersalis. Petrus enim à longè visus cognoscitur, vt animal; & deinde propinquior, vt homo; deinde propinquissimus vt Petrus.

Omnes

Omnes Patres sancti nobiscum sentiunt, vt alibi, &c.

Ad 1. argumentum Arist. Resp. quod vna sensatio est particularis, & hic & nunc; sed multiplex sensatio est vniuersalis. Sentimus enim similia, & quo similia esse vnum, & vno nomine donamus. Verè Organum percipit hic & nunc: sed sentiens anima etiam semper & vbique: quoniam similitudinem etiam videt. Profectò quia sæpè video & audio Petrum, cognosco eius naturam. Et quia Petrum & Paulum, & alios singulares homines conspicio inter se similes in rationalitate, omnium hominum naturam consimilem esse sentio, & do illis nomen commune, & facio deinde vniuersalem propositionem inducendo, quod omnis homo est rationalis. Quapropter iners videtur Arist. qui dum comparat vnam sensationem pluribus: quasi qui obiiciat vnum hominem vni exercitui: dicatque digniorem esse exercituum, & alterius entitatis. Porrò enim & ipsemet Arist. ab exercitu sumit vniuersalis exemplum cum inductioné, ipsorum conficit 2. Post. 18.

Ad 2. igitur Resp. quod qui videt vnum triangulum & semel, ignorat alios triangulos. Sed qui videt omnes aut plures sigillatim, non ignorat alios: imò habet ex his pluribus experimẽtis artem, qua potest docere omnes triangulos habere tres.

Similiter ad 3 dicimus, qui videret vnam eclypsim, non propterea sciret omnes: neque sensus earum, nisi artifex dixisset illi. At qui videt plures, facit artem: & inspiciendo causas sensu proprio vel alieno discit eas, & docet, tunc fieri cum terra interponitur, quia ita experimenta per sensum docuerunt. Et propterea est artifex, qui vniuersale scit, quoniam ex pluribus experimentis suis, & aliorum procedit. Qui verò ex vno dicitur sentire sine arte. Et profectò non est potior demonstratio, quæ vniuersalior, sed quæ certior. Certior autem est quæ per sensum, vt docet etiam Arist. ex Mathematica. Ipsa quoque Theologia sensibus Apostolorum experimentis comprobatur, & miraculis sensui expositis.

Ad 4. Dicimus nobilius esse vniuersale, quoniam plura

continet particularia: ſed non eſſe certius. Ex pluribus enìm ſingularibus inſpectis fecimus vniuerſale, & de illis, & de aliis non inſpectis ſenſu, vnde poſſet ſuboriri dubitatio, quoniam iſta non ſunt inſpecta: quam ſenſu certificamus.

Præterea certior ego ſum, quod Papa à me per ſenſum viſus eſt Romæ, quàm quod ſtella eſt maior terra per rationem.

Ad 4. dico, quod ſi videndo non ſcio, niſi quia habeo prius vniuerſale, non propterea ſcientia erit vniuerſalis. Nam illud vniuerſale etiam habui videndo particularia, vt ſimilia.

Ad 5. Non propterea quod mutantur ſingularia, non ſciuntur: ſi hoc etiam ſcimus, quod mutantur. Alioquin nec Deus, nec Angeli, nec anima ſeparata ſciret ſingularia. Scire enim eſt noſſe rem ſicuti eſt, & non modo vniuerſalem, & æternam. Licet hæc ex parte ſui ſint cognoſcibilia magis quàm ſingularia, non tamen nobis, dum ſumus in corpore.

Nec Platonem ritè oſtendiſſe ſcientiam à ſenſu non haberi, aut ſentire non eſſe ſcire.

ART. V.

PLato autem, cui ſcire videtur eſſe reminiſci, de quo in p. p. Metaph. diſputauimus, conformiter ad propria dogmata negat ſentire eſſe ſcire in Thææteto. diſtinguit enim entia in intelligibilia & ſenſilia. Illa ſtabilia incorporeáque intellectu percipi; hæc fluctuantia corporeáque ſenſu. Et intelligibile duplex primi ordinis & ſecundi. in primo Deum Ideas, & Angelos & animas ponit. In 2. numeros & mathematica entia. Senſibile adhuç duplex, ſcilicet, corpora, & vmbræ, & apparitiones, imaginéſque corporum. Scientiam ergo intellectilium facit. Senſilium verò opinionem. Probat.

Scientia eſt eſſentiarum. Senſus non cognoſcit eſſen-

tias, nec ideas, sed intellectus: Ergo sentire non est scire.

2. Item sensilia & sensus in continuo sunt fluxu: quod autem scitur, & sciens intellectus, permanet.

3. Item si sensus est scientia; ergo bruta meliori sensu prædita sunt hominibus sapientiora.

4. Item si scire est sentire, non posset addisci scientia, quoniam omnes sentiunt, & sciunt.

5. Item si sentire, id est, audire & videre, est scire: ergo pueri videndo literas, scirent, nec doctore indigerent. Sic qui audiunt loquentes barbaros, scirent quid dicunt.

6. Item si videre est scire. Ergo non videre est nescire. Ergo quando non videmus panem, nescimus panem: & quoniam meminimus, scimus. Ergo simul scimus & nescimus.

7. Visa à longè sunt in dubio. At quia videntur sciuntur si sensus est scientia. Ergo simul scimus, & dubitamus. Scientia autem est indubitabilis.

8. Item pictor & non pictor æquè videndo aliquam figuram, æquè ipsam scirent.

SED profectò Plato etiam errat. Non enim scientia est res extra nos, sed relatio hominis scientis ad scitas res. Relatio verò scibilium ad scientem vocatur scibilitas. Omnis ergo error est, vel quia nos apti non sumus ad sciendum: vel quia res non sunt scibiles nobis. Notanter dico nobis: quoniam Deus ac Angeli sunt maximè scibiles, secundum se, non secundum nos. Sicut Sol est maximè visibilis secundum se, sed non secundum oculos Vespertilionis. Si Plato loquitur secundum naturam, benè quidem dicit scibilia esse sempiterna & necessaria, & incorporea & immutabilia, & ideas. Si autem loquatur secundum nos in statu præsentis vitæ, non rectè dicit. Omnia enim nos à sensu discimus obiecta, siue per reminiscentiam excitata, vt ipse vult: siue de nouo sese imprimentia, quasi in tabula rasa, vt vult Arist. siue specificantia, & ad se trahentia scire nostrum innatum, vti mihi placet

magis. Ergo quæ magis sunt sensilia, sunt magis scibilia, vt Sol & ignis, & homo. Quæ verè minus sensilia, minus scibilia, vt Angelus, anima, Deus, & Idea. Si autem anima esset extra corpus, Platoni assentiret. Quis etiam ignorat magis sciri hunc triangulum habere tres, quàm triangulum habere tres? ex hoc ipse Aristotel. magnificat certitudinem Mathematicorum, quoniam sensu & singulariter prius demonstrant. Nec Plato potest dissentire, licet nos eleuet ad scientiam trianguli idealis æterni. Nec negat sentire non esse scire: cum videre colores sit actu scire colores. Cœcus enim, quoniam non videt nescit, nec addiscit.

Ad 1. Resp. Quòd sensus non est oculus & auris & lingua, & nasus: hæc enim instrumenta sunt Animæ sentientis, vt etiam Plato vult, & Aug. probat in lib. de An. & nos probauimus contra Arist. Ergo licet ipsa sensoria non percipiant essentias, percipit tamen virtus sentiens. Iudicat enim de essentia caloris & frigoris & hominis ideati, id est, existentis, licet non de essentia & idea: quam tamen attingit per discursum altiorem sensitiuo: Sensus enim expertus partem ignis esse calidam iudicat totum ignem esse calidum; & deinde omnes, & deinde ideam omnium. At cum ideam omnium perspicit à Mente iuuatur, quæ brutis non inest habentibus solum discursum sensitiuum, quo per vnum ignem aut hordeum iudicant de omni igne, & hordeo. Quem discursum S. Thomas vocat æstimatiuum:

Materia quoque & calor & frigus, & omnis essentia existens, sensu percipitur, vt alibi probauimus.

Ad 2. licet sensus & sensilia sint in fluxu; tamen hoc etiam sensus percipit, & iudicat permanentia magis, etiam scibilia magis: quoniam in intuitum plus operantur: non tamen & scita magis.

Ad 3. licet bruta meliori organo sint prædita non tamen meliori anima sentiente. Canis quidem odoratur quæ sunt nobis occulta, & nos hoc scimus, at ipse nescit quod nos minus odoramus. Et quod hoc scimus. Et quod diuina sapimus ipsi ignota. Hoc autẽ est nobis à Mẽte, non

à sensu. Hac enim præstamus. Et sensũ nostrũ nobilitamus.

Ad 4. scientia vt est organi non addiscitur. Sed vt est Animæ, quæ discurrit ad ea, quæ per organum non percipiuntur. Est sentire organicum ianua & principium scientiæ, quæ per discursum accumulatur. In Deo autem idem est sentire & discurrere & intelligere. & Angelus intuendo in Deo videt omnia sine discursu: quoniam sensus non indiget discursu in obiecto patulo.

Ad 5. pueri videndo literas sciunt situm, colorem figuram, caracterem, & quidquid vident. At nesciunt significatum literarum, quem non vident. Etenim pendet à voluntate significatoris institutoris literarum.

Similiter ad 6. qui audit barbaros loquentes scit sonum & motum, sed non sensum vocis, quem non videt, nec audit. & propterea addiscit etiam per sensum barbaræ linguæ significationem.

Sed instat Plato si significatum nesciunt, & addiscunt: Ergo alio quam sensu: ergo intellectu. Resp alio quam sensorio, non quam sentiente anima. Item nec nisi per sensorium auditus, aut visus.

Ad 6. Qui non videt panem nescit actu panem quem alias vidit, sed habitu. Item videt speciem panis, quæ remanet in memoria, & ideo videt, licet non per sensorium nec præsentialiter. Et propterea solet oriri deceptio, quoniam vel confunduntur species seu notiones, vel negliguntur diu, vel non exactè discutiuntur similitudines earum intus & extra animam. At sensus deceptam animam deinde corrigit, aut certificat dubitantem.

Ad 7. in dubio sunt singularitates visorum à longè, quoniam videntur. Certæ sunt vniuersalitates, quoniam videntur. Scio enim esse hominem qui ad me venit, sed dubito vtrum sit Petrus: quoniam hominis figuram & motum video, non autem singularitates, quibus insignitur & distinguitur Petrus ab aliis.

Ad 8. æquè sciunt pictor & non pictor, quod æquè vident. Sed pictor qui artem ex pluribus experimentis, & memoriis, & sensationibus ortam callet, plus videt. Sicut

qui pluries quam qui semel, memoria enim est anticipatus sensus. Nec prædictis est contradictio, quoniam non est eiusdem obiecti, & partis, scire & nescire.

Scientiam esse de singularibus & corruptibilibus & contingentibus & fortuitis sæpè certiorem nobis quàm de vniuersalibus æternis & necessariis.

ART. VI.

FAlsum est, quod de corruptibilibus & mutabilibus non est scientia. Nam scimus quid est corruptio: & quod hæc sunt corruptibilia: & de eis disputamus, & scribimus, de Cometis, ventis, pluuiis, morbis, & facimus scientiam. Licet autem non semper eodem modo vniuersaliter fiant, tamen & hoc scimus. Quod autem facilius nobis sciantur vniuersalia falsum est. Nam facilius scio quod Petrus est homo, & currit, quam quod homo est animal, & currit.

Item quòd incorruptibilia, falsum est. Nam Deum Angelos & Cœlestia non coruptibilia minus scimus: plantas & animalia corruptibilia magis.

Quòd essentialia, falsum est. Nam rerum accidentia extrinseca sunt notiora: Differentiæ verò essentiales latent, vt Peripatetici quoque fatentur. Sed quia rerum singularitates, quibus opponuntur res sunt in paucis: id verò, in quo conueniunt, est in multis; (Propterea enim dicitur commune & vniuersale) & in memoria remanet magis, quàm singularia: Idcirco videtur scientia fieri de vniuersali; extenditur enim vniuersale ad plura, vt possit esse principium Artis; non autem ad omnia indiuidualia. Sed hoc accidit ex nostra debilitate, non valentibus singularitates omnes notare, & memoria tenere. Memoria enim est Artis sedes. Deus autem propterea sapientissimus vt probat S. Thomas contra Peripateticos, quoniam singularitates omnes nouit vsque ad intima medullarum totas & totaliter & omnino. Falluntur ergo putantes

scientiam esse propriè de vniuersali, cum hoc sit potius scientiæ defectus, & elongatio. Nam à longè videmus solum vniuersale. Et pueri vocant omnes homines patrem, quoniam nesciunt distinguere singularitates. Præterea si non esset similitudo inter entia non daretur vniuersale. Et scientia esset solum de singularibus. Sicut de viginti quatuor caracteribus scripturæ, & de septem planetis singularibus est. Et apud Chinenses magis de Caracteribus rerum. Tot enim habent literas, quot res.

Item quia per simile cognoscimus simile: & similitudo accidentalis variatur, naturalis verò permanet eadem semper: omnis enim ignis semper calidus est & candidus, sed non semper rubeus, nisi quando tetra miscetur materia: propterea propositiones, ex quibus procedit probatio, essentiales ideóque vniuersales esse debent, vt certitudinem faciant. Stultè Arist. 1. Meteor. Solem non esse igneum probat ex hoc, quod ignis est rubeus, & sol candidus. Procedit enim ex per accidens. At omne per accidens reducitur ad per se, & sic de eo est scientia. Nam & hoc scimus, quod ignis mistus fumo nigro rubescit; & monstra nasci ex defectu causarum. Præterea aliquod per accidens notius est multis per se vniuersalibus & necessariis. Vt quod Tybris inundans in anno 1598. Romam afflixit, notius est quam quod Angelus est incorporeus, & Phenix sit Auis, & lignum constet ex quatuor elementis, & lapis insensatus sit. Nam de his diuersæ sunt opiniones apud Augustinum Copernicum, Telesium, Thaletem, Tacitum, & alios autores. Quod autem Tybris inundauit eo anno dubitare potest nemo. Sed tamen non potest fieri Ars de quando Tybris inundat, sicut de Nilo, & de eo quòd sol certis temporibus sit nobis in Zenith, quoniam illud rarò, hoc semper fit: & illius non eadem semper causa nobis nota, vti huius: Sed tamen certitudo ac scientia vnius singularis nō est debilior vel vti putat Arist. vt patuit. Imo nec vilior quandoquidem vnus est Deus, & scientiæ omnes de isto ad ipsum & propter ipsum sunt. Similiter Sol, & Mundus vnus.

De Præcognitis ante demonstrationem, & de Præcognitionibus. ART. VII.

ANte demonstrationem ſenſatam Plato vult præcognoſcit otum ſcibile, quoniam in anima ab initio vel ab æterno ineſt: per ſenſilia verò excitari ad ipſorum reminiſcentiam. Nam, inquit in Memnone, ſi ignorauit ab initio, cum illi occurrit ſcibile non cognoſcit, ſicut qui ſeruum fugitiuum quæritat, inuentum non agnoſcit, niſi ante prænouiſſet. Huic rationi Ariſt. reſpondens dicit, Animam eſſe, ſicut tabula raſa, id eſt, præparata ad omnem picturam, in qua pingunt obiecta ſenſilia ſuas imagines. Soluitque Memnonis dubium, quòd prænouit anima vniuerſaliter, ſed non particulariter. At hoc dici non poteſt ab Ariſt. reminiſcentiam negante. Eſto enim quod ſyllogiſmum faciens intellectiuum, ſciat concluſionem in vniuerſali præmiſſa: non tamen hoc idem dicet de faciente ſyllogiſmum ſenſatum, & de primum ſentiente puero ſingulares obiectas res. Hoc enim quærebat Socrates. Peripatetici alij docentes, in potentia prænota eſſe quæ actu addiſcimus; Deuiant ab Ariſt. poſſe enim habere, non eſt habere: neque enim qui poteſt prænoſſe ſeruum fugitiuum, & non prænouit, inuentum agnoſcit: ſed qui actu prænouit. Si autem ly in potentia dicit ideas innatas vel ſopitas, Socrati non Ariſtoteli adhærebit. Nos igitur dicimus: ſcire ſe ipſam innata notitia: & cum ab obiectis mouetur, ea ſentire, quatenus ſentit ſe mutatam ab eis, & notitiam ſui diffundi in aliorum vt in Metaph. docuimus. Sed ſyllogiſmus ſenſatus, de quo hic eſt ſermo, non fit à puero lactente, ſed diſcente: idcircò præſupponit notitiam rerum quia ſunt, & quia ſic nominantur, vel nominari debent. Nominatio enim eſt ſignatio cognoſcentis. Igitur cum duo, hæc eſt ſtella; & hæc lucet: ergo ſtella lucet: præſuppono demonſtrabilitatem in ly *hoc*: & quid ſit lucere. Tres ergo ſunt præcognitiones videlicet, *quia eſt*, *& quia verum eſt*; *& quid eſt*: ſal-

est: saltem quidditate nominis. Probatur enim semper aliquid de aliquo. Ergo præsupponitur Quid subiecti, & Quia est prædicati: & concluditur Quia inest subiecto, per Quia verum est rem esse demonstrabilem: & præsupponitur vniuersalis vera per quam demonstratur.

In Demonstratione Intellectiua præsupponitur sensitiua, & precognitiones sunt, *Quia*, *& quod verum*, *& quid est*, *aut quantum*, *aut quale*, prout quæstio mouetur. Si enim quæritur Quantus est pannus: Et quia medium est vlna, præsupponitur quanta est vlna. Insufficienter ergo Arist. ponit duas præcognitiones *Quid*, & *Quia*; & deinde partitur ly quia, in quia est. & quia verum est. Nam præcognitionem, quantum est & quale, & vbi, & quando, &c. de quibus etiam fit quæstio, dicere debebat.

Præcognita autem Arist. videntur tria, scilicet *subiectum*, *passio*, quæ de illo probatur: & *propositiones communes*: quarum alias vocat *suppositiones*, alias *dignitates*, de quibus mox erit sermo. Concluditur autem solum inhærentia passionis in subiecto per Quidditatem subiecti, aut passionis. Vt si probari debet quod Luna eclypsatur in nodis, oportet præscire quid est luna, & quia eclypsatur, & quid est eclypsari. Et hanc maximam esse veram: Interpositio recta opaci inter illuminans & illuminatum, eclypsat illuminatum. Hæc autem omnia sensu percepta sunt. Vidit enim lunam, & dedit illi nomen luna, quasi lux aliena. Viditque obscurari; & expertus quod habens alienam lucem per interpositum opacum obscuratur speculum pluries: fecit hanc communem propositionem, quæ est principium probationis. Benè loquitur Aristotel. quod prima cognoscimus quatenus terminos cognoscimus. Termini autem sensu memoria & experimentis innotescunt, & non per innatam intellectionem in eius dogmate: Propterea falsò nunc scientiam non esse sensus cum Platone docet: cui omnino in dogmate refragatur: nec agnoscit, se secum etiam pugnare.

Scientiam ergo facit sensus, qui intellectu informatus patiens à rebus in prima operatione, prius sentit eas esse

ex hoc, quia patitur ab obiectis. Et mox ex hoc, quod ita patitur, quid sunt, & dat eis nomina iuxta passionis notam; quæ sunt definitiones imperfectæ. Scientia ergo Quia semper est prior quam Quid. Deinde facit Definitiones perfectas tanquam epilogos scientiæ inuentæ, & principium doctrinæ. Et dum in 2. operatione componit & diuidit essentialitates & accidentalitates, facit propositiones communes & singulares ex demonstratione sensata pluries procedens. Et iis vtitur vt principiis doctrinæ: qui sunt fines inuentæ scientiæ. Scientia ergò habita per demonstrationem intellectiuam, est amplior quàm quæ per sensitiuam habetur: sed non certior, quoniam experimentum certificat omnia. At non omnia indiuidua contenta sub definitione speciei, vel generis & sub vniuersali propositione, sunt experimento in se, sed in consimilibus nota indiuiduis. Omnis tamen scientia continetur in nominibus in definitionibus, & in propositionibus communibus. Et omnis scientia ex antecedenti oritur, quoúsque venias ad sensitiuam. Sensitiua ex sensationibus à principio vitæ inceptis & continuatis. Sensationes ab obiectis specificantibus, & à notitia innata specificabili, deriuantur, vt in Metaph. dictum est. Omnis ergo conclusio intellectiua est præcognita in simili, vel æquipollenti, vel vniuersali, sicut Petrus in filio Ionæ, vel in homine per sensum. Sensus autem vsu & natura addiscit. Sentire est præsentis obiecti perceptio. Memoria est anticipata sensatio. Imaginatio est sensationum coniunctio & diuisio. Discursus est sentire in simili. Intellectio est sentire intus, vel à longè. Iudicium de his cunctis est Mentis opus in homine. In brutis verò est ex participio Primalitatis secundę; quod vocant æstimatiuam. Vide Metaph. Tot ergo sunt Discursus & syllogismi, quot similitudines. Conclusio ergo nota est in simili. Similia enim quatenus similia vnum sunt, & simul. Ergo cognosci apta sunt. Et quia anima est similis omnibus rebus eminenter, ex ipsius notitia innata fit cęterorum notitia illata ex obiectis specificantibus, & reuocantibus ad se, vt in Metaph.

DIVISIO DEMONSTRATIONIS in propter Quid, & Quia, & à Signo.

CAP. XI. ART. I.

DEmonstratio, quę procedit ex propositionibus sensu iā perceptis, est triplex. Alia propter quid quæ procedit a causis ad effectus. Vt propter quid luna eclypsatur? quia tellus interponitur. Alia vocatur Quia, quę procedit ab effectu, vt eo, quod vrina est concocta Medicus cognoscit vires coquentis naturæ esse validas. Alia à Signo, quod non causa nec effectus, vt sonus campanæ est signum sacrificij: non causa nec effectus: sic Medicus cognoscit reliquos corporis humores esse concoctos similiter, ex hoc, quod videt vrinam concoctam: & miraculum est signum quod Theologia sit vera, non autem causa, nec effectus veritatis eius. Sic omnis Demonstratio deducens ad impossibile est à signo.

Omnis quidem Demonstratio procedit à propositionibus per se notis. Sed quę procedit à causa per se nota, potior est; quoniam ad omnes effectus causa extenditur, & similitudo plurium in ea relucet. Si enim solem esse causam vaporum scio, tunc scio in toto terrarum orbe fieri vapores, quoniam sol totum perlustrat. At si scio vapores esse in aëre, quoniam obnubilant oculos, ab hoc effectu hanc vaporis proprietatem scio, sed non omnes; neque qua ratione fiant. Causas autem vniuersales & particulares inspicere oportet. Demonstrare à signo debilius est, quam ab effectu secundum rem, sed non nobis; vt patet in Mathemat. præsertim quoad existentiam.

DE DEMONSTRATIONE PROPTER QVID.

CAP. XII.

Quibus ex causis procedit Demonstratio potißima propter quid.

ART. I. *Ex Arist.*

¶ Præceptum primum. ¶

D*Emonstratio propter quid procedit ex præmißis immediatis, veris, proximis, prioribus, & notioribus causis conclusionis*, vt Arist. dicit.

DECLARATIO.

PAlam enim, quòd verum non nisi ex veris probatur.

Ex *immediatis*, quoniam si indigerent medio, quo demonstrarentur, non possent demonstrare alias, nisi ipsæ prius notificarentur. Sed sensu eas notas esse oportet, vel per sensatas alias propositiones.

Dicitur *ex proximis*, quoniam causæ remotæ parum notificant. Si enim noui, quod sal fit ex terra & sole parum noui. Si autem quod ex terra combusta, & liquefacta, tunc proximam causam nosco, & effectum magis.

Quia autem *causæ* sunt, *priores sunt*; sed non semper notiores; & tunc erit demonstratio secundum naturam, sed non mihi. Ideò oportet *notam esse causam*, si debet parere scientiam, & notitiam effectibus. Oportet ergo esse causas per se notas nobis & naturæ.

Ex quibusnam Propositionibus procedit Demonstratio in materia.

Præceptum 2.

Ex his sequitur quod præmissæ debent esse necessariæ, & vniuersales, & per se, & adæquatæ, seu conuertibiles, quoniam secundum quod ipsum conuenit prædicatum subiecto.

DECLARATIO.

PRopositio necessaria fit in materia naturali; quoniam tunc prædicatum semper inest subiecto, quia de eius essentia est. Dicitur autem inesse semper, quando est eius proprietas, aut Definitio, vel pars Definitionis.

Et quia semper inest, vel pro tempore semper, quando res est, vt Rosa est flos semper, quando reperitur. Idcirco facit propositionem vniuersalem. Omnis enim Rosa est flos. Omnis ignis est calidus. Sed non omnis necessaria est vniuersalis, nisi vniuersalitate temporis, & non subiectorum. Vt Deus est, necessaria est, sed non vniuersalis, nisi tempore, cum non sint plures Dij.

At hinc oritur per se esse omnem propositionem præmissam. Per se enim inest definitio & propria passio, & causalitas, vt dictum est in primo libro.

Et quidem per se est hæc. Ædificator ædificat. Et hic homo est rationalis. Sed non de omni. Tandem per se est, homo est animal; sed non secundum quod ipsum, quoniam non est prædicatum conuertibile, vt, homo est rationalis in quantum homo, sed non in quantum animal. Et est sensitiuus in quantum animal, non in quantum homo; sed quia omne rationale est homo, & omnis homo est rationalis. Idcircò prædicatum dicitur Conuertibiliter, & ab Aristotele secundum quod ipsum.

Ex quibus non procedit ſecundum Ariſt.

Præceptum 3.

EX his ſequitur, quod Demonſtratio non eſt ex contingentibus, neque poſſibilibus aliter ſe habere. Ergo neque ex his, quæ ſunt per accidens. Ergò neque ex caſualibus, & fortuitis. Ergo neque ex Corruptibilibus. Quoniam hæc omnia prædicationem non neceſſariam, neque vniuerſalem, neque per ſe faciunt. Item neque ex extraneis fit demonſtratio; neque tandem ex communibus.

Conditiones Demonſtrationis Ariſtotelicæ requiri ad noſcendum ſolam paſsionem de ſubiecto, quæ per ſenſatam etiam noſcitur. Item ſenſatam eſſe potiorem & priorem & certiorem, & requiri ad ſcientias compoſitas multò plura, quàm eius Demonſtratio fert.

ART. II.

NOS autem dicimus, quoniam ſcientis eſt noſſe rem ſicuti eſt, ſiue ſit vniuerſalis, ſiue ſingularis, ſiue neceſſaria, ſiue contingens, ſiue corruptib. ſiue incorrupt. Propterea non omnem demonſtrationem procedere ex neceſſariis per ſe, & prioribus eſſentialibus & vniuerſalibus; ſed ex quibuſlibet dummodo ſint certò notę & notificantes certò. Et hoc in ſcientia inuentiua. At in doctrinali, vt plura addiſcantur, fieri propoſitiones per ſe, & vniuerſales in materia neceſſaria. Non enim poſſunt eſſe principia, quæ non continent plura. Nec continent plura, quæ prædicant accidentalia. Imò nec neceſſitant concluſiones, niſi ad ſenſum oſtendantur, cuius eſt ſcire connexiones: ſiue per ſe, ſiue per accidens. Nam cum ſunt per ſe, ſunt & ne-

cessariò, saltem ex rerum ordine.

Profectò Conditiones pręmissis Demonstrationis apposuit Arist. quas minimè in suis libris ipse obseruauit. Si enim ita procedendum esset, nihil demonstrari posset, nisi propria passio de suo subiecto vniuersali adæquato. Nihil ergo scimus per demonstrationem de homine, nisi quod sit risibilis; neque de triangulo, nisi quod habet tres, licet & in his desit ratio causæ, vt mox probabimus. Philosophi autem de Demonstrationibus loquuntur, per quas fit scientia, non modo simplex, vt quod homo est risibilis; sed etiam composita, qualis est physiologia & Mathematica, quæ commune obiectum ostendunt sensatis rationibus, & quidditatem eius, & principiorum, & effectuum, & partium, & passionum omnium: & hęc ex sensatis prius inuenitur Demonstrationibus. Deinde traditur per vniuersales.

At Peripatetici dicunt potissimas Demonstrationes præfatas conditiones requirere, non autem cęteras. Probamus enim de Isoscele quod habet tres sed non secundum quod ipsum, id est, non conuertibiliter. Sed profectò Arist. videtur scientias compositas in cunctis ex his à se descriptis demonstrationibus, quas ideò vocat apodicticas, efficere. Nec enim definitionem, & sensatam prænotionem facit apodicticas. Nec in scientiis aliud desiderat, nisi quod in primo, & secundo Poster. ponit vt apodicticum. Porrò autem paucissima scimus per hanc demonstrationem causalem, quoniam non nisi passiones, & tamen oportet pręcognoscere propositiones maximas, quas vocant dignitates, & suppositiones. Item definitionem subiecti & passionis, vt quid sit homo, & quid sit risibilitas. Et quod verum est, omne animal rationale, est risibile; & de quolibet verum est affirmatio, vel negatio. Ergo solummodo per Demonstrationem suam scimus, quòd passio inest subiecto, & hoc per propositiones notiores. Ergo notior est definitio subiecti, & passionis, & dignitatum veritas per cognitionem quid nominis, & quid rei, & quia veræ sunt; sed ista notitia erat per sensum &

ſenſus eſt ſingularium: Ergo potior eſt notitia ſenſitiua: *Quoniam propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Ergo imperitè Ariſt. reiicit ſenſitiuam, & probat ſentire non eſſe ſcire. Scientia ergo non ex demonſtratione Ariſtotel. ſed ex definitionibus præcedentibus, inueſtigatis per ſenſatas Demonſtrationes, & ex maximis propoſitionibus: & vtitur demonſtrationibus propter quid, & quia, & à ſigno, etenim ſenſus eſt præſentis obiecti perceptio. Quod autem præſens eſt, & ſentitur, neceſſario eſt, & ſentitur. Dum enim eſt res, neceſſe eſt eſſe; & hoc ſaltem ex rerum ordine, licet non ex exiſtentis natura; & hæc neceſſitas ſufficit ad faciendum propoſitionem neceſſariam, & per ſe notam nobis; & valentem notificare alia. Et Ariſt. allucinatur, omne verum eſſe ſemper verum in præſenti & in præterito & in futuro tẽpore. Sufficit enim, vt ſit verum dum eſt. Et quod fuerit & erit verum, quod dum eſt, verum eſt. Non enim verum non fuit heri, aut nõ erit cras, quod ego hodie hęc ſcribo. Sed fuit falſum quod tunc ſcribebam, & falſum erit cras quod tunc ſcribam hac hodierna ſcriptione. At ſic eſt verum me nunc ſcribere, ſicut quod homo eſt rationalis. Ergo omnis ſenſatio eſt vera, dum non decipitur. Sed de hoc in Metaph. Eſſentiæ autem ſemper & vbique veræ; & de his loquitur Plato, à quo decipitur Ariſt. dum ab ipſo deſciſcere profitetur.

DE DEMONSTRATIONE QVIA CAP. XIII.

NON ſolum dicitur Demonſtratio Quia, propterea quod ſignificat quia res eſt: ſed quoniam ſignificat quid eſt etiam, ſed per effectum. Igitur Demonſtratio Quia, eſt quæ ab effectu procedit.

Et ſiquidem ab effectu neceſſario & eſſentiali, & per ſe: ſcientiam facit. Si ab effectu propter ſe: facit opinionem. Si ab effectu per accidens, facit ſuſpicionem.

Co-

gnoſcimus enim ignem eſſe calidum quia ſemper per ſe calefacit, & in quantum calidus. Non tamen dicimus ignem eſſe croceum quia aliquando videtur Croceus, niſi ſophiſticè. Neque tenuem calorem propter hoc quod attenuat. Non enim per ſe in quantum Calor attenuat, ſed propter ſe vt mouere poſſit, quare non erit tenuis, niſi ſubiecti gratia. Vnde Galeno videtur Calor aliquando in ſe tenuis, aliquando ſiccus. Sed non rectè niſi ratione ſubiecti.

Effectus per ſe adæquatus facit demonſtrationem, ſiue ille effectus dicatur Actus, ſiue actio, ſiue res acta. Neque eſſe durum & ſiccum dicimus ignem, niſi ſuſpicatiuè ex eo quod exſiccat. Hoc enim per accidens facit inuadens entia compoſita ex humore & ſiccitate vt lutum: Vbi dum humores educit, detegit ſiccitatem latentem admiſtam.

Effectus inadæquatus per ſe parit opinionem. Inadæquatus & per accidens ſuſpicionem: aut ignorantiam.

Porrò omnis effectus per accidens reducitur ad proprias cauſas eſſentiales, vt propter quid ſol Candidus nigreſacit? quia materiæ nigredinem pateſacit. Nigredo ergo eſt materiæ facies per ſe.

Item effectus per Accidens facit ſuſpicionem quoad quid eſt. Nam & Ariſt. docet ignem eſſe ſiccum, ſed ſola ſuſpicione, quia exſiccat. Sed quoad quia eſt, facit opinionem. Nam cum video rem exſiccatam, opinor ab igne paſſam eſſe. Poteſt tamen & à frigore. Idcircò opinio non ſcientia eſt.

Demonſtratio à cauſa remota non eſt Quia, ſed propter quid licet minus efficaciter.

ART. II.

NEque aſſentiendum eſt Ariſtoteli, quod Demonſtratio Quia non ſolum eſt ab effectu, ſed etiam à cauſa remota. Quæ enim fit à cauſa, eſt propter quid dicendum; ſed à remota non eſt potiſſima, & ſubitò faciens

ſcire. Nam, vt ſequamur eius exemplum, ly paries non reſpirat, quia non eſt animal; à cauſa remota eſt. Sed ſi dicas, non reſpirat, quia caret pulmone; à propinqua eſt Demonſtratio negatiua: ſed non propterea quod eſt cauſa remota, Demonſtratio erit Quia, ſed propter quid, ſed minus faciens ſcire: alioquin Demonſtrationes, quæ primas dignitates includunt, non eſſent propter Quid. Sed quando cauſa remota poteſt etiam oppoſiti eſſe cauſa, nõ mereretur nomen Demonſtrationis, neque Quia, neque Propter Quid. Sed ſuſpicionis de poſſibili. Non enim Petrus eſt homo, quia ſubſtantia, nam eſſe ſubſtantiam etiam non hominibus competit. Neque Cælum eſt alterius naturæ ab elementis, quia mouetur in gyrum. Nam & ignis, qui gyro circumfertur, vt illi videtur propter motum Cometarum, & Venti & Rotæ Artificiales, ſunt de natura elementorum.

Neque quia lapis proiectus, ab alio mouetur, cœlum etiam ab alio mouetur.

Item ipſe probat, quòd ſcientia ſubalternans, ſiue totaliter, ſiue ex parte, dicit Propter quid: ſubalternata verò, Quia; & tamen communes & remotas cauſas à ſubalternante afferri contingit ad probandam poſitionem ſubal ternatæ. Si enim vulnus circulare tardius ſanatur, quia caret angulis, & carere angulis etiam aliis eſt applicabilis cauſa, & tamen hæc demonſtratio in Chirurgia à Mathematica petita, & Propter quid, vt ipſe dicit, palam eſt quod omnis Demonſtratio per cauſam eſt Propter quid.

DE DEMONSTRATIONE A SIGNO.

Demonſtratio à Signo, eſt quæ probat aliquid, non à cauſa nec ab effectu: ſed ab eo, quod ſignificatur ſolum.

DECLARATIO ET DISTINCTIO.

SIgnum est quod apprehensum ab Intellectu aliquid præter se repræsentat. Quatruplex est signum, aliud ab Arte vt fumus in turri signat adesse hostes : quorum non est causa, nec effectus. Aliud naturale, vt linea vitalis longa profunda rubea non intercisa in manu est signum fortis, ergo longioris vitæ. Aliud à Deo vt sacramenta sunt signa præsentaneæ gratiæ. Et lingua ignea in Apost. signũ Spiritus sancti, & miracula signa veritatis fidei ; non autem causa nec effectus eiusdem veritatis. Aliud à Consuetudine vt verba, signa notionum.

Signa necessaria adæquata & per se demonstrant : quæ fiunt vt plurimum, opinionem faciunt : quæ rarò ; suspicionem. Et quidem Physionomia, Astrologia, & Mathematica, cum ducunt ad impossibile, vt plurimum vtuntur signis. De his in Topicis.

DE SCIENTIIS COMPOSITIS.

CAP. XV.

De Propositionibus communibus cunctis scientiis : & de propriis cuiuslibet scientiæ; vnde procedit Demonstratio.

Art. I.

SVnt quidem principia Demonstrationis propositiones per se necessariæ & notissimæ : sed alia sunt communia omnibus scientiis, quas vocant dignitates, & Axiomata. v. g. *De quolibet vera est affirmatio, vel negatio. Non contingit idem esse, & non esse.* Et hæc principia à nulla scientia probantur, sed supponuntur vt per se nota. Sed Metaphysica probat eas contra negantes, non quidem Demonstratione Logica, sed sensu ex inductione, & tandem ducendo ad impossibile. Si enim non est vera hæc, de quo-

libet vera est affirmatio, vel negatio. Ergo vtraque erit vera, vel vtraque falsa. Ergo non est verum, quod ego nunc scribo & quod tu loqueris, neque quod ego nunc non curro & tu non scribis, & sic de cæteris: vt patet in pri. par. Metaphys.

Aliæ sunt propriæ suis quibuslibet scientiis: & non probantur in illa scientia. Sed præsupponuntur per sensum vel per Metaphy. quæ est scientia communis. Vt Physicus supponit *aliqua corpora moueri, & mutationem esse.* Mathematicus, *Omne totum est maius sua parte*; quæ propositio analogicè spectat ad omnes scientias, & enim omnibus est aliquod totum. Arithmeticus, quòd *numerus est multitudo mensurata vnitate.* Et Geometra. *Quod punctus est cuius non est pars*: quod paralellæ non concurrunt, &c. Theologus verò præsupponit duodecim propositiones, quas vocat Articulos fidei, & ex illis probat omnes Conclusiones. Nam sacra scriptura in eorum vno continetur, & Ecclesiæ autoritas.

Quo pacto principia communia intrent Demonstrationem scientiarum particularium.

ART. II. Regula I.

INtrant quidem principia communia omnem demonstrationem, sed virtualiter & mediatè.

DECLARATIO.

CVM enim probo hominem esse Animal, quia est corpus animatum; tunc contra negantem hoc procedo ex eo, quòd non est incorporeum; & quia idem non potest esse corpus, & non corpus secundum idem, & tandem, quia idem non potest esse & non esse.

Regula 2.

SEd cum procedimus redarguendo statim ad primam dignitatem recurremus.

DECLARATIO.

VT si dicas solem non lucere, tunc dicam; idem non potest lucere, & non lucere, quia idem non potest esse & non esse. Lucere autem, & non lucere est esse lucidum. Idem facit Geometra, Physicus, & Theologus, &c. sed principia propria non nisi in eadem scientia tractantur, vt dictum est.

Quòd non licet de Genere in genus scientiarum transire, neque ex parte subiecti, neque Prædicati, neque Medij termini; sed ex propriis probandum esse.

ART. III.

TVnc palam est, quòd Physicus probans terram esse stabilem, quia sacra Scriptura dicit, *Terra in æternum stat*, ex extraneis probat, & non facit scientiam, sed fidem, qualem meretur Theologus. Item si Theologus probat Deum esse infinitum, quia mouet cœlum infinito motu, non facit fidem, neque scientiam, quoniam quod Deus moueat cœlum Æterno tempore, est opinio in Physica, & non Demonstratio: in Theologia verò hoc medium est extraneũ, teste D. Thoma, & non facit fidem. Sed cũ probatur authoritate Ecclesiastici dicentis, *Vnus est Deus Omnipotens, & magnitudinis eius non est finis*, tunc facit fidẽ. Ergo Theologi vtuntur mediis Philosophorum, non ad nos, sed contra Philosophos probando ad hominem, & in nobis fouẽdo fidem per assensum eorũ. Sic Physicus cũ probat oculum esse rotundum, quia à centro ad peripheriam lineæ sunt æquales, non physico medio probat; sed Geometrico, neque facit scientiam physicam, licet ostendat rem ita esse; sed probat physicè cum dicit, ob vsum ita factum esse vt vndique videat obiecta, & facilè possit circumuolui ad inspectionem eorum.

Neque ergo subiectum alterius scientiæ in altera est vsurpandum. Neque enim Geometra tractat, num Deus sit trinus.

Neque passio subiecti: vnde neque musicus considerāt vtrum sonus sit corporeus, vel incorporeus, sed vtrum delectet auditum.

Neque medius terminus. Quapropter non probabilis in Grammatica esse literas viginti quatuor, quia totidem sunt Apostoli & Prophetæ; sed quia tot sufficiunt, & requiruntur ad syllabas omnes contexendas. Sunt tamen aliquæ scientiæ subalternatæ aliis: quæ obiectum superioris scientiæ accipiunt sub alia ratione. Vt Astronomus de cœlo aliter quàm Physicus.: & Musicus de numero aliter quam Arithmeticus. Conueniunt quidem omnes scientiæ in principiis communibus. Distinguntur ex propriis, vel disparatis, vel & subalternatis, vt mox dicemus. At ne dum à subalternis scientiis tractatur idem subiectum, & passio, sed etiam à disparatis, sed sub alia ratione considerandi. Etenim probat physicus terram esse rotundam, quia omnes partes eius sunt ponderosę, & æquè in centrum accurrunt, & conglobantur. Mathematicus verò, quia Canobus stella patet Ægypto, & non Traciæ. Et Luna in Zenith Calicuti non conspicitur Italis: ergo tellus in longitudine, & latitudine est rotunda.

De Scientiis communibus, & particularibus, & principalibus & instrumentalibus, & subalternantibus & subalternatis.

ART. IV.

Scientiarum *aliæ communes*, quæ tractant de communi obiecto, vt Metaphys. de Ente. Et Logicus de sermocinatione in omni scientia. *Aliæ particulares* quæ tractant de particulari obiecto, vt physicus de aliquo ente naturali, & sub eo Medicus de aliquo naturali sub specialiori ratione, vt de homine quatenus ægrotatiuo: Theologia de ente summo. i. de Deo. Et Mathematica de Ente quanto: & Moralis de ente bono moraliter. Dico moraliter quoniam de ente bono simpliciter est Theologia, de bono vniuersalissimè est Metaphysica.

Iterum *harum scientiarum aliæ sunt principales simpliciter, vt Theologia*, quæ tractat de Ente principalissimo, qui est Deus. *Aliæ sunt principales secundum quid, & respectiuè*, vt Metaph. respectu aliarum scientiarum. Et Physica est principalis ad Medicinam, & Agriculturam, & nauigatoriam, & Astronomiam; & Mathematica ad Cosmographiam, & Astronomiam, &c.

Aliæ sunt instrumentales, quorum obiecta deseruiunt obiectis principalium: Vt enim omnis scientia est instrumentum Theologiæ & ancilla: Vt Logica est omnium scientiarum: & Mathematica Physiologiæ: mensurat enim, ponderat, & numerat physica corpora. Ergo *quæcunque tractant de mediis sunt instrumenta ad eas, quæ de fine*: vt Coquinaria & Pharmacopęa, quæ tractant de pharmacis & cibis, quibus seruatur & acquiritur sanitas, sunt instrumenta Medicinæ quæ tractat de sanitate, illarum fine.

Hinc est quod aliæ scientiæ dicuntur apud Peripateticos subalternatæ. Aliæ subalternantes. Subalternans est, quæ dat principia actiua, vel materialia, vel idealia, vel formalia alteri ad probationes, vt demonstrationes. Sic Arithmetica dat probationes Musicæ, quæ de sono tractat numerorum rationes illi musicorum præscribens. Et Geometriæ subalternatur Prospectiua, quæ de visione tractat. Vtiturque angulis lineis rectis, & obliquis ad suas demonstrationes, de quibus tractat Geometria: cui etiam Cosmographia subalternatur quæ describit Mundum per Geometriæ principia.

Accipiunt aliæ principia suarum probationum à causa finali, & perfectionali; & sic omnes tractantes de fine sunt subalternantes ad eas quæ de mediis. Ergò Nauigatoriæ subalternatur Nauifactoria: & Nauifactoriæ Dolatoria lignorum, & Dolatoriæ cæsoria lignorum. Et Medicinæ Coquinaria, & pharmacopæa, vt dictum.

CORRECTIO.

DIcunt quidam, quod ſcientia ſubalternans accipit à ſuperiori ſubiectum, & addit differentiam accidentalem. Sic proſpectiua habet pro ſubiecto lineam viſualem. Sed hoc non eſt verum. Tractat enim de viſione, & non de linea. Sed probat modum viſionis per lineas.

Nec pharmacopæa, nec Coquinaria addit accidentales differentias ſanitati. Sed tractant de mediis ad ſanitatem. Iſtæ tamen, quę accipiunt à fine ſuas probationes. [Talia enim eſſe media faciunt qualia fini conueniunt: vnde quæ tractat de fine, dicitur Architectonica, & imperatrix ad eas, quæ de mediis: vt eques imperat frenefactoriæ, quemadmodum vult fieri frenum.] Iſtæ, inquam, ſunt inſtrumentales ad principales Architectonicas.

Sed quæritur an omnes ſcientiæ ſubalternentur Metaphyſicæ, à qua probationes ſuorum principiorũ habent. Et quidem quod omnes ſint inſtrumenta ad Theologiam, ad cuius obiectum cognoſcendum & amandum, & acquirendum omnes referuntur, nulli dubiũ eſt. Sicut Legiſlaturę ſubiicitur Politica, Ethica, & Oeconomica, & militaris. At non quia accipiunt probationes à Theologia, vt ab actiuis & materialibus cauſis, ſed ſicut à finali, & perfectionali. Quibus abſtractis & non conſideratis, ſunt diſparatæ, & non ſubiectæ illi. At quòd Metaphyſicę etiam ſubiectę ſint, neque videtur dubitandum, quidquid dicant Peripatetici. Nam & ſubiectum ab ea ſuſcipiunt quod eſt ens; adduntque contractionem ad certum genus entis. Vt Mathematica, de Ente quanto. Phyſica de Ente naturali, & etiam probationem. Probat enim Metaphyſica aliarum principia argumento oſtenſiuo ex cauſis, aut ducente ad impoſſibile. Et ſic etiam Theologia ſubalternatur Metaphyſicæ, quo ad modum conſiderandi. Tractat enim de Ente diuino, contracto ſecundum modum noſtrum, ſecundum ſe enim omnia entia cõplectitur. Metaphyſica verò de Ente ſimpliciter nobis vniuerſaliori. Sed ſecundum cauſam finalem omnes ſcientię ancillan-

cillantur Metaphysicæ: Metaphysica verò Theologiæ humanæ: Theologia humana, Theologiæ Angelorum, & Beatorum, à quibus reuelationem obiecti, & finem promissorum habet. Theologia tandem Angelica subalternatur diuinæ, qua Deus se ipsum nouit, & alia entia, & nouit & facit. Prętereà etiam Metaphysica subditur Theologiæ vt instrumentum. Quoniam tractat de omni ente simpliciter. Theologia de principalissimo ente causa omnium entium: vnde descendit ad tractandum de cunctis entibus, quatenus sunt effectus, signa & participium primi Entis. Ergo ratione etiam considerationis, ne dum rei consideratæ, subditur Metaphysica Theologiæ, si Ens dicitur analogicè, & non vniuocè, vti vult Scotus. Scientiæ ergo particulares vniuersalibus etiam subduntur sui generis. Particulares inter se sunt disparatæ. Disparatæ vtuntur omnibus principiis communibus resoluendo suas theses ad ipsa. Subalternata & particularis ad suam subalternantem & vniuersalem recurrit.

Scientiarum aliæ ad Potestatiuum referuntur vt Mathematicæ. Aliæ ad Cognoscitiuum, vt Logicales. Aliæ ad Volitiuum, vt Morales. De hac distinctione vide Metaph. Idem de artibus Mechanicis. Nam Militaris ad Potestatiuum. Pictura ad Cognoscitiuum. Coquinaria ad Appetitiuum.

Quas ob causas variæ sint scientiæ & aliæ Communes. Aliæ particulares & de ipsarum dignitate vsu & origine.

ART. V.

QVoniam principia scientiarum à sensu percipimus. Organa autem sentiendi varia sunt ob vsus varios. Vnus autem est sensus in illis operans, siue sentiens substantia. Quæ omnia obiecta simul confert. Sunt enim insuper obiecta varia, & varia sentiuntur ratione. Propter hoc enim facta sunt organa varia. Hinc factum est, vt Phi-

losophi scientiarum genera multa facerent, prout obiecta sunt multa, ac rationes considerandi, multæ. Sunt quidem scientiæ communes, quę de cunctis obiectis considerant, sicut Mens, & lingua, Metaphysica, & Logica, sed tamen varia ratione. Illa enim, vt sunt Entia, hęc vt sunt cognoscibilia, & enunciabilia. Non tamen sufficiunt hę duæ scientiæ, quoniam oportet particulares rerum entitates cognoscere, & declarare, vt vita nostra seruetur quæ omnibus vtitur, aut fruitur entibus. Propterea sub Metaphysica & sub Logica alię particulares dantur scientiæ: quemadmodũ Menti & sermoni peculiares modi cognoscendi, quę vocantur sensoria, & dicẽdi vocantur significatoria.

Idem enim sensorium & particularisat scientiam: & menti eam significat peculiariter. Mens autem, & omnes omnium sensoriorum apprehendit, & confert. Et vnico instrumento linguarum annunciat. Ad sciendum ergo particulariter est Physica, Mathematica, Moralis. Physica sub se habet Medicinam, Prospectiuam, Agriculturam, Astronomiam, Astrologiam. Mathematica Geometriam Arithmeticam, & sub his Cosmographiam, Astronomiam. Moralis continet Ethicam, Politicam, Oconomicam, militarem, &c.

Sed profectò si obiecta cognoscitiui tantum Consideraremus, non nisi vna esset scientia communis & tot particulares, quot sunt cognoscitiui organa, vt Musica pro auditu, Optica pro visu. Odoratiua pro olfactu, Medicina pro gustu & tactu. At quoniam & Potestatiui, & Volitiui dantur organa & obiecta, quæ vt cognoscibilia simul sunt, faciunt scientias particulares: propterea datur alia scientia Potestatiuo principalis, vt Mathematica. Alia Cognoscitiuo vt Logica, alia volitiuo vt Moralis. Metap. verò est omnium Primalitatum obiectorumque speculatio. Grammatica omnium declaratio, Mechanica omnium executio per operatoria organa.

De organis & obiectis omnium dictum est in Physicis: de scientiis ad ipsa spectantibus in Metaphysica. Hic autem distinctiones solum ex demonstrationis vsu

conſideramus. Theologia eſt ad quam omnes diriguntur, vt ad primum Ens, & Bonum, & Verum, omnia Entia bona & vera.

Quòd obiecta, & Modus conſiderandi, & Principia, vt ſcibilis, & finis, & vſus, diſtingunt, & conſtituunt ſcientias humanas.

ART. VII.

SCientiæ ergo diſtinctę ſunt, quia habent diſtincta obiecta; & principia & fines. Obiectum debet eſſe Vniuocum, aut Analogum, & vnica ratione formali conſideratum, vel ad vnum, vt conſtituat vnam ſcientiam; quæ conſiderat eius principia, paſſiones, partes, & quæ accidunt illi; Dico autem principia, & partes quatenus eſt ſcibile, non quatenus eſt Ens. Nam Theologia conſiderat de Deo, qui caret partibus, paſſionibus & principiis. Sed ratione noſtræ ſcientiæ ſunt quaſi partes potentia eius, Bonitas, Vnitas, Sapientia, Entitas: quaſi principia ſunt, Metaphyſicales propoſitiones, quibus iſta nobis innoteſcunt, vt omne Ens per participationem eſt ab ente per eſſentiam. Quaſi paſſiones ſunt Creatio, Gubernatio, Beatificatio, Similiter & numerus ſimpliciſſimè conſideratus principia habet ſciendi, vt quòd ſit vnitas geminata; & paſſiones par, & impar: & Partes, dualitas, trinitas, quaternitas, &c.

Sunt quidem res ſimiles, & diſſimiles, & ad diuerſá, & ad eadem pertinent genera, non tamen genus vnum conſtituit ſcientiam vnam. Nam Arithmetica, & Geometria ſunt duę ſcientię tractantes de numero, & magnitudine, quæ ſub genere quantitatis continentur ambæ. E contra Phyſica tractat de corpore, & de calore & de motu, quę ſub diuerſo genere ponuntur. Ergo debet eſſe genus vnum in ratione ſcibilis, non in ratione Entis.

Ratio autem ſcibilis eſt modus conſiderandi: modus

verò considerandi, intrinsecus est à modo & contractione varia. Nam sensatio ad nasum contracta, dicitur odoratio: ad oculum visio, ad linguam gustus; ad aurem auditus. & tamen omnes hæ sunt sensatio vna, & modi sentiendi plures ob virtutem coarctatam ad varia instrumenta: sic etiam scientia ad facultates contrahuntur. Extrinsecus verò correspondens huic est à fine & vsu. Vt Physicus tractat de sono, quatenus afficit auditum. Musicus quatenus consonat, & dissonat ad delectationem. Moralis considerat de virtute ad regimen sui. Politicus ad Reip. gubernationem. Nihil autem mirum si de omnibus Metaphysica sermocinatur. Nam & obiecta similiter se habent. Calor enim vt simpliciter tangitur est obiectum tactus; vt tangitur oculo a longè se multiplicando dicitur lux, & est obiectum visus. Vt simul cum mole crassa, in qua irretitur debilis agit in linguam, vocatur sapor. Vt autem cum mole tenui exhalans spiritum nasum afficit, vocatur odor: Vt tandem mouet aliquid, & percutit auditũ, dicitur sonus. Varia ergo sui accidentia variam sui naturam faciunt, & notitiam. Metaphysica ergo quæ naturas, quasi desuper intuetur, quo pacto omnia conueniunt in ente inuestigat. Theologus autem in primo ente.

Porrò partes obiecti & subiectiuæ & integrales, & essentiales, & quantitatiuæ, aut aliusmodi, de quibus diximus in Tractatu de Arte diuisiua in lib. primo.

Diximus etiam ibi de principiis scientiarum doctrinalium, idest de definitionibus perfectis ratione collectis: & imperfectis sensu: elementis doctrinæ. Item de propositionibus magnis, quę sunt comprincipia doctrinæ a principiis inuentionis deductæ: & hæ sunt propositiones primæ sensatæ, in quibus non magis substantia, quam Accidens cognoscimus. Certius enim scio Petrum esse album & curuum, quam rationalem ab initio. Ex his conficiuntur propositiones multæ & particulares & vniuersales, illæ ex contingentibus plerumque. At ex necessariis vniuersales, & particulares. Ex his deinde fiunt scientiæ, & methodi, quoniam omnia similia eodem modo sese habere

putamus; vt experti semel, bis, & ter, quod Reubarbarum purgat choleram, efficimus hanc maximam: Omne Reubarbarum purgat choleram; & quia consimili ratione senam purgare bilem atram nouimus, &c. & sic de cæteris pharmacis efficimus scientiam medicandi humores. Cuius est vnum scibile obiectum ex ratione pharmaci, hoc est medicamen purgatiuum: Similiter, & morbos corporis hos, & illos longa experientia pernoscentes, efficimus scientiam de curabili, & incurabili obiecto corpore humano; & consideramus numerum dierum criticorum, & periodos morborum, mutuantes ab Arithmetica instrumentali scientia. Sic noscimus ex effectibus causas, & è pluribus causis efficimus maximam, quòd datur causa causarum. Et ex aliarum Potentia, Sapientia, & Amore facimus hanc maximam: quod oportet causam primam esse Potentissimam, Sapientissimam, Amorosissimam. Et his principiis procedimus in Theologia. Hoc ipsũ seruat Medicina, considerans naturalia corporis principia, & partes & passiones, similiter & medicamentorum, sed ad rationem sanitatis. Palam ergo est, quomodo suscipitur obiectum, & ratio formalis in scientia vniuersali, & in particulari, & quod etiam ea, quæ accidunt casu considerat sciens. Nam Physicus monstra, & Astrologus Cometas, & Medicus numeros tertianarum considerant quatenus ad rationem aut notitiam, aut accidentia sui spectant subiecti.

Credo equidem aliis sub rationibus scientias ab Angelis distingui, & considerari, sicuti scripturam alia admiratione admiratur rusticus, alia literatus. De his autem in Metaph.

Mathematicas non esse præstantiores Physicis scientiis contra Arist.

Art. VII.

EX dictis autem videmur Arist. & multis antiquorum refragari; qui Mathematicas certiores & firmiores &

nobiliores Physicis esse contendunt, quoniam abstrahunt à materia fluxa sensibili, & impura, & obiecta sua tractant simpliciori ratione.

Sed hæc ratio nulla est, quoniam & domus potest considerari nil considerando, vtrum sit lignea vel lapidea, vel lateritia, neque eius accidentia; at in illa consideratione pauciora scimus, sed certius; quoniam euitamus laborem in inuestigandis incertis, quæ accidunt, sed non propterea extensiuè sapientiores sumus. Sic non quidem doctior est, qui numeros simpliciter scit, quam qui scit insuper numerum arenæ, & guttas pluuiæ, & quot atomi sunt in aëre, & quot gradus caloris in Sole, & quot angulos lux in aëre format. Illa est hominis modici ingenij, ista verò immensi Dei. Quapropter sapientior est Astronomus, qui magnitudines stellarum scit, quam Geometra, qui solas magnitudines. Et scire singularia omnia distinctè melius est, quàm vniuersale, quo confusè singularia scimus, vel scire possumus. Non ergo est defecatio, & puritas in abstractione, sed debilitas, vt contra Arist. probauimus.

Aristotelis rationes probantes Mathematicas esse certiores & firmiores.

Art. VIII.

SED instat in pri. Poster. Cap. 12. quoniam Mathematicæ patent ad sensum. Ergo sunt certiores; non ènim circulum, nisi hunc, considerat, visui obiectum; & per hunc alios, ne æquiuocatio intercedat.

2. Item in Mathematica non dantur instantiæ particulares, in quibus est deceptio; quoniam prædicata sunt conuertibilia, & qui probat hunc triangulum habere tres probat de omnibus: In physicis autem non probatur vniuersaliter, sed particulariter affirmatiuè, & negatiuè.

3. Item Mathem. procedunt ex Conuertibilibus, in quibus non est deceptio, & possumus arguere in 2. figura uris affirmatiuis.

4. Item in Mathem. si præmissæ sunt veræ, & con-

clusio est vera, & è conuerso; quoniam arguitur ex conuertibilibus.

5. Item non recipiunt Mathem. nisi prędicata per se: alię verò scientiæ, per accidens.

6. Item demonstrant per solam causam formalem. Aliæ verò per plures quàm in vna via.

Responsio ad præfatas Aristotelicas rationes.

ART. IX.

AD 1. Ast hæ rationes sophisticæ sunt; Nam & Physici & omnes artifices in notis per sensum fundantur, non modò Mathematici; sed hinc elucescit Arist. imperitia, quia sensui negat scientiam: Et nunc scientias maximè intellectuales sensui committit.

Ad 2. dicimus, quòd etiam omnes scientiæ in prædicatis conuertibilibus similiter se habent. Qui enim probat hominem hunc esse rationalem, de omnibus probat. Neque instantiæ fiunt, nisi de accidentalibus prędicatis, quæ singularibus accidunt. Quod si Mathematicus sequestrat se à singularibus prorsus, non propterea est sciens. Neque enim quia scio hominem esse risibilem, doctus sum, nisi quia per hoc scio Petrum & Paulum & alios esse risibiles; non enim propter se est scientia de Vniuersalibus, sed propter opus, & particularium notitiam. Quantopere autem errent Mathematici, palam est in Astronomia, vbi de numero Spherarum certant; de quantitate, & situ sydereum: Vtrum moueatur tellùs an sol; hoc autem euenit, quia applicant scientiam vniuersalem singularibus. At idem accidit Medico. Non enim errat in sanando hominem; sed in hoc, quia accidentia variant ipsum scibile.

Item falsum est, quod qui probat aliquid de Isoscele probat de omni figura nō consimili. Non enim quatratum habet tres. Ideò & tertia ratio eius corruit. Falsum est etiā, quod in Physicis nō dentur vniuersales propositiones. Nā

& omnis homo est animal; & omne rationale est homo. Et nullus homo est rudibilis, physica sunt. Sed præter has addūt particulares, quoniam fœcundior est scientia physica, & non truncata, & abstracta, vti Mathematica. Et in secunda figura prædicata physica conuertibilia faciunt affirmatiuum syllogismum.

Ad 4. Et quarta ratio corruit, quoniam & in his si præmissæ veræ & conclusio, & è contra.

Ad postremam dicimus, quod accipere omnia prædicata est opus magnanimæ sapientiæ: quod si non assequitur in vniuersali, satis est ad vsum humanum, quod scitur. Sed Mathematica abstrahit tanquam impotens plura accipere, non quia alia adhuc prędicata desint.

Physicas scientias Mathematicis prestantiores esse, quoniam à causis procedunt. Mathematicæ autem à signo, & has esse propter illas, & non è contra.

ART. X.

AD id, quod vltimo additur, Falluntur Peripatetici. Non enim Mathematicæ probant per causas, vt ipsi opinantur, sed per signum. At quidem eiusdem Aristotelis testimonio, scientia per causas certior est, & nobilior. Quod autem probent per signum patet, quoniam siue ponas siue tollas medium quo probant, conclusio permanet. At Physicæ non permanent, quoniam sublata causa tollitur effectus. Dicimus enim terram in vere germinare apud nos, quoniam calor solis blandus augetur ex propinquatione, & directione radiorum, & terra fœcundatur, rarefit, & cum calore sursum tendente generat. Sed triangulus nō propterea habet tres æquales duobus rectis; quoniā ducta linea fit angulus extrinsecus æqualis duobus rectis. Nā & illo Angulo nihil facto adhuc habet tres. Similiter neque triangulus æquilaterus est, quia eius lineæ à duorū circulorum æqualium centris ductę sunt æquales, vt probat Euclydes: nam & à principio nil constitutis circulis erant etiam trianguli æquilateri. Sed si sol fœcundet in

tali

tali situ, tellus non germinat: Neque fiunt dies longiores noctibus in æstate, si sol non plus immoretur; neque tellus euaporat, nisi calefiat, & rarefiat. At linea alteri lineæ est æqualis, etiam si non detur tertia linea, in qua conueniant. Demonstrationes ergo Mathematicæ, vt rectè Telesius probat, à signo sunt.

Præterea omnes aliæ ipsorum demonstrationes sunt ad impossibile ducentes. Et ergo omnes à signo, non à causis.

Item Mathematicæ non propter se quæruntur; neque enim vlla vtilitas, & honos est earum, nisi applicentur Physicis rebus; in quibus errant, non minùs quàm Medicina. Sed mirabiles sunt, quoniam vniuersales mensuras rerum continent, & omnibus rebus sunt applicabiles. Vt autem docuimus in Metaph. earum probationes sunt à signo; & quoniam procedunt à definitione, vt cum Isosceles probatur esse triangulus, quia habet tres, ab Ideali ratione sensu nota proceditur, & non à causa vlla faciente hoc. Procedere autem à forma rei ad ipsam rem est potius signo ostendere, quàm ratione causali. Ipsa enim res est sua forma. Quis enim ostendet ratione causali, Quod quatrangulus habet quatuor? Sensu enim patet, quod talis est forma eius, & quia entia Mathematica sunt formæ, non autem res formatæ; Ideò non habent formalem causam, sed Idealem, Quando autem ad physica applicantur, tunc habent rationem à fine, & ab agente intellectu per ideam: Vt propter quid homo est figuræ rectæ? vt inspiciat cœlum; & omnia circum; quibus vtitur; non autem solam terram, ex qua viuunt Bruta. De his alibi, &c. sic autem explicatæ sunt incertæ, vt Physicæ, quemadmodum patet ex Astronomorum controuersiis.

DE ARGVMENTO SOPHISTICO.

CAP. XVI. PARS I.

PROOEMIVM.

QVoniam locuti ſumus de ſyllogiſmo generante ſcientiam, nunc de ſyllogiſmo generante ignorantiam reſtat ſermo. *Eſt autem triplex ignorantia. Alia negatiua, alia priuatiua, alia contraria.*

De Ratione & cauſis triplicis ignorantiæ.

¶ De Negatiua. IGNORANTIA.

IGnorantia negationis accidit vel ex defectu ſenſus, vt in cœco nato nulla eſt ſciẽtia de coloribus; neque quod immutet viſum. Vel defectu ſenſibilis, vt noſtrates ignorabant Antipodas ante Columbi nauigationem, & ſtellas errantes circa Iouem ante Galilæi experimentum, & quibus prædicatus non eſt Chriſtus ſufficiẽte perſuaſibilitate, habent ignorantiam Chriſti, quoniam non audierunt, nec auditionem impediuerunt. Senſus autem eſt inductionis, & Demonſtrationis autor: Ergo, &c.

De Priuatiua. IGNORANTIA.

IGnorantia priuatiua eſt cum quis ex delirio, vel ex vitioſo affectu, vel præſumptione ſcientiæ, vel pernicioſo amore Doctoris humani, vel prauo intellectu authoris diuini, ſe priuat vlteriori inueſtigatione veritatis: Dicens ſibi ſufficere, quod, & quantum ſcit.

De ignorantia contraria.

IGnorantia contraria fit cum homo non ſe priuat inquiſitione, ſed inquirit non vt verum inueniat, ſed vt con-

traria sentientes damnet: supponendo quod falsum sentiant, non inquirendo an rectè sentiant. Et hæc ignorantia habet fundamentum in Priuatiua, nam aliquando accidit ex aliquo animi vitio: non enim libidinosus legem contra libidinem esse rectam persuasum habet. Neque Auarus credit prædicanti contra auaritiam; & superbus pusillanimitatis syllogismos eos arbitratur, qui superbiam redarguunt.

Et quidam omnes hi sunt sanabiles, dum priuatiuè solum ignorant, si modo culturæ patientem commodent aurem. Quod enim per se homo nescit, si credat sapientiori, sapit alieno sensu, sicut nos vidimus Christum oculis Apostolorum.

At si accesserit delirium & furor, priuatiuè ignorant, & indigent pharmaco contra humores, animam infestantes, & rationem.

Accidit etiam ex pernicioso Amore hominum plusquàm veritatis, vt Aristotelici errantem sequuntur Aristotelem, & contra sensum. Quia enim ille negat solem esse calidum, & lucidum, etiam ipsi adhuc negant, quando recentiores, teste Auerroë & Simplicio, restituerint soli lucem, ab Aristotele ablatam. Sic & Macomettani, Macometto addicti errant, & Lutherani, Luthero, & hi omnes quærunt rationes, non quibus ab ignorantia liberentur, sed quibus confirmentur contra liberatores.

Item nascitur praua dispositio ex malo intellectu Autorum, vt Caluinus putat Apostolum Paulum negasse libertatem humanam: & Nouatus pœnitentiam lapsis, & hi indigent Duce.

Alij verò propria forti imaginatione ducti absque argumento certo aliquas assumunt falsas sententias, & defendunt. Vt si quis putat Deum esse Corporeum: aut lucem infinitam, aut reperiri homines aquaticos, igneos, aëreos & terreos, vt Paracelsus opinatur.

Alij verò quia nesciunt syllogismum fallacem soluere, sicut Zeno putat non extare motum, quia omne continuum

est diuisibile in infinitum, ergò nullum spatium est pertransibile. Ergo nullus in spatio motus fieri potest.

Alij autem vt faciant sibi nomen, cæteris contradicunt inuenientes dogmata inaudita, & quod sol non lucet in se, quod elementa carent colore, sapore: quod Aromi sunt rerum principia.

De qua Fallacia dicendum hic.

ART. II.

HOrum curam suscipere est Metaphysici: nos autem fallacias sophistarum cupientium decipere in sermone, ac docti videri, hic detegemus; quas Plato in Protagora & Sophista, & Dionisiodoro insectatur & Aristoteles in libris Elencorum collegit.

Metæ in quas Sophista Conatur perducere disputantem.

ART. III.

PRæcipitia, in quæ disputantem sophistæ conantur perducere, sunt, Redargutio, Falsum, Inopinabile, Solecismus, & Nugatio.

De Apparentia & existentia Sophistarum.

ART. IV.

ARgumentum Sophisticum habet in se apparentiam veritatis, & caret existentia. Nam ex propositionibus euidenter falsis & subitò negandis, nemo arguit. Frustra ergò conatur Aristot. prim. Poster. ostendere quibus in figuris quæ propositiones falsæ cõcluduntur ex manifestè falsis.

Distinctio Fallaciarum Dictionis & sensus.

SVnt autem in duplici genere fallacia argumenta, *alia namque in dictione, alia extra dictionem.*

DE FALLACIA IN DICTIONE.

PARS II. CAP. XVI.

Fallaciæ in dictione ſunt, Figuræ dictionis, Accentus, Æquiuocatio, Amphibologia, & Compoſitio, Diuiſióque.

De Fallacia figuræ Dictionis.
ART. I.

Cauſæ cur apparent veræ ex figura dictionis fallaciæ, eſt ſimilitudo vnius dictionis cum alia: cauſa non exiſtentiæ, ſeu defectus, eſt diuerſus modus ſignificandi.

In hac quinque modi errandi ſunt.

1. Primo quando maſculinum ponitur pro feminino & è contra, quia ſimilia ſunt nomina in deſinentia, vt res albeſcens eſt alba, ergo poëta eſt alba.

2. Secundo quando mutatur prædicamentum, vel genus: vt quos digitos habuiſti olim, nunc habes. Sed paruos habuiſti, ergò paruos habes. Vbi maior procedit ſecundum eſſentiam, minor ſecundum quantitatem.

2. Tertiò quando mutatur vniuerſale in ſingulare, & è contra; vt Petrus eſt alter ab homine, eſtque homo. Ergò eſt alter à ſe.

4. Quarto quando mutatur ſignificatum, aut ſuppoſitio, vt Petrus eſt homo, ergò eſt ſpecies.

5. Quando negatiuum apparet affirmatiuum, & è contra, vt nullum rudibile differt ab aſino. Omnis homo differt à rudibili. Ergò nullus homo differt ab aſino. Valet argumentum de forma in Celarent, & de materia. Sed prima, & Concluſio ſunt negatiuæ in apparentia, non in exiſtentia. 2. Verò videtur affirmatiua, & eſt negatiua. Senſus eſt. Omne rudibile eſt aſinus. Et tunc argumentum non valet de ſecunda negatiua, & concluſione affirmatiua in prima figura ſyllogiſmorum.

De Fallacia Accentus.

ART. II.

Fallacia Accentus habet causam apparentiæ dictionis in pronunciatione, aut scriptione similitudinem indebitam. Defectus verò diuersitatem significationis in pronunciatione, & scriptione debita.

Quatuor modi sunt fallendi in ea.

1. Quando potest breuis, & longi pronunciari, eadem dictio in diuerso sensu; vt æquum est Petrum pendere. Ergo iustum est Petrum pati furcam. Et Petrus est oblitus. Ergo est caracter oblitus.

2. Secundò quando eadem est pronunciatio, sed breuitas & longitudo syllabæ latet, vt arbor est populus, ergo est frequentia hominum.

3. Tertiò ex aspirationis varietate, vt quod hamatur capitur hamo: vinum amatur: ergo capitur hamo.

4. Quarto quando eadem dictio vna partitur in plures, aut plures pronunciantur vt vna. Vti, vuam Deus facit in vitè, ergo inuitus: vel tu es qui es ergo es, quies.

De Fallacia Æquiuocationis.

ART. III.

In æquiuocatione causa apparentiæ est vnitas dictionis simpliciter. Defectus verò multiplicitas significatorum.

Sunt autem tres modi fallendi eius.

1. Aut scilicet simpliciter Æquiuoci: Ius est liquor: Ergo lex est liquor.

2. Aut Metaphorici, vt pratum ridet. Ergo est homo.

3. Aut Analogi, vt vrina est sana. Ergo est Animal.

4. Aut ex diuersa significatione secundum tempus, numerum, personam, genus. Vt qui surgebat stat, sedens surgebat. Ergo sedens stat.

De Fallacia Amphibologiæ.
Art. IV.

IN Amphibologia apparentiæ causa est vnitas actualis eiusdem orationis: defectus verò est multiplex significatio.

Sunt modi tres fallendi in ea.

1. Quando manet eadem constructio, & variatur habitudo, vt liber est Virgilij. Ergo venditur à Virgilio. Negatur quoniam Virgilij est, vt autoris, non possessoris, & Diabolus vtitur sæpè amphibologia, vt decepit Pyrrhum, & quendam ex nostris. Aio te Eacida Romanos vincere posse. Ex hoc versu nescis, Romani, an Eacides Pyrrhas futuri fuissent victores, quoniam vtrinque accusatiuus habere potest actionem, & passionem.

2. Quando variatur Constructio, vt omnes Episcopi sunt Sacerdotes, isti asini sunt Episcopi. Ergo isti Asini sunt Sacerdotes: vbi ly Episcopi mutatur de nominatiuo in genitiuum. Sed figura Dictionis potest etiam dici hæc fallacia.

3. Quando aliud significat propriè, Aliud Metaphoricè tota oratio, aut ex sensu mystico fit literalis, vt ego in portu nauigo, ait Terentius, id est maneo tutus. Ex hoc non sequitur, ergo sto super aquas, nisi fallaciter. Augustinus Contra Donatistas. Non valet sponsus cubat in meridie: Ergo in Africa.

De Fallacia Compositionis, & Diuisionis.
Art. V.

IN Compositione, & Diuisione est causa apparentiæ vnitio orationis defectus, dissociatio significationis.

Tres autem habet modos.

1. Quando modalis debet accipi in sensu diuiso, & accipitur in composito, & è conuerso, vt nigrum possibile est esse album, ergo potest esse, quod nigrum sit album: Non valet, quia est vera ratione Subiecti, & non Compositi.

2. Quando plura possunt in prædicato aggregari coniunctim, vel diuisim; vt numerus compositus ex duobus & tribus est duo tria: quinque componitur ex duobus & tribus. Ergo est duo & tria. Et apud Platonem hic canis est pater; & est tuus; ergo est pater tuus.

3. Quando vna dictio potest coniungi diuersis dictionibus & diuersum efficere sensum, vt quicumque viuit semper est. Petrus viuit. Ergo Petrus semper est. Non valet, quoniam, ly semper, dum viuit rectè iungitur; sed non rectè postea diuiditur, quod sit semper. Et oraculum fallax illud, *ibis redibis non morieris in bello.* Vbi ly non potest iungi ad redibis, & ad morieris.

De Fallaciis extra Dictionem.

CAP. XVI. PAR. III.

PROOEMIVM.

Fallaciæ extra Dictionem sunt septem. Secundum Accidens, secundum Quid, & Simpliciter. Secundum petitionem principij. Secundum Consequens. Secundum non causam vt causam: & Secundum plures interrogationes vt vnam: & Secundum ignorantiam contradictionis.

De Fallacia Accidentis. ART. I.

In Fallacia Accidentis, causa apparentiæ est vnitas eorum quæ per Accidens coniunguntur. Defectus verò est diuersitas eorundem.

Eius tres modi assignantur.

1. Quando arguitur ab accidente ad subiectum. Vt cognosco currentem de prælio. Currens est Achimas. Ergo Cognosco Achimam, antequam accedat, &c. non valet similiter è conuerso.

Quando arguitur ab inferiori ad superius, & è contra, concludendo, quod conuenit vni, etiam de altero, vt trian-

triangulus est figura, & proprium trianguli est habere tres. Ergo & figuræ.

Et Petrus est homo, at proprium Petri est esse claudum: Ergo & hominis.

Similiter ab Accidente ad speciem: vt si tempus nullum est nobis: Ergo non est dies. Ergo est nox; ab oppositis: ergo est aliquod tempus, dum nullum est tempus.

De Fallacia secundum Quid & simpliciter.

Art. II.

IN Fallacia secundum Quid, & simpliciter, causa apparentiæ est conuenientia eius, quod dicitur simpliciter, ad illud, quod secundum: Quid Defectus verò Diuersitas.

Et quinque habet modos.

1. Quando additio est actus animæ, vt chimera est ens opinabile: Ergo est Ens: non valet, quia à secundum quid ente ad Ens simpliciter arguitur.

2. Quando additum secundum quid, repugnans est ad simpliciter. Vt Cęsar est homo mortuus: Ergo est homo.

3. Quando additio est Potentialitas: vt ouum est gallina in potentia: Ergo est gallina.

4. Quando additio significat partem, vt Æthyops est albus dentibus: Ergo est albus simpliciter. Sed quando determinatio est à parte, valet, vt Petrus est Crispus capillos: Ergo Crispus.

5. Quando additio facit terminum stare materialiter pro formali; vt fur vult furari bona: Ergo vult bonum.

De Fallacia petitionis principij.

Art. III.

FAllacia Petitionis non est in illatione, sed in petitione, vt concedatur illud, quod debet probari, & causa apparentiæ

est diuersitas vocabulorum, sub quibus, idem petitur. Defectus verò est synonimitas eorundem.

Et quinque fallendi modos habet.

1. Quando petitur Definitio ad probationem definiti, & è contra. Nam si ego nego hominem currere. Nego etiam Animal rationale currere. Si tu verò assumis, Rationale animal currere: Ergo homo currit: petis tibi concedi negatum sub alio vocabulo. Attamen extra disputationem sic arguere non inconuenit, quando alterum est notius. Hinc apparet Demonstrationes Mathematicas laudatas ab Arist. hoc vitio non carere, quatenus idem per idem probat.

2. Quando assumitur vniuersale ad probandum particulare negatum. Si enim ego nego hominem componi ex quatuor elementis: Nego etiam Animal. Frustra ergò tu dicis, Animal componitur ex quatuor elementis: Ergò & homo.

3. Quando omnia particularia petuntur ad vniuersalis probationem. Nam si ego nego hominem componi ex quatuor, non rectè tu probas ex eo quod Plato, & Petrus & Franciscus & cæteri, constant ex quatuor. Licet recta sit illatio, quando particularia prænoscantur in scientia inuentiua.

4. Quando petitur diuisim quod debet probari coniunctim, vt si tu neges Medicinam esse scientiam sani & ægri, fallo ego dicens, est sani, & est ægri. Ergo vtriusque.

5. Quando petitur Correlatiuum ad probandum suum Correlatiuum. Si enim ego nego hunc esse seruum Petri, tu frustra allegas, quia Petrus est eius Dominus.

De Fallacia Consequentis.
Art. III.

Fallacia Consequentis committitur ex apparentia illationis, & falsitate Consequentiæ, non autem Consequentis, & hoc dupliciter.

1. In Conditionalibus, vt quando arguitur à destru-

ctione Antecedentis ad deſtructionem Conſequentis, & à poſitione Conſequentis ad poſitionem Antecedentis. Nõ enim valet, ſi eſt homo eſt animal: ſed non eſt homo, ergo non eſt animal: Item neque, ſed eſt animal, ergo eſt homo: vt dictum eſt in Cap. pri. huius.

2. Quotieſcumque oppoſitum Conſequentis repugnat Antecedenti.

De Fallacia ſecundum vt cauſam vt cauſam.

Art. IV.

Fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam procedit ex hoc, quod putatur cauſa id quod non eſt cauſa & dupliciter fallit.

1. Quando proceditur in ſyllogiſmo ducente ad impoſſibile ex concluſione ad deſtruendam præmiſſam, quæ videbatur cauſa concluſionis, & non erat. Cauſa apparentiæ eſt iam dicta. Defectus verò patet ſimiliter, vt hic. Anima & vita ſunt idem. Mors & vita ſunt contraria, ſed mors eſt corruptio, & vita generatio. Ergo viuere eſt generari, quod eſt falſum. Ergo falſa eſt prima, quod Anima & vita ſunt idem.

In hoc ſyllogiſmo malè proceditur: namque non eſt cauſa concluſionis illa prima, Anima & vita ſunt idem. Sed illa mors eſt corruptio. Nam finis eſt corruptionis, & non actus corruptionis. Patet autem, quoniam remota prima adhuc ſequitur.

2. Item contingit fallere ſecundum hanc fallaciam. Quando proponuntur cauſæ, quæ non ſunt veræ cauſæ; ſed hypotheſes; & deinde reuertimur ad aſſerendum eas eſſe cauſas veras, quia ita ſequitur poſitis illis. Et hoc vitio Mathematici, & Aſtronomi ſemper ferè laborant. Nam quia motus ſolis ritè menſuratur poſitis Epyciclis ſolis concludunt epicyclos verè exiſtere. Et quia ex motu terræ ſaluantur Phenonema: Ergo tellus mouetur; & tamen alij alias per hypotheſes ſaluant phenonema, & Ariſt. putat eſſe 54. ſpheras, quia ita reddi poteſt cauſa eorum, quæ tamen non exactè redditur. Sed quia idem nume-

rus resultat, si fiat in fabis, & in lapillis, & in globulis ligneis, de rebus absentibus numeratis: non propterea res enumeratæ sunt lapilli, aut globuli, vt patet cum ludunt alcis in pecunia cartacea. Petunt etiam principium Mathematici, & non meminerunt, quod conditionale nil ponit in esse.

De fallacia secundum plures interrogationes vt vnam.

Art. V.

IN fallacia secundum plures interrogationes, vt vnam, causa apparentiæ est vnitas interrogationis. Defectus verò latens, pluralitas interrogationum, & responsio vna.

Eius duplex est modus.

Quando vnum de pluribus in singulari, & é conuerso, interrogetur, & vna redditur responsio, cui duæ reddendæ essent, vt putas quod homo & Asinus sunt Animal rationale. Si dicis sic. Ergo (inferam) Asinus est Animal rationale. Si negas, ergo, (inferam) homo non est animal rationale, &c. similiter, putasne Æthyops est homo albus, &c.

Quando plura prædicantur vel subiiciuntur in plurali, vt vtrum mel & fel sint dulcia? si asseris, Ergo (inquam) fel est dulce: si negas. Ergo mel non est dulce. Duplici ergo responsione egebas.

De fallacia Contradictionis ignoratæ.

Art. VI.

IN fallacia Contradictionis, Causa apparentiæ est apparens Contradictio. Defectus autem requisitorum ad contradictionem est causa fallendi. Est enim contradictio affirmatio & negatio eiusdem de eodem secundum idem, & in eodem loco, tempore, parte. Et in his particulis omnibus contingit falli, vt palam est ex dictis in pri. & 2. libro. Defectu primæ. Petrus est albus, & Petrus non est rufus

non contradicunt. Ergo non valet, ſi falſa eſt Petrus non eſt rufus. Ergo eſt vera Petrus eſt albus. Defectu ſecundæ, non valet Petrus muſicus cantat, & Petrus non cantat. Vt ſi hæc eſt falſa, altera ſit vera, poſſunt enim eſſe ambæ veræ. Defectu tertiæ non valet, Chriſtus eſt minor patre, & Chriſtus non eſt minor patre, contradicunt. Nam ſecundum humanitatem eſt minor, non ſecundum diuinitatem. Defectu quartæ, quintæ & ſextæ non valent. Petrus eſt albus, & Petrus non fuit albus. Et Petrus eſt in platea, & non eſt in domo. Et eſt candidus ore, & non candidus manu. Ergo candidus. Igitur neque licet à contradictorio expugnare contradictorium, cui deficit aliqua ex dictis conditionibus, &c.

Ad hoc genus fallaciarum reducuntur ſi quę propoſitiones videantur æquipollere, & non æquipollent: vt in ſecundo libro.

DE TOPICIS AD ARGVMENTVM PROBABILE SVSPICATIVVM, ET TESTIFICATIVVM.

CAP. XVII. P. P.

Dicendum eſſe de argumentis probabiliter, & credibiliter, & ſuſpicabiliter probantibus.

ART. I.

EXpleto ſermone de argumentis generantibus ſciẽtiam, & de generantibus deceptionem, Reliquum eſt, vt de generantibus opinionem, & ſuſpicionẽ dicamus. Cognitis quippè extremis, media facilius agnoſcuntur. Procedit autem argumentum ex probabilibus propoſitionibus non quidem ſemper ſecundũ naturam, vt Ariſt. putat. Contingit enim & neceſſarias propoſitiones tanquam probabiles adſumi, & quæ in materia contingenti fiunt ſcitas eſſe, & demonſtratas, ſicuti in ſuperiori ſermone declaratum eſt, quandoquidem & diuina, quæ neceſſaria & ſcita Angelis & credita nobis, per probabiles ſyllogiſmos ſe declarare S. Thomas in p. Contra gent. profitetur. Vt Eclypſim in communi contingentem ex terræ interpoſitione, & hanc indiuidualem. Et hunc hominem,

& hanc pluuiam ex suis veris propriis causis scire sit demonstrareque: & contingentium, & indiuiduorum esse scientiam & definitionem, in Metaphys. quoque probatum nobis sit. Dicere etiam oportet de argumento faciente fidem: quod tamen inartificiale aliqui vocant, nos tamen Artis esse ex parte ostendemus.

Argumentamur autem probabiliter non solum syllogismo & inductione, vt Arist. scribit in Topicis, quibus hic tractatus correspondet: sed etiam enthimemate & consequentia, & exemplo & Æquipollentia. De quibus prior factus est sermo.

Facit autem suspicionem argumentum deficiens, non ex toto à verè opinabili & credibili; si enim à toto deceptionem.

De Probabilibus multipliciter.

ART. II.

Propositiones probabiles dicimus, quæ omnibus videntur probabiles, aut pluribus, aut sapientibus omnibus, aut quibusdam, aut vni doctißimo.

Eædem propositiones quatenus in vtrãque partem disputabiles sunt, dicuntur problemata; Scepticisque omnes sunt tales: Nos verò solum quidditates putamus disputabiles, non autem entitates sensibus omnium expositas, vt in Metaph. docuimus, nisi quatenus, & existentia est etiam quidditas.

Probabilis quidem omnibus est oratio, quod omnis mater amat filium. Ex qua Salomon intulit. Ergo hæc est mater huius.

Probabilis multis, vt, quod pro patria dimicandum est vsque ad mortem. Romani ita senserunt.

Sapientibus verò, vt quod nullum incorporeum est per se in loco.

Quibusdam, vt quod sint duo elementa, Cœlum, & Terra.

Vni, vt quod non detur contradictio, ſicut dicebat Ariſt. neque motus, vt Zeno.

Improbabile eiſdem modis dicitur.

Exemplum primi, quod Deus non eſt honorandus. Secundo. Quod furtum non ſit malum, ſicut videbatur Lacedemoniis. Tertio. Quod ſol non gyrat per Antipodas ad nos. Quarto. Quod Atomi ſint cauſæ omnium rerum phyſicarum. Quinto. Quod ſol habet in ſe lucem & calorem, viſum eſt Ariſtoteli improbandum.

De Axiomatis, Theſibus, Hypotheſibus & Paradoxis.

Art. III.

SVnt ergo aliæ propoſitiones communes omnibus, vel pluribus, vt de quolibet vera eſt affirmatio, vel negatio. Aliæ propoſitiones ſcientiis antepoſitæ tanquam propriæ, vocatæ theſes, vt linea eſt longitudo. Aliæ particularium ſapientum, vt Teleſij, quod duo ſint elementa, & Heracliti, quòd vnum.

Alię verò dicuntur ſuppoſitiones, Gręcè hypotheſes differentes ab theſibus. Iſtæ enim probantur à ſuis defenſoribus per ſenſum, aut per cauſas, & effectus, & ſigna. Hypotheſes verò ſupponuntur, neque probantur, niſi per ſigna, & à poſteriori. Si enim ex illis ſuppoſitis nullum ſequitur impoſſibile, & cauſæ redduntur eorum, quæ eueniunt, ignoranturque vndénam, vtique pro veris ſupponuntur, tales ſunt hypotheſes Ptolomei de excentricis & & Epicyclis, & motu raptus. Et Copernici de motu terræ, & librationibus, & ſolis quiete in mundi centro, & fixarum in peripheria: ex quibus putant omnium apparentiarum ſe poſſe rationem reddere in celeſtibus. Et Mathemat. Continuum eſſe diuiſibile in infinitum.

Aliæ tandem, Paradoxa dicuntur, quę non ex ſignis probantur, ſed cum ſint contra omnium ferè opinionem hominum poſita, habent probationes rationales in ſenſu ponentis. Talia ſunt Stoicorum à Cicerone paradoxa deſcri-

scripta, vt quod omnia peccata sint paria; quia per omnia regulam transilimus. Sunt &. aurea sancti Chrysostomi paradoxa, vt quod nemo læditur nisi à se ipso. Quod plus debet benefactor beneficiato, quam beneficiatus benefactori. Quod melius est pati iniuriam quam inferre. Hoc etiam Socratis fuit. Quod plus peccata leuia, quam grauia cauenda sunt. Aliaque multa quæ in suo sensu veriora sunt & eminentiora Stoïcis. Has omnes disputator scire debet.

Item distinguere oportet quod sunt aliæ probabiles, & improbabiles in Theologia. Aliæ in Metaphysica; aliæ in physicis. Aliæ in moralibus; aliæ in Mathematicis. Aliæ in Logicis: vt palam est.

Propositiones Dialecticas non esse tantùm quatuor, sed duodecim. ART. IV.

ERgo Propositiones Dialecticæ non fiunt solum v Aristoteles docet ex definitione, & genere & proprio & accidenti: cum sint alia prædicata præter hæc in scientiis; vtrum Phœnix sit vel non sit. Problema est, quod tamen esse quærit, & vtrum sub æquatore sit habitatio hominibus, olim problema fuit: Cùm Aristoteles, & cum eo D. Thomas negarent; Albertus & Auic. affirmarent. Nunc verò certa est propositio affirmatiua. Nec de prædicatis Arist. solum erat quęstio, sed de Esse & Nonesse, quod pertinet ad omnes scientias. Ideoque ad Metaphysicum.

Iterum *propter quid venisti in forum*, quæritat causam finalem, & nullum ex quatuor prædicatis Aristotelicis. Similiter de quo ligno fienda est nauis? à quo Artifice? qua figura? cuius instar? esto enim quod prædicamenta spectant ad genus & proprium & accidens, & definitionem; non tamen causæ. Et ideò de his erant problemata formanda. Deest etiam suis prædicatis differentia, de qua cur non sit problema, si est de genere & definitione, de his inferius: vbi & Metaphysica problemata enucleabimus.

Sunt ergo nobis alia prædicabilia transcendentalia, vt in pri. libro declaratum est. Alia generica, alia specifica, alia destructiua, alia indiuidualia, alia differentialia, alia propria, alia accidentia, alia causalia, alia metaphysicalia.

Vt vtrum hæc stella sit Iupiter, & de cunctis formatur propositio probabilis.

Sed Genus & species non variant propositionem, idcircò tanquam vnum vtrunque ponitur.

Ens verò & alia transcendentalia variant. Aliud enim est quęrere, vtrum vacuum sit, & aliud vtrum sit incorporeum; hæc autem probata sunt ibidem. Similiter aliud est quærere, vtrum Petrus sit albus, & vtrum sit mortuus. Illa enim de accidente quæstio est, hæc de entitatis priuatione. Igitur octo sunt genera probabilium in omni scientia. Adde nonum de definitione; quod est prædicabile sæpè dialecticum, cui & descriptionem adiunge, vt decimum. Vel melius Diuisionem: quando sæpe quærimus vtrum sic aliquod subiectum sit diuidendum. Descriptio verò cum Definitione confunditur vt in suo tractatu docuimus.

Vndecimum est prædicatum causale in sex generibus causatum: vt supra diximus. Duodecimum est Metaphysicale, siue ex primalitatibus, siue obiectis earum, siue influxibus, vt patebit ex nostris quęstionibus.

Quibus modis singula prædicata prædicentur.

PRædicata transcendentalia de omnibus analogicè: de singulis verò dicuntur omnimodo. Definitio verò de Definito prædicatur in quid quale; quoniam dicit essentiam per genus, & eandem qualificatam per differentiam. In omni prædicamento reperitur quid & quale. Ergo Differentia prædicatur in quale essentiale. Proprium verò similiter: sed illa constituit qualitatem essentialem, hoc verò fluit ex qualitate essentiali. Sicuti mobilitas in igne à calore, qui ignis est differentia essentialis. Accidens autem prædicatur quomodocumque aduentitio post esse completum; & potius ad existentiam quam ad essentiam

pertinet; & alterius est prędicamenti à subiecto; & si est in prædicamento Quantitatis, prędicatur in quantum: si in Qualitatis, in quale: si in Actionis, &c. prout sit quęstio, vt in prædicamentis.

Indiuiduum predicatur in quod. Nam ad interrogationem quis est hic? respondemus. Est Iesus à Nazareth Propheta. Et quæ stella est hæc? respondemus Aldebaram.

Prædicata autem opposita, vt domus est combusta, & homo est mortuus, non prædicantur vt accidens: alioquin qualificarent non destruerent subiectum, sed in Nihil; qui est modus proprius à priscis scriptoribus non consideratus. Cum enim valeat Consequentia de secundo adiacente ad primum in omnibus, vt si est homo animal, vel Petrus, vel albus, ergo est: hic è contra non valet; homo est mortuus: Ergo est: Valet autem, vbi non est totalis destructio; vt est Cœcus, ergò est. Sed non valet visus est cœcutas, ergo est. Quoniam cœcitas est visus destructio totalis, non autem Petri.

Prædicatum causale est per se si de vera causa: per accidens si de causa per accidens. Metaphysicale superioris est ordinis, de quo alibi.

In omni autem prædicamento, & in sensu, hæc duodecim prædicabilia reperiuntur: Ergo de omni re quæstiones probabiles fieri possunt, & demonstratiuæ & litigiosæ.

Possumus etiam dicere, quòd accidentia prædicantur extrinsecè eo modo quo constituitur genus, vnde sumuntur. Ergo triangulus est ligneus, est prædicatio in quid extrinsecum: & Petrus est longus: in quantum, & Rectus in Quomodo: & Quiescens in operatione, & Legens in actione: & Conformes Petro, in vnitate; & sic de cæteris prout mouetur Quęstio; & opposita omnia in Nihil. Si enim Petrus non est animal, non valet, ergo est.

Prædicata autem æquiuoca solum voce prædicantur, vt ex Metaphysica: Sed in simili imperfecto. Analogica proportionaliter, vel ad vnum attributiuè prædicantur. Synonima identicè alterum de altero.

Definitionis, Proprij, Generis, & Accidentis, certitudinem ex superioribus haberi; neque in Topicis inquirendum esse; sed tantum de illatione opinionis suspitionis, & fidei, per locos tractandum.

ART. V.

ANxiè quærit Arist. quibus, & quot modis probatur Definitio de Definito; & proprium, & Genus, & Accidens. Alia enim predicabilia non considerauit, licet tamen insudarit & quot modis: iterum reprobantur.

Quos si vellem examinare, prolixus sermo, & inutilis foret; neque ad omnes errores & ineptias, & superfluitates confutandas perueniret, cum prçsertim easdem regulas quatuor repetat in quatuor prædicatis: nobis autem huiusmodi labor exantlandus non est. Si enim superiores sermones quis percepit, vtique & prædicabilia, & prædicamenta, & probationes omnium terminorum iam habet. Ex definitione enim singulorum prædicabilium totali, & ex singularium partium definitione, probitate, vel defectu, agnosci potest facile num proprium, aut genus, aut accidens cuique subiecto sit ritè assignatum, & oratio bona & construenda sit: an perperam, & destruenda.

Ex his verò, quæ diximus in tractatu de Definitione, & de Diuisione, similiter probabilitas, & improbabilitas earum elucescit. Hic autem replicare nolo. Reliquum est, vt locos, vnde probationes omnium propositionum accipiuntur, enumeremus, cum etiam de expositionibus, & probationibus terminorum tractantes, & de Æquipollentiis propositionum, satisfecisse pleniùs quam Arist. desiderat, notum sit. Similiter vbi quænam bona, & quænam mala sit consequentia, docuimus. Nunc autem non de prædicatis est quçstio, quæ iam absoluta est: sed de opinionis & suspitionis, & fidei illatione, ex præcedentibus propositionibus, & argumentis.

QVÆSTIONES DE ESSENTIA, & existentia Metaphysicè, & Physicè fieri: & secundum primalitates, earum obiecta, & influxus. & principia, & elementa, & causas & prædicamenta.

CAP. XVII. Pars II.

Art. I.

QVærimus probabiles, & necessarias propositiones de vnaquaque re. 1. Queritur de Primalitatibus, & earum obiectis, & influxibus. Hoc est primo, an sit, an per se sit: an insit: an adsit: an subsit: an præsit: re, an ratione. 2. De Posse, Esse, & Operari. 3. De Sapientia essendi, & operandi: 4. De Amore essendi, & operandi. 5. sit ne vnum, an plura. 6. Verum an falsum. 7. Bonum, an malum. 8. Necessarium, an Contingens. 9. Fatale, an Casuale & fortuitum. 10. Congruens, an Dissonans sibi & aliis.

Mox vbi & quando.

Ex quibus principiis, & elementis, & causis.

Deinde à quo: de quo: quo: instar cuius: propter quid est; & secundum quod perficitur.

Deinde quæritur de prædicamentis essentiæ: Vt quid est; id est in quo prædicamento. Quidditas enim cuiusque rei in suo prædicamento reperitur, vbi Genus, & Differentia habetur: & causæ, principia; & proprietas quæruntur. Deinde quantum est; quale est; quo operatur; quid patitur, & à quo: cui in quo est simile, cui in quo dissimile: quibus subiiciatur accidentibus, & relationibus ad cætera mundi entia.

His omnibus conspectis facilè argumentari licet de vnaquaque re, non modò quæ est in prædicamentis, sed etiam extrà: & quæ Ens per se, sed etiam quæ per aliud.

vel in alio, vt quantitas, & triangulus, & albedo.

Cumque sint septem prædicamenta absoluta, vt Natura, Quantitas, Forma, Operatio, Facultas, Actio, Passio; & tria respectiua, vt Similitudo, & Dissimilitudo, quæ ab vnitate, & pluralitate trahuntur, & Accidens, quod à mistione aliarum rerum post essentiam aduenientium habetur: oportet in primis essentiam venari, in secundis notificare, & perpolire quasi notitias. Hoc autem nemo satis intelligit, cui nostra prædicamenta familiaria non sunt.

Arbitramur in omni re omnia prædicamenta reperiri saltem per Analogiam. Nam & Angelus habet naturam & causas illius, & quantitatem virtutis, & formam incorpoream suæ entitatis, seu limitem, & configurationem ad alios angelos, seu ordinem, & ad alias res, & Facultatem ad obiecta, & ad alios intellectus, & ad suum, & Operatio Metaphy. quæ posse est, velle & scire, saltem per accidens; & Actio per aliud & per accidens in corpora exteriora, & in res incorporeas; & Passio in receptione, & Similitudo, & Dissimilitudo cum aliis rebus corporeis & incorporeis, & cum Deo.

Et Accidens, quod sibi euenit ab illis, & à sui operatione post essentiæ complementum.

Igitur sedes argumentorum sunt ipsa Prædicamenta ex quibus omnem naturam plenè inuestigare licebit quatenus nostra Cognitio fert: Neque tamen ista eodem semper ordine inuestigantur, sed quo innotescere possunt, & alter locus per alterum aperitur, &c.

Præfatorum locorum inueniendorum vniuersales sedes esse quatuor, Testimonium, Causam, Effectum, & Signum; & horum subdiuisio.

Art. II.

Svnt ergò loci, ex quibus elicimus rerum scientiam, & prædicata: Alij à testimonio sensus vel nostri, vel alieni. A nostro accipimus solem esse lucidum, & matrem

amare filios. Ab alienis scimus Cæsarem fuisse Romæ & pugnasse cum Pompeo; & sub æquatore habitari; & alterum hemisphærium: & quidquid historię narrant.

Sub hoc Nido argumentandi ponuntur, & probantur quę Mens à sensoriis accepit, & quidquid aliorum sensibus cognoscimus.

Per testimonia procedit Iuris peritus ad condemnandum, vel absoluendum. Similiter, & Theologus ad credendum Credimus enim Petro, & Thomæ, & cæteris Apostolis, quod Christus sit mortuus, & resurrexit; & tota Theologia testibus innititur Diuinis; sicuti Iudicia forensia, & Cosmographia, & historia, humanis.

Sunt & alia testimonia ab Autoritate, sapientium, sicuti Peripatetici credunt Aristoteli; Platonici Platoni: Medici Galeno; & Christiani Theologis sancto Hieronymo, Augustino, Basilio, & aliis; ex quibus eliciuntur conclusiones.

Alij verò loci à rationis inuestigatione dicuntur rationales; & hi in singulis inquisitionibus sunt tres. Vel à causis, vel ab effectibus, vel à signis.

Causæ autem, quæ sex sunt, vt dictum est prius. Videlicet Agens, Materialis, Formalis, Idealis, Finalis & Perfectionalis.

Quæ in principales & instrumentales, & concausales diuiduntur; & in primas, & in secundas, & in remotas, & in proximas.

Effectus verò sunt Operatio, & Actio, & quidquid ex his proficiscitur in exteriora.

Suntque alij effectus adæquati & per se, vt Animæ viuificare, & animare: Alij inadæquati, vt animæ scribere: & per accidens, vt animæ arare.

Signa verò sunt omnes causæ & effectus: & insuper ac propriè quidquid non est causa, nec effectus, vt sonus campanæ est signum sacrificij, & quæ à simili vel opposito, vel coniugatis, vel tempore, vel loco, vel consuetudine, vel ordine, vel adiunctis, vel ab institutione naturali, vel Diuina, vel humana, vel à quacumque rationali creatura,

ponantur, vel à magis, vel à minus, vel ab oppositione, vel à generatione, vel corruptione, vel ab impossibili, vel necessariò, quæ consequuntur sumi possunt ad probandum vel improbandum.

Quapropter Omnis probatio est vel à testimonio, vel à causa, vel ab effectu, vel à signo: de quibus sigillatim nos manet tractatio.

Probationes verò, quæ fiunt à genere, & differentia, & definitione, sunt à signo, quatenus à similibus; & à causis quatenus definitio per causas communes indiuiduis fit. Quæ verò à Descriptione, etiam per effectus. à Diuisione autem habemus locum, sed qui in similibus, & oppositis continentur. Doctrinæ tamen gratia explicandus & iste erit.

DE LOCIS ARGUMENTANDI per testimonium in omnibus scientiis, & negotiis humanis, & Diuinis.

CAP. XVIII. ART. I.

SIcuti probatum est nobis in P. P. Metaph. & in Physiologicis Quæstionibus, & in 2. de Sensu Rerum, sensus est perceptio Obiecti præsentis: Intellectio verò est sensus obiecti absentis: Ideo imbecillus. Ratio est sensus in altero noto alterius non noti Memoria est sensus anticipatus. Reminiscentia sensus renouatus per exterius obiectum mouens. Imaginatio verò per posterius; itemque sensationum Copulatio, & Discretio: Vnde fictiones prodeunt. Intelligentia verò, quà à Brutis separamur est perceptio Diuinorum longè altior, quàm vniuersalis cognitio Aristoteli nota, quæ omnibus brutis inesse patet: illa vero non. Similiter & voluntas, qua liberi sumus, omnes appetitus sensuales excedit.

Quapropter Mens humana licet sentiat imaginetur, memoretur, reminiscatur, & ratiocinetur, & intelligat cum

cum spiritu animali, has tamen operationes meliores per se habet, & insuper Diuinorum notitiam, quam Theologi veteres Intelligentiam vocant, & libertatem super omnes eiusmodi actus, quæ Brutis non inest; nec nobis, quando solo sensu spiritus corporei agimur, vt primi impetus nos admonent, & ægritudines, de quo alibi.

Innata tamen est animæ corpori inclusæ, non nisi per sensus cognoscendi via. Harum autem sensationum certior est, quæ est præsentis obiecti. Omnes enim memoriæ, & intellectiones, & imaginationes, cum dubia sunt, aut errant, ad sensum recurrunt, à quo corrigantur. Sensus ergo est Animæ testis; & cum omnes scientiæ fundantur in propositionibus vniuersalibus, & istæ fiant à sensu per inductionem ex singularibus, palam est quod omnes scientiæ habent fidem pro fundamento. Mens enim à Deo indita nobis, non copulatur obiectis scibilibus, nisi per spiritum sentientem, illa ei deferentem, annunciatemque: cui donec in corpore est credat, necesse habet. Teste August. in lib. de Ani. & Spir. Verùm assueta decipi, quoniam spiritus Corporeus res caduca est variabilis est, nequaquam credit sensui, nisi pluries, similiter idem enunciet, quod faciat plures memorias, hoc est, anticipationes sensilium, ex quibus fit vnum experimentum: quod per propositiones vniuersales explicatum, fit principium artis. Nisi enim experti essent Medici pluries, quod Reubarbarũ purgat coleram, & Mathematici, omne totum esse maius sua parte: ista Artis principia non fierent. Quapropter cum probabilia argumenta plerumque de particularibus rebus fiunt oportet eligere testimonium à sensu obiecti præsentis, non vno, sed pluribus, non imbecillo, infirmóque, sed forti. Aliter enim æger oculus videt, atque sanus. Hoc testimonio probamus, quòd res sit, & quod phœnix sit. Et hoc reprobamus, cum dicimus nulli visam esse, sed fabulosè non per sensum obiecti præsentis, sed per imaginationem, qui est sensus fictus, decantatam esse. Non enim testis est imaginatio. Probamus quoque per simile, id est, per sensum in alio, vt quoniam

ex verme ſerico fit papilio, ſic è verme corruptæ phenicis phenix: & ſic ſenſus eſt ratio: trahimuſque rationem à ſignis, & impoſſibilitate rei in cauſis; ſed tamen ſcientiam non facimus, niſi ſenſus præſentis obiecti conteſtetur. Facimus tantum opinionem, vel ſuſpitionem, prout ratio à viciniori, vel à diſtantiori ſimilitudine trahitur. Probamus hoc per teſtimonium aliorum ſcriptorum: ſed non certum, niſi prius examinetur.

Et quidem vita hominis hic & nunc eſt, præterita autem & abſentia, loco & tempore, non eſt ſentire hic & nunc. Oportuit non modò noſtris, ſed etiam alienis ſenſibus præſtare fidem, non modo familiarium, ſed conuicinorum, & inimicorum, & à longè diſtantium, & in toto mundo verſantium, nunc, & olim. Ergo nunciis tabellariis, epiſtolis, hiſtoriographis, & expertis in vnaquaque ſcientia, fidem damus, vt ſcientes eſſe poſſimus; alioquin eſſemus ſicuti vermis intra caſeum genitus, qui neſcit omnia, quæ ſunt in caſeo, & extra caſeum entia, exceptis illis particulis caſei, quibus tangitur, nutriturque.

Contingit autem, & omnes teſtes fallere, aut quia ipſi decepti ſunt, aut quia verum occultatur, aut ludificare volunt, ſicuti & noſtri nos ſæpè ſenſus fallunt; ſed ſola ex deceptione, & non diligenti inſpectione. Ergo in omni ſcientia teſtes fide dignos ſeligere oportet.

Teſtem Potentia, Sapientia, & Amor, dicendi verum, dignificant.

Art. II.

Tria autem requiruntur in fide digno teſte, iuxtà tres Primalitates Metaphyſicales.

1. Vt ſit ſciens rei, quam teſtatur, non deceptus.

2. Sit animo fortis, neque blanditiis, neque timori, adulationi ve obnoxius, falſæ ve gloriæ, vnde à verò deflectat.

3. Sit bonus qui verum dicere velit, nec fallere.

Defectu primæ Conditionis, non credimus ſancto Au-

gustino neganti Antipodas esse: sed omni homini in sua scientia sicuti omni sensui solum de obiecto cuique suo.

Defectu secundæ non credimus Poggio laudanti Florentinos de quo Sanazarius cecinit, *Nec malus es ciuis, nec bonus historicus.*

Defectu tertiæ, Non credimus vitam Medico inimico licet sapienti, fortique.

Defectu primæ & secundæ non credimus Aragonensi, Cid Hispanum mirificanti.

Defectu primæ, & tertiæ stultè quis crederet Chitreo neganti Petrum Apostolum fuisse Romæ, cum ipse non fuerit eo tempore; neque nisi ex malignitate contra Pontificem loquatur.

Defectuque primæ secundæ & tertiæ Macomettus non minus falsò quam impiè negat Christū fuisse crucifixum, cum ipse ignorans fuerit, & timuerit eum pro lege sua moriendo imitari, & malitiosè in Christianismum debaccatus fuerit.

Defectu secundæ & tertię Lutherus non est fide dignus dum testatur Augustinum negasse libertatem arbitrij, quem scit semper asseruisse; Item fuisse Petrum Romæ quod omnes historiæ constanter testificantur.

Regula 1.

IGitur eligendus est *testis*, qui non sit deceptus, vt plerique Philosophi, neque deceptor, vt hęretici, & pseudoprophetæ.

Regula 2.

OPortet autem, &, quod dicunt, ipsos facere; & esse constantes in dicto & facto: & plures, & conuenientes. Si enim hęc adsunt, nil timendum est de ipsorum testimonio.

Regula 3.

QVorum historia descripta est non eo tempore, quo narrata acciderunt, neque ipsi historici viderunt, aut

discordant in essentialibus, aut à non dignis fide perceperunt, aut parum curiosi, & potius fictores apparent, fidem non merentur, nisi plus minusve, prout ad veritatem plus minusve accedere noscuntur: Ex dictis notis.

Idem dicendum est de scientiarum scriptoribus.

Regula 4.

PRęterea testimonium ab autoritate negatiua, non valet vbi non necessariò ponendum erat. Non enim quia Lucas in Actis Apostolorum non dicit Thomam prædicasse Indis Euangelium, ideo negandum est fuisse Thomam in India; non enim omnia ista prosequi profitetur. At vbi necesse erat ad rei doctrinam, valet; sic Telesius probat contra Peripateticos, quod Arist. non posuerit in elementis alias formas à calore, & frigore, humore & siccitate, quoniam vbi oportebat de illis tractare, id est in 2. de Gener. & Corrupt. nihil dixit, neque an sint, & quomodo esse sciamus, nos docuit; sed ex quatuor illis primis qualitatibus essentialibus tantummodo elementa constituit.

Rectè Durandus Augustinum non posuisse intellectum Agentem probat, quod vbi docet quęcumque oportet de Anima scire, de illo tacuit.

Regula 5.

PRæterea locus ab autoris verbis non valet, nisi & sensus talis afferatur ad propositum, de quo autor loquebatur, vt docet sanctus Hieronymus. Alioquin, & Virgilius de Christo crucifixo locutus dici potest cum ait, *Talia præstabat memorans fixúsque manebat.* Et Petrarcha de Beata Virgine, cum loquitur de Laura. Hinc orta sunt Homerocentona, & Virgiliocentona.

Regula 6.

LIcet tamen vti verbis Autoris, & non sensu ad pulchritudinem interdum, vt Cicero Ennianis, & Bernardus

tota Scriptura sancta ; nec aliis verbis loqui posse videtur.

Regula 7.

PRætereà Autoritas autoritatis prę sertim inscia, vel hostilis, non valet. Errat ergo qui Epiphanio credit, dicenti, quod Origenes est hęreticus, quia dixit filium non videre patrem ; Nam vt accuratè legimus in Periarcho, & in Epist. ad Rom. docet non videre oculis corporalibus, sed comprehendere & cognoscere incorporaliter. Ista non legens deceptus est Castrensis, & sibi postea contradicit.

Regula 8.

LOcus ab authoritate in omnibus scientiis, excepta historia, infirmissimus est, vbi vel solus Plato, vt dogmaticus, vel solus Galenus citatur. Vbi verò plures & meliores, paulò firmior ; vbi propè omnes, validus, non tamen conuincit. Nam sub Arrio, ait Hieronymus, totus ferè mundus confessus est sese Arianum : Autoritas tamen Athanasij, & Hilarij prę ualuit. Ideo Plato, & Chrysostomus non pluribus sed melioribus aiunt credi oportere.

Similiter hoc tempore omnes scholastici sunt quasi Aristotelici, magis autem sub Alberti tempore, videmus tamen cuncti, Aristotelem erroribus scatere innumeris; magis autem hoc tempore, quando eius dogmata strictiori examine tractantur : & sensu, & patrum autoritate teruntur.

Ptolomeum eiusque hypotheses multa secula venerata sunt, nunc autem à Copernico, Tycone, & nostratibus, deprehensæ sunt fallaces.

Valet hic locus ad erubescentiam incutiendam, vbi fama scriptoris viget, non autem ad conuincendum.

Regula 9.

NEque subitò sunt autoritates negandæ, vt falsæ, nisi quibus rationibus fultæ sint prius examinentur, vel melior statim affulgeat ratio.

Quilibet & Legislator fidem habet apud suam nationem, quæ conuincat: apud alios verò opinionem, aut suspectionem. Sæpè & contradictionem adipiscitur: Vt turpe gem Solonis de Amore puerorum Chrysostomus insectatur. Quæ autem naturæ consentit lex, vbique viget, &c.

De Testimonio in Theologia.

Art. III.

AT verò locus ab autoritate in Theologia secus se habet atque in aliis scientiis, quoniam historiæ vtitur testimonio, non opinantis philosophi, nec humano, sed diuino: & sicuti sensibus non credere stultum est, ita & plus Diuinis testibus sensatis.

Dignoscimus autem testes diuinos ab humanis decem ex notis principalibus.

Decem notæ ad discernendum testem Diuinum à non diuino.

PRimo sunt miracula quæ non humana, nec diabolica magia fieri queant, sed solum à Deo, qui misit illos. Et talis nota eorum testimonium sigillauit.

2. Martyrium: qui enim scit se à Deo missum, pro illo mori non recusat; in quo meliorem vitam se iactat habere.

3. Deinde Vitæ sanctitas.

4. Præconium aliorum Prophetarum, qui de ipso prænunciauerunt.

5. Prophetia testis, euentu comprobata, vt Ieremias docet.

6. Doctrinæ moralis puritas, rationi naturali prorsus consentiens, aut eiusdem perfectiua.

7. Si sequaces eorum miracula facere possunt, & martyrium subire, & vitæ sanctimoniam tenere.

8. Concordia sequacium cum capite suo, & doctrinæ inter se.

Quæ notæ omnes in Christo, & Apostolis claruerunt: Plurimæ autem in Moyse, & Prophetis. De quibus in Antimachiauellismo, & in Metaph. disputauimus.

Theologia igitur talibus innititur testibus, qui à Deo se missos ad testificandum prædicant, non frustra. Quibus autem contrariæ notæ insunt, hi à Deo missi haudquaquàm credantur. Qui enim à Deo venit, Diuinus est. Oportet autem credere, quod si Deus est, nostri curam gerit, & scolam veritatis inter homines instituit, quam vocamus Ecclesiam: cui in communi reuelatum esse sensum Scripturarum sanctarum oportet: Alioquin frustra Deus illas dedisset, nisi & intelligentiam earum dedisset.

Loci Theologici Demonstratiui.

IGitur primus locus Demonstratiuus, vt in Theologia, est ab autoritate totius Ecclesiæ, quæ simul complectitur Christum, & Apostolos, & Prophetas, & Prelatos, & populum Christianum.

2. Est ab autoritate Scripturarum Canonizatarum per Ecclesiam.

3. Ex traditionibus Apostolicis seruatis ab Ecclesia.

4. Ab autoritate Conciliorum vniuersalium Approbatorum.

5. Ab autoritate Papæ decernentis de rebus fidei, & morum, non vt Doctor particularis, sed vt Papa in Cathedra Petri. Neque enim permittet Deus falli caput suæ Monarchiæ.

6. Ab authoritate omnium Doctorum Ecclesiasticorum, De sensu Scripturæ loquentium, & hi omnes Demonstratiui.

Loci Theologici probabiles.

1. PRobabiles verò loci ſunt ab authoritate Conciliorum prouincialium, quę conſtat poſſe errare. Vti Carthaginenſe ſub Cypriano. Quando autem per vniuerſale, aut per Fidem Apoſtolicam confirmantur, Demonſtrati ſunt.

2. Ab autoritate aliquorum Patrum.

3. Ab autoritate vnius, vt Auguſtini, vel Baſilij.

4. A ratione naturali; quę cæcutit in Diuinis, vt noctua ad lumen ſolis; poſt habetur Doctoribus, non tamen vni.

Regula 1.

NEque ratio ab extraneis reputanda eſt cum Chriſtus ſit ſumma ratio, ſed participatio eius. *Ergo quidquid recta ratione philoſophi dixerunt, à Chriſto habetur, vt autore naturæ rationalis, & extorquendum eſt ab eis, tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus, dominum ſuum non agnoſcentibus*, vt docet ſanctus Auguſtinus, & Iuſtinus cognomento, Philoſophus.

Regula 2.

QVando verò Theologia probat aliquid ab authoritate Philoſophorum Gentilium, probat ab extraneis, vti Iuriſconſulti ab Hippocratis autoritate; & Autoritas Philoſophorum non facit ſcientiam, neque fidem in Theologia, ſed tantum ſuſpitionem.

Regula 3.

NEque citantur tanquam teſtes pro Theologia, quę illis non indiget. (Licet condeſcendens nobis vtatur ſcientiis vti ancillis) ſed tanquam teſtibus contra ſuos gentiles ſequacéſque, non contra Chriſtianos, vti bene docet S. Thomas pri. par. qu. 1. Quapropter ſtultè allegatur Ariſtoteles contra S. Thomam, aut cōtra Durandum, aut contra Scotum, ſimiliter Plato, & alij, cum non faciant,

ciant, nisi suspitionem. Qui autem illis sese subiiciunt, vt magistris, cum sint testes solum contra se ipsos, & sibimetipsis iniuriam faciunt, & populo Dei.

Regula 4.

VAlet tamen omne testimonium testis contra testem ipsum & defensorem testis. Nam *ex tuo ore te iudico serue nequam.*

Regula 5.

RVrsus quando Scripturarum sanctarum testimonia quatruplicem sensum habent. Videlicet Literalem, Moralem, Allegoricum, & Anagogicum, non propterea omnis sensus fidei dogma constituit, sed solus literalis, alioquin quodlibet dogma allegorizando, noua statuere posset, vt ait Augustinus contra Donatistas.

Regula 6.

VAlent cæteri sensus exculpti è patribus ad faciendam probabilitatem, & interdum suspitionem solam, & ad mores informandos.

Nisi vbi allegoria in ipsa sacra Scriptura interpretata inuenitur, tunc enim valet pro historico sensu, vt apud Paulum allegoria de Sara & de Agar.

Regula 7.

IN sensibus autem mysticis, Patrum sanctorum testimonia plus probabilitatis habent, quàm aliorum non sanctorum. Palam est quidem in natura nihil frustra inueniri; & res præteritas similes esse futuris; & rem eandem pluribus vsibus aptam. Ergo in Scriptura Dei plures sensus ad plures vsus, & præteritas præsentium nuncias esse, Nec apicem absque suo vsu reperiri oportet, vt Chrysostomus, & Bernardus aduertunt.

Regula 8.

VBI autem parabolæ ponuntur, vt non voces tantùm, sed res voces significatæ, significationem habeant ex dicentis institutione, sensum literalem esse illum dicimus, quem res significatæ significant; sicuti & in fabulosa philosophia, & in Socraticis dictis, & in Poëta-

rum fabulis palam eſt. Quæ non propter ſe narrantur, ſed propter res, quas deſignant, vt in Poëtica declarauimus. Nihil tamen obſtat eandem parabolam in vtrôque veram eſſe literalem, vt quæ de Lazaro mendico, & diuite immiſericordi apud Luc. intexitur.

Parabola autem Ioatan in lib. Iudicum ad literam nullo pacto eſt.

Regula.

COntra locos demonſtratiuos dogmatizare ſtultum eſt.

Regula.

COntra probabiles temerarium, niſi alios Doctores æquiualentes, & rationem pro te habeas: hoc autem dicimus in Theologicis, vt D. Thom. in quolibet. Nam in cæteris ſcientiis credendum eſt ſapientioribus, non ſanctioribus, niſi vbi ſanctior æquales habet rationes, vel teſtimonia.

Regula aurea.

PRæterea quando Sanctus loquitur tanquam teſtis de viſu, vel auditu, credendum eſt illi abſque dubio, quoniam Poteſt, Scit, & Vult dicere verum, & non fallere.

Quando verò loquitur, tanquam opinator, præſertim ex dictis aliorum, nulla eſt temeritas negare eius dictum, alioquin temerarij fuiſſent, qui contra Auguſtini, & Lactantij ſententiam eſſe Antipodas dicebant. Et euentus pro illis nunc teſtatur. Et qui contra ſanctum Thomam ſub Æquatore viuere homines argumentabantur; quibus nunc fauet experientia.

Regula.

ITem plus credendum eſt vni ſanctorum teſtificanti teſt. ab Eccleſia confirmato, quam pluribus opinantibus ſanctis. Non ſunt reprobandæ opiniones Philoſophorum tanquam de Fide: niſi vbi certò & apertè locis Theologiæ demonſtratiuis contrariantur.

CONCLVSIO.

SIue Diuina, siue humana testificentur, testis opinanti semper est præferendus. Hæc autem examinare non est in præsentiarum.

De Testimonio in Moralibus.

ART. IV.

IN Moralibus verò testimonia sumuntur à moribus à legibus; & ab exemplo animalium natura viuentium; & ordine rerum, & corporis humani; quod S. Paulus. Sæpè facit doctè præque aliis melius.

In lege primus locus est videre, an disputator alleget verba tantum, vel & sensum.

2. An sit Diuina, Positiua, vel Naturalis, an Humana & hæc vtrum de Iure gentium, an Ciuili: in duobus enim primis non cadit dispensatio. In secundis cadit si Autoritas principis, aut Reip. adsit, & non propter bonum priuatum, sed propter commune frangatur potius legum veneranda potestas. Et vtrum ratio legis cesset in hoc particulari, an non; si cesset dispensetur, si non, stet.

1. In consuetudine videndum est primo noua ne sit an vetus: Hæc enim fortius conuincit.

2. Omnium, an paucorum.

Illa est melior.

3. Rationalis ne sit, an irrationalis? Hæc enim abroganda est, non tuenda, teste Augustino: Qui apud Gratianum profert veteri consuetudini nouam veritatem, & rationem: quo Aristotelicos conuincimus.

Iidem loci sunt de moribus. Qui verò ex naturæ exẽplo, sunt illi à causis Idealibus, vel à signis, de quibus postea.

Autoritatem sectantur ingenij inopes.

Rationem ingeniosi.

Sensualitatem, id est, primam rei apparentiam, animosi.

DE LOCIS PROBANDI per causas in omnibus scientiis.

CAP. XIX. ART. I.

CVM per causas aliquid probamus, vel reprobamus, sic procedere oportet, cum scierimus, quid est causa, & quot genera ex prædicamentis.

Aut enim quæstio est vtrum sit hæc res causa huius effectus; aut quærimus effectus entitatem per suas causas, quibus assimilatur; si primum laboriosa res est: oportet enim peritum esse omnis scientiæ, præcipuè verò illius, in qua de illa retractatur, vt in physicis physices, in Mathematicis Mathematicæ, in Moralibus Ethicæ. Idem in artibus mechanicis euenit. De Causis in pri. p. Metaphy. tractauimus, & earum descriptiones habes hic in primo prædicamento; nunc autem loci vniuersales assignentur.

3. Causarum, alia materialis, alia formalis, alia finalis, alia efficiens, alia perficiens. Harum alia vniuersalissima in essendo, & causando vt Deus. Alia enim in prædicando, vt ly causa. Alia vniuersalis in causando, vt sol & terra, respectu huius hominis. Alia enim in prædicando, vt homo & herba respectu huius herbæ. Alia particularis, vt proxima in causando, vt huius hominis est causa Petrus, huius herbæ hoc semen, & hæc tellus. Et huius statuæ hic statuarius.

4. Facile est inuenire causas vniuersales, non autem particulares per intellectum: per sensum verò è contra.

5. Causarum alia principalis, cui effectus est similis in essentia. Alia instrumentalis, cui in existentia, vt hæc Scriptura similis est ideæ scribentis in essentia: pennæ verò, & atramento, in existentia exteriori.

6. Omnis causa diuiditur in proximam & remotam; & item in adęquatam, & non adæquatam, vt argentum phialę est causa proxima, & inadęquata, quoniam non ex

solo argento fieri potest phiala. Metallum verò remota, & adæquata, si tamen ex solo metallo fieri posset, nam ex vitro, & creta, quæ metalla non sunt, fit materialiter. Hæc tamen phiala ex hoc argento adæquatè fit.

6. Ergò ad omnē causationem requiruntur coexistentia loci, & temporis, & commoditatis instrumentorum, & dispositionum, & carentia impedimentorum. Non ergò quia Petrus est fur, & in domo mea factum est furtum, reus est. Neque si fuit hic heri, & non hodie. Neque si hodie, & manus ligatas habebat. Neque si solutas, & obseruabatur à domesticis.

7. Arguere licet à definitione causæ ad causationem, vt si causa est, qua posita, ponitur effectus, & ablata non ponitur; vtique posito mare & femina coëuntibus, si non semper generatur homo, non erit causa mas & fœmina, vel non erit sufficiens causa, præsertim cum nesciant formare hominem. Ergo à Deo, vel anima mundi principalis causa asserenda est. Quia verò posito igne & stuppaa semper fit accensio, vtique sufficiens est ignis causa accensionis, non autem assationis artificialis sine coquo.

8. Probatur causa à diuisione sufficienti, & exclusione, vt si tres erant in platea vbi factum est homicidium, & neque Petrus, neque Fabius fecerunt: Ergo Martinus eorum tertius.

9. Quoniam causa causæ est causa causati; & effectus effectus est effectus causæ: probatur causalitas à signo, de quo infra, &c.

10. De effectibus iidem loci valent ad probandum & reprobandum; & similitudo, & congruitas inter effectum, & causam facit probationem circularem. Amor quoque, & maior Amor magis.

Ex eisdem locis eliciuntur negatiuæ rationes, vt Rex Salomon: Hæc non est mater huius, quia non amat; hæc verò est, quia amat. Et Virgil. dixit, Augustum esse filium Panifici, quoniam panum mercede conducebat Poëtam. Omnis enim effectus suæ causæ conformatur.

De Rei Natura, & Accidentibus per causas.

ART. II.

SI verò de essentia rei quærimus, vtique ex causis eius argumentamur, vt filium Cauponis dicimus vilem, quatenus patri similem.

At quia sæpè effectus particulari causæ non conformatur, potest argui è contra: sæpè philosophi faciunt filios ignaros, vt Samuël, Salomon, & Socrates. Disputator ergo ad vtrumque respicit.

Argumentamur etiam à loco, & tempore, vt si natus in patria nobili, aut tempore, quo virtuosè viuebatur, vel è contra, quibus Rhetores vtuntur.

Ab omnibus causis effectus natura cognoscitur, vt Telesius probat aquam esse calidam.

1. A causa actiua, qui est Sol.

2. Et à Materia qui est vapor calidus.

3. Et à forma quæ est liquiditas, & transpicuitas, & mobilitas, qui sunt effectus caloris.

4. Et à simili tanquam ab idem, quia oleum & vinum calida sunt, & persimiles aquæ.

5. Et à loco & tempore calido, vt in aëre, & in Æstate, vel alembico. Locus enim & tempus ad rei existentiam valent.

6. Et à causa finali, quoniam si est propter potum animalium, & vitam piscium, non posset, si frigida esset in summo, non necare bibentes, & pisces, blando calore non summo præditos.

7. Item à contrario quando non requiritur frigus, sed sola conspissatio ad aquæ generationem ex fumo, vt patet in ollarum operculis feruentium.

8. Quoniam frigus non facit aquas sed destruit: vertit in glaciem, & duritiem, contrariam fluiditati natiuæ.

Et hic locus est diuisione, & a contrario: si non frigus, ergò Calor est causa.

Sic è contrario probatur, quod materia corporea non sit in Angelo, quoniam esse corporeum Angelicæ intellectioni non congruit. Eo quod malitia non est à Deo, quoniam Deus est summè bonus. Neque Mors, quoniam est summum ens: Mors autem Non ens. Dantur aliæ probationes à signo.

· Nota quod Occasio quæ est motiuum causę ad causandum, & Conditio quæ est applicatio ad causandum, sunt etiam sedes argumenti præsertim de existentia.

DE LOCIS AB EFFECTIBVS.

CAP. XX. ART. I.

AB effectu quoque rei entitas probatur eisdem viis, est enim effectus, cuius esse est ab alio. Hic ergo & operationem, & actionem, & res operatas, effectásque comprehendimus.

1. Primus locus est ab operatione, vt Sol mouetur. Ergò est calidus. Operatio enim Caloris est motus vt patet in cunctis.

2. Ab actione, vt Sol calefacit, & attenuat quæcunque vincit, &c.

3. Ab effectu per se, aut propter se. Sol enim est igneus, quia ignit, & tenuis quia attenuat. Non autem est herbaceus, quia facit herbam. Hoc enim accidit suæ actioni ab ideante causa in tantū, non à sole. Sic non est homicida qui occidit casu, sed qui propter se, vt occideret, iaculatus est.

4. Si effectus à viribus causæ procedit, indicat causam, non autem si alienis, vt vinum, & aqua frigefaciunt viribus externi frigoris, non propterea natura eorum est frigida; quia verò gustum proprio sapore dilatant, quod est caloris opus, calida sunt, blando tamen calore. Nec quia viribus Principis lictor ligat hominem strenuum, ipse est magis strenuus, sed Princeps & Respub. Nec tinctor est ater, quia atramento cartham tingit.

5. Quando eiusdem rei possunt esse plures causæ, illa causa verè probatur, quæ in productione effectus, loco, & tempore & modo ad esse reperitur; vt quia Luna potest tenebrescere, occultatione vel extinctione lucis, vel auersione faciei diaphanæ, ab illuminante sole; vel ab opaci corporis interpositione, & prima & secunda causa, tempore & loco obscurationi eius deest: tertia verò adest: ideò tertia erit causa, & effectus est huius causæ, obscuratio: Sic de cæteris per locum à diuisione, hic locus indicauit fulminis materiam.

6. Vnus effectus non indicat alterum effectum non coexistentem, neque ex illo nascentem, vt licet scripturę caracteres indicent affectum scribentis, vt perplexi perplexum, & clari clarum, acuti feruidum, igneumque: obtusi, blandum, quemadmodum ego primus ex fratris Petri Prestera caractere perplexo cæpi philosophari anno 1601. Neapoli in Castronouo coram fratribus: non tamen ex hoc potest sciri quæ fortuna Petro succedet, vel quo tempore, sicuti quidam iuuenis moderno tempore scire profitetur; tum quia futura fortuna non coexistit actui scribentis, tum quia non est scriptio causa eius: tum quia neque anima est causa fortunæ, cuius indicat affectione scriptura ex parte; sed cœlestia corpora, & lex, & ciuis, & socij, & Angeli, & mores scriptoris mutabiles, & occasiones succedentes, & Deus causa causarum considerandi sunt ad fortuitum effectum fatalem; quas causas omnes nemo nosse potest: Idcircò non est scientia de futuris contingentibus, sed tantum probabilitas, vbi causæ vniuersales notescunt, vti Astrologo, suspitio verò sola ex vno tantùm. Ergò vix suspicio haberi potest ex scriptura, de fortuna, sicuti ex crocitatione Corui de pluuia, quando vapor, quod est causa pluuiæ, coruum quoque afficit, qui coeffectum præsignat. Non sic scriptura.

7. Effectus inadæquatus non indicat totum esse rei, neque causalitatem rei super alios effectus, vt solis attenuatio in terra non indicat totam solis naturam, neque alios effectus, videl. illuminare, indurare, gignere cum

tellure secunda entia: Nec quia Petrus est grammaticus, ideò est sapiens etiam. Sed suspicio fit tantum, quod possit esse sapiens.

8. Similiter effectus excedens causam, non indicat causam probabiliter, sed suspitiosè, vt non quia est pallidus Petrus est æger. Potest enim pallor alia ex causa fieri; ac suspitio oritur, quod possit esse æger, quoniam ægritudo quoque causat pallorem.

Ergò causæ vniuersales non statim indicant effectus; neque è contra. Non enim semper synodus lunæ pluuiam, aut ventos ciet. Opòrtet enim & telluris dispositiones, & causas proximas considerare. Ergò Astrologicus syllogismus est probabilis, non demonstratiuus. Interdum verò suspicatiuus tantum, quoniam ex signo procedit solo, vt homo nubit quando eius luna copulabitur per directionem succedenti Astro.

Ex his patet, quod loci affirmatiui sunt etiam per oppositas conditiones, negatiui. Et alij inueniri possunt, si quis consideret in quolibet genere causæ diuisiones.

Nam in Agente alia est consilians, alia disponens, alia adiuuans. Alia perficiens: alia dux causæ; alia comes: alia partialis, alia totalis. In finalibus, alia est finis quo: vt res operata: alia gratia cuius, vt vsus, sicuti nauifactoris est nauis, & nauigatio. Alia propter quam omnes, vt lucrum, & conseruatio vitæ; aliæ cui seruiunt omnes, vt Deus. In materialibus alia est remotissima, alia remota, alia proxima, alia adæquata, alia partialis.

In Idealibus, alia in mente, alia extra mentem, vt in pictura, alia permanens, vt in agentis animo. Alia fluens vt in effectum.

In formali alia partialis, alia totalis, alia intrinseca, alia extrinseca, alia actiua, alia materialis, vide prædicamentum de forma; & ex omnibus licet arguere pro rata destructiuè, & constructiuè; & ad omnes similiter de effectibus.

DE LOCIS A SIGNO.

CAP. XVI. ART. I.

Definitio signi.

Signum vocant, quod apprehensum ab Animo ducit nos in cognitionem alterius.

DECLARATIO.

HOC autem modo, causa & effectus, sibi mutuò sunt signa. Nos autem quęrimus, quod non fit, neque facit, sed tantum significat; siue enim ponatur ipsum siue auferatur ipsum, res quam significat est vera, licet nobis non nota.

Diximus quidem syllogismos mathematicos etiam demonstratiuos à signo procedere. Non enim hæc linea illi lineæ est æqualis, quia ambæ à centro æqualium formandorum circulorum ad suas quęque circumferentias porriguntur. Nam etiam nondum formatis circulis æquales erant, sed nobis hoc signo patere potest. Hoc in Metaph. disputatum est, & hic ex parte: dicimus etiam argumenta ad impossibile procedere à signo.

Distinctio signorum ab effectu in nobis.

ART. III.

ALia signa faciunt Demonstrationem, vt in Mathematica dictum est. Alia probabilitatem, vt Dauid ex eo quod solus veniret ab exercitu nuncius à longè conspectus, ait, bonum nuncium affert. Solet enim victus exercitus fugere turmatim; victor autem in spoliis occupari, & nuncium vnum præmittere. Alia faciunt suspitionem, vt si est Germanus, ergo ebriosus. Alia ludibrium faciunt & nugacitatem vt cum non signum pro signo acci-

pimus, veluti occursum serpentis dicunt signũ boni euentus. Vtuntur his signis Geomantes, & augures, & superstitiosi.

Distinctio signorum ab autoribus.

Art. III.

SVnt quidem alia signa ab arte; alia à natura. Quæ sunt ab arte; alia à Diuina; alia ab humana; alia à diabolica.

De Diuinis.

A Diuina institutione demonstratiua sunt semper signa, quoniam Deus neque fallere, neque falli nouit, sed nemo præsumat ponere, quæ non posuit Deus. Signa autem eos, qui crediderint, hęc sequentur: In nomine meo dęmonia eijcient. Sic sanctus Dominicus signo probat fidem suam, tradens igni librum, qui resiliuit illęsus. Sunt martyrium & miracula signa Dei, quando vera sunt. Ignis de cœlo spiritum sanctum adesse indicauit: & Gedeoni, & Abrahę data sunt signa infallibilia. Signa quoque Aduentum Christi pronunciant in Sole & Luna, & stellis.

Sacramenta quoque signa vocantur inuisibilis gratiæ, quæ adest in ipsorum collatione semper ex instituto Dei, & quidem aliquam similitudinem cum re significata habent, vt Theologi docent. Hęc omnia demonstratiua sunt. Nam licet fictus gratiam non accipiat, non tamen diuina Maiestas se absentat mysteriis, ait Cyprianus. Ergo dantur à sanctis aliqua signa prędestinationis occultissimę, sed non demonstratiua, sed probabilia, vt quæ ponit Bernardus, quæ licet demonstrent pro hic & nunc, non tamen & perseuerantiam vsque in finem. Non enim Deus instituit, vt sic significent.

De signis mediis.

SVnt media quædam signa inter Diuina, & naturalia, vt Iris à Deo posita, & in natura efformata. Item Cometæ

ab Angelis profectò plerumque ex naturalibus confecti: ad significandum hominibus iudicia Dei. Quod Theologi non negant, vti olim Magis: etenim non dantur brutis, ista non percipientibus: neque Angelis non indigentibus: Ergo hominibus, nisi casu quis stultè fieri in superno cœlo putet tam ingentia luminaria, qualis fuit stella noua sub Hipparco, & altera sub Tycone in anno 1572. ex his elicitur locis, quod sit signum hominibus. De quibus alibi.

De signis à Demone.

Signa verò à Demonibus data putamus, quæcumque, nec naturaliter, nec ex instituto diuino, neque humano significare possunt, vt puncta Geomantiæ, & Caracteres valentes ad amorem, & odium &c. & apparitionem in Hydromantia, Aeromantia, Pyromantia; & quæ Lamiis à Demonibus dantur, quæ quidem per se non sunt causa, neque effectus rerum pro quibus fiunt, sed solum signa, à rationali creatura instituta. Cumque non sint ad bonum neque ex virtute; consequens est vt à malo Demone inuenta sint. Nullam enim consequentiam habent, vt quia pyra recta tendit sursum, fœlix sit euentus, sicuti neque quia baculus stat in angulo, propterea Iudex sedet in foro. Si qua ergo ex prædictis artibus consequitur consignificatus effectus, Demonis arte sequitur, qui præscius est multarum rerum, ob causas in Metaph. declaratas: & ipse cooperatur, vt tales fiant apparentiæ.

Pro quo duos locos elicio ex sancto Augustino, & sancto Thoma de sortibus loquente.

1. Vbicumque diuinamus in artibus, in quibus neque causa neque effectus, neque signum naturale, neque à Deo positum de re, quam querimus, consideratur: est Diuinatio à Demone, phantasiam nostram mouente.

2. Vbi verò est quæstio vana & vanitate tractatur, ingeritur Demon: quamuis etiam Angelus posset idem facere, sed non facit; vt cum quis ex cribri suspensi motu spontaneo in nominatione suspectorum furem deprehen-

dit; nugacitas, & superstitio sunt signa illius.

3. Quæcunque artes ab homine institutæ ad diuinandum absque Dei iussione, vbi ex solis signis procedunt arbitrariis, spectant ad Demonem. Igitur Graphomantia dum diuinat futura contingentia Demonica est. Quod ego duobus foliis plenis disputatione nouo graphomanto testatus sum per Ioannem Rosam missis & artis huius veritatem, & vanitatem ostendi. Ipse verò, & vera dicta mea tanquam sua accepit, & falsa sua dogmata addidit per me confutata. Potest tamen ipse meliora inuenisse, & vtinam.

De signis ab arte humana.

Signa ab Arte humana non indicant, nisi ea, quæ ab hominibus sciri fierique possunt.

1. Primatum tenent vocabula, quæ conceptum mentis enunciant.

Debent autem similia esse rebus vt bombarda bombum ardentem adæquatè ferè significat. Lapis dicitur quasi lædens pedem. Ergo non est signum adæquatum, nam & alia lædunt pedem. Igitur inspiciendum vnde sunt posita.

2. Secundum locum tenet scriptura, cuius elementa sunt literæ vocales, quæ arteriæ efflatu pronunciantur; & ideo simplici notandæ linea, vt o, e, i, & consonantes, quæ etiam instrumentis figurantur, ideo non simplici linea sunt scribendæ.

Apud alias nationes aliæ sunt, & ex his demonstratiuè probamus intentionem hominum vbi obscuræ non sunt.

Alia sunt signa probabilia, vt pulsatio Campanæ adest, ergo celebrantur sacra, potest enim absque sacris pulsari, licet ad hoc institutum fuerit. Item turris ignem ostentat. Ergo adsunt hostes: & ex his sæpè argumentantur Oratores.

3. Artes institutæ ad diuinandum non fundatæ in natura, sed in arbitrio humano, non faciunt probabilitatem neque suspitionem, sed tamen nugacitatem: veluti sunt auguria ex tinnitu auris, & pruritu oculorum & garritu

auium, & obuia aliquarum rerum, quibus etiam Talmudiſtæ vtuntur, & Gentiles. Ego verò non iners non incertis experimentis Demonum aſſiſtentiam in his rebus inueni. Dicunt aliquando tamen veritatem, non quam ars oſtendat, ſed Demon præſcius in arte; vel naturalis rerum paſſio affert: vide Metaph.

4. Signa à natura quæ eſt inſtrumentum Dei multiplicia ſunt; omnia tamen à ſimilitudine videntur accipi: & tot fiunt argumenta, quot ſunt rerum ſimilitudines.

Dictum eſt autem in prædicamentis quomodo alia ſunt ſimilia in voce & eſſentia, vt vniuoca: alia in re non in voce vt ſynonima, alia in voce non in re vt æquiuoca; alia in proportionali ratione vna, vel reſpectu ad vnum; alia Metaphorica. Et quia diſſimilitudinis ſpecies ſunt contradictoria, priuatiua, diuerſitas, contrarietas, differentia, ſingularitas, Relatio: totidem etiam ſunt ſimilitudinis, vt analogia, habitudo, congeneritas: concordia conſpecietas, connumeralitas, correlatio. Et quomodo in prædicamentis eſt ſimilitudo vt Coeſſentialitas, Æqualitas, Conformitas, Conſenſus, Concurrentia, Compaſſio, Coincidentia, Conſimilitudo & Condiſſimilitudo; Conterraneitas, &c. & quomodo oppoſita horum iuxta ſeriem prædicamentorum: de quibus non eſt fienda repetitio, ſed memoria.

Omnis autem ſimilitudo ab vnitate originem trahit. Omnis Diſſimilitudo ab Pluralitate & numero, vt in Metaphyſ. probatur.

DE LOCIS A SIGNO.

Regula I.

PRimus locus eſt. Omne ſimile in eo, quod ſimile, eſt vnum cum ſuo ſimili, ideò quidquid probatur de vno, vel negatur, probatur, vel negatur etiam de altero; vt quidquid dicitur aut negatur de homine in quantum animal. Dicitur etiam, aut negatur de aſino in quantum animal; & quidquid de Cartha in quantum alba, dicitur etiam de niue

in quantum alba; vt quod disgregat visum, quod faciem habet lucis languidæ & opacatæ.

Hæc regula vocatur aurea, quoniam omnia soluit sophismata posito ly *in quantum*, & omnia constituit argumenta in omni arte: nam quidquid dicitur, aut debet fieri de Petro in quantum est latro, debet etiam fieri de Martino in quantũ & ipse est latro secundum legistas, &c.

Regula 2.

SEcundus locus, Quidquid dicitur de vno, & de alio, sed de illo magis, de isto minus, debet etiam quidquid conuenit illi prædicato, dici de eis etiam cum magis & minus; vt si Petrus & Martinus sunt sancti, sequitur, ergò sunt laudabiles. Ergo venerabiles. Ergò sed venerabilior Petrus, quia sanctior; minus venerabilis verò Martinus, quia minus sanctus.

Hæc regula in omnibus tenet generaliter intentione variatæ vnitatis; at valet maximè in Theologia prima regula cum agitur de Trinitate.

Regula 3.

3. EX his eliciuntur regulæ oppositæ.

Omne oppositum in quantum oppositum & dissimile, non habet vnitatem sed pluralitatem cum suo opposito dissimili, & quidquid dicitur de vno in quantum dissimile, non dicitur de altero, sed contrarium.

Et hoc valet in omni oppositione, vt si homo inquantum est alius ab asino est rationalis. Ergò asinus est irrationalis. Et si habet, vt sit homo figuram rectam, ergo Asinus non rectam; & si calor calefacit, ergo frigus non calefacit, sed frigefacit, in quantum est calori contrarium. Et si quantitas in quantum diuersa est ab Actione, non est Caloris opus: Ergo vt sic actio aliqua est caloris opus. Et si ens quatenus Nonenti contradicit est amabile: Ergo non ens est odibile. Et, si pater in relatiuis quatenus non est filius generat. Ergo filius, quatenus filius non generat. Et, si visio quatenus à cæcitate discrepat, est oculi ornamentum. Ergo cœcitas non est ornamentum; sed de-

decus. Item fieri poteſt cum magis & minus, vbi inſunt.

Regula 4.

OMnia diſſimilia ſeu oppoſita in omni genere oppoſitionis, conueniunt vel in tranſcendentali prædicato, vt prima genera; vel in generico, vel ſpecifico; vel eſſentiali, vel accidentali, exceptis contradictoriis, quæ nullo pacto conueniunt; vel nullam habent vnitatem inter ſe; & priuatiuis, quæ ſolùm in denominatione ſubiecti.

Ergò omnia poſſunt habere inter ſe vnitatem, exceptis hiſce: & quatenus habent vnitatem alterum eſt alterius ſignum: & facit propoſitiones veras, vel probabiles; & quidquid dicitur de altero in quantum vnum cum altero, dicitur de altero; vt ſi linea in quantum Ens eſt, bona: ergo & ſerpens in quantum ens eſt bonus. Vnum ſunt enim in Entitate. Similiter ſi pater in quantum relatiuum refertur ad filium: Ergo filius vt relatiuum refertur, quoniam eſt etiam relatiuum. Et, ſi homo inquantum animal, ſentit: Ergò omne animal, vt mus & lendis, & vermiculus ſentit; & ſi calor in quantum conuenit cum frigore in genere, eſt actiuus: Ergò & frigus.

Regula 5.

SEd in contradictione non valet, vt ſi Ens agit, non ſequitur, Ergò & nonens. Quoniam in nullo conuenit, Ens cum Nonente, ſed ſemper quidquid vnum ponit alterum tollit. Vt ſi Ens eſt bonum, ergò nonens eſt malum. Similiter & de priuatiuis, ſi alterum eſt bonum, aut Ens, alterum eſt malum, & non Ens; ſed quatenus in eodem ſubiecto fiunt, ſunt vnum in hoc. Idcircò rectè dicimus; ſi vita eſt in corpore humano. Ergò mors in corpore humano. Viſus in oculo, ergò cæcitas in oculo.

Regula 6.

INter diuerſa, & contraria datur ſimilitudo proportionalitatis & Analogia, & vt ſic ſunt vnum; ſed aliter, atque aliter.

Valet inter Analoga conſimilis prædicatio, ſed diuerſa,

uersa, sicut enim se habet Remus ad nauigium, ità ala ad volucres. Ergò dicitur alterum de altero, sed medio modo inter Metaphoram, & vniuocationem: & prædicatio fit de illis proportionalis in diuersis; vt sicut Remus nauigium in aqua mouet, ita ala in aëre volucrem, vnde Remus dicitur ala nauigij, & Ala remus auis. Ex his conficiuntur parabolæ, & argumenta probabilia, quę longum esset enumerare.

Regula 7.

NOn valet inter diuersa simpliciter, vt si linea est curua: Egò lapis non est curuus.

Regula 8.

INter contraria verò, quoniam sunt eiusdem generis valet argumentatio proportionaliter semper ad opposita, vt si bonus benefacit, malus non benefacit, sed malefacit. Si calor albefacit, frigus nigrefacit. Si datur thesaurus caloris, qui est sol; ergò & frigoris, qui est tellus, cum aqua esse non possit, vti arguebamus contra Stilliosam.

Etenim contrariorum contrariæ sunt causæ; & effectus contrarij; & similium, similes, &c.

Regula 9.

ARgumentum à Metaphorica similitudine facit suspitionem. Non enim fit Metaphora, nisi inter aliquo modo similia, sed potius seruit ad delarationem, quàm ad probationem. Similiter & comparationes poëticæ ad declarandum, & commouendos affectus, & augendos probationes valent.

Regula 10.

OPpositorum oppositæ sunt Definitiones, & proprietates, & Actiones, & Operationes, & passiones, in quantum opposita. Iterum & consimiles, in quantum ita se habent hoc ad illud, sicuti illud ad hoc; vt si probitas bonum facit habentem; ergò improbitas malum; si illa appetenda, ista fugienda: si illius est proprium sociare homines, huius est dissociare; sic de cæte-

ris oppositis; & similium similia, &c.

Regula 11.

ET sicut se habet affirmatio ad affirmationem, ita negatio ad negationem.

Regula 12.

A Coniugatis autem valet consequentia etiã demonstratiuè. Et fit à concreto ad abstractum; & à nomine ad verbum, & contra, & hoc tam in definitionibus, quam proprietatibus, quam electionibus, & c. vt si currere est velociter moueri; Ergò cursus est velox motus. Ergò currens velociter se mouens. Sunt enim in eodem prædicamento. Valet etiam de temporibus, vt cucurrisse est motum esse: cursurum esse est moturum esse. Item virtus bona, ergò virtuosus bonus. Ergò virtuosè benè.

Regula 13.

A Generatione, & corruptione similiter. Nam si homo est risibilis. Ergò generatio hominis est generati risibilis: & corruptio est risibilis; & corrumpi est risibilem corrumpi.

Regula 14. *duplex.*

A Magis & Minus sumunt loci duo, in definitionibus, & proprietatibus, & electionibus; alter negatiuus, alter affirmatiuus.

Si non de quo magis: ergò neque de quo minus, vt si sapiens non est adorandus, qui magis honorari debet. Ergò nequè Diues, qui minus.

Affirm. Vt si de quo minus: Ergò de quo magis vt si in viridi sic faciunt, quid in arido fiet? Et si homo est intellectiuus: Ergò multo magis Angelus.

Regula 15.

A Coniugatis & similibus cum magis & minus. Primus locus est, sicut quod magis ad magis; ita quod nus ad minus; & quod maximè ad quod maximè: & quod minimum ad quod minimum. Et quod simpliciter ad simpliciter; potest & à simpliciter iste locus ordi-

nari : vt si calidum calefacit. Ergò magis calidum magis calefacit, maximum, maximè ; & minimum, minimè, &c.

Regula 16.

SI non quod magis de quo magis. Ergò neque quod minus : ergò neque quod minimè, &c.

Regula 17.

AB Appositione duo loci. Si quod non erat tale fit per appositionem alterius tale ; id quod apponitur est tale. patet in Medicinis.

Si verò erat, & fit magis. Ergò & hoc est eiusdem. Si minus ; hoc non est, sed per accidens contingit minorari, vt tepida feruenti iniecta remittit feruorem, quià calor in vtraque materia expanditur, & robur flaccescit, non copia.

Regulæ tres dictæ.

PRobationes à definitione ad definitum sunt suo loco dictæ, sic à descriptione, & diuisione.

Regula 18.

HIc tamen dicamus ; quod vbi dubitatur, an prædicatum subiecto inhæreat, debet per nominis interpretationem aut definitionem probari dialecticè : & à proprietate.

Regulæ circa electiones.

DE eligibili multa solent connectere ; sed causa finalis est locus eius ; & fiunt argumentationes sicut in prædictis locis.

1. Quod magis bonum ratione finis, magis eligibile.
2. Magis autem quod propter meliorem finem.
3. Maximè quod propter optimum.
4. Et cui plura bona annexa sunt, & minora mala.
5. Quià maximè bonum est conseruatiuum, quæ magis conseruatiua sunt ; eligibilia sunt magis.
6. Et plus totum quam pars. Ergò plus familia quàm persona : plus patria, quam familia. Plus species humana, quàm patria, & plus Deus, quàm omnes homines.

Quia conſeruamur in nobis, & in filiis, & in fama; & in Deo per vitam æternam; Eligibilia ſunt, quæ nos in nobis, deinde magis (fortè) quæ nos in filiis conſeruant. Sed magis quæ in fama; & maximè quæ in Deo, ergò virtus, quæ nos ad Deum ducit.

Item quia iucunda bona ſunt: vtilia meliora: honeſta optima. Sed maximè vtilia, plurimáque paucis, minuſque honeſtis præponderant; vt ciuitatis dominatus vnico actui verecundiæ in rebus paruis; niſi obſtet paradoxum ſancti Thomæ, eligibilius eſſe pœnam inferni, quam peccare venialiter, ſed de his alibi. Hinc elige propoſitiones, ſed non à ſignis ſolis, ſed à cauſa finali.

8. Contrariæ ſunt regulæ de malo fugiendo iis conſimiles.

Regulæ circa poßibile ex impoßibili.

AB impoſſibili verò poſitiones deſtruuntur, magis autem hypotheſes.

1. Si enim ad illas ſequitur impoſſibile aliquid, deſtruũtur, ſicut Copernicus Ptolomaicas conuellit, quia motum æqualem faciunt in centro alieno.

2. Item ſi non præſtant, quod promittunt, vt Ariſtotelicæ ſpheræ apparentiarum non reddunt cauſas.

3. Item ſi contrariæ ſunt oraculis Diuinis, benè intellectis.

4. Item ſi abſque illis ratio, propter quam poſitæ ſunt, melior & facilior aliunde deducitur, vt à noſtris dogmatibus.

Confirmantur verò ob contrarias cauſas.

Primò ſi apparentiæ abſque illis ſaluari nequeant.

Secundò ſi per illas ſolas redditur cauſa.

Tertiò ſi necunde melius, &c.

Æquipollentiarum regulæ plurimum conferunt ad poſſibile, & impoſſibile, neceſſarium & contingens in problematis diſcutiendis. In rebus verò ſagacitas experientia, & meditatio.

A signo est omnis æquipollentiæ processus, vt est in simplicibus etiam sic procedéns: vt si ad probandum quod nullus homo est iustus coram Deo adducatur æquipollentia Dauidis. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

Destruemus autem vniuersales, & particulares, & affirmatiuas per negatiuas, sicuti de propositionibus loquentes docuimus.

De signis ex Natura.

DE signis vnde argumentamur adhuc in natura, vt de signis pluuiarum, & ventorum, & abundantiæ, & penuriæ, de quibus Astrologi loquuntur: quorum alia sunt à causis, alia à signis tantum, sed illa certiora: omnia tamen probabilia, quoniam vniuersales sunt causæ, nisi in quibus sunt etiam particulares, vt æstatis & hyemis solis proximatio, & elongatio à Zenith: diei, & noctis, rotatio vmbræ & lucis.

Nota de signis adæquatis, & inadæquatis, & per se, & per accidens, vt scias opinionem, & suspitionem, & nugas discernere.

De lineis quæ in manu apparent, & in fronte & pede, multa philosophantur homines: nos quoque putamus frustrà non esse: cum Deo & naturæ id nunquam conueniat. Cumque non sint causæ, neque ob vsum aliquem operationis. Ergò propter significationem. Si enim in scriptura neque apex sine vsu, quantò magis in natura? Arbitror tamen à paucis librum naturæ legi posse; & periculosè quosdam: ideò tacendum. Vide Metaphys.

Similiter de signis in vnguibus, Neuis.

Signa per somnum plurima sunt; ex quibus Medici argumentantur de humoribus intus mouentibus phantasiam.

De Physionomia etiam Aristoteles scripsit per signa, ab animalium conformitate nobiscum deprompta, ex quibus probabiles rationes tamen facimus. Sæpè etiam

solummodo suspicamur. Quæ autem ego de imaginatione incidente in primo occursu scripsi; Non sunt logici negotij. puto equidem, quod spiritus efformat corpus iuxtà sui propensiones, vt patet in animalibus. Et ab effectu plerumque physionomicum syllogismum procedere, & cum omnes homines, & singuli inter se moribus dissideant, & vultu, & motu, & risu, & voce, & actionibus, & scriptione, quæ opus est Animæ, &c. Posse ex his Physionomizari non ineptè. Et ex comparatione hominis ad hominem, & nationis, & sideris ad hominem, nedum ex brutis, sed vsque ad passiones animæ non vsque ad futuros euentus, vt alibi docuimus.

Signum autem illud est alicuius ponderis, quod in multis hominibus, & in animali sic affecto reperitur perpetuò consimiliter. Atqui locus iste omnis à simile esse palam est; potest & à contrario signo contrarium colligi.

Et duo concordia signa eiusdem rei in duabus manibus plus confirmant. Hoc satis pro Christiana, & reali Logica dixisse videmur. Quot autem fallaciæ contingant in superiori dictum est tractatione.

APPENDIX.

HIC autem notare adhuc libet, quod omnes probationes factæ à Definitionibus Aristotelicis, & Mathematicis, constitutis per solam causam formalem, sunt fallaciæ petitionis principij, & non demonstrationes, nisi ad discipulos. Definitio enim est idem re & ratione cum definito. Ergo si probo Petrum esse hominem, quia est animal rationale, probo esse hominem, quia homo. Forma enim non dat esse rei datum ab Idea, & Agente causa. Dat tamen materię esse formale, quod tamen ipsa est, res nimirùm data. Ergo est probatio per Æquipollentiam, quæ nihil noui dicit. Sed idem dilucidat. Ergo pro discentibus valet talis demonstratio, non pro doctoribus.

Similiter peccat probatio ab vniuersali ad particularem vt dictum est, & in fallaciis. Si enim nego Petrum esse animal; frustrà adducis, omnis homo est animal: Ergo Pe-

trus. Oportet ergo probare illam: omnis homo est animal per inductionem; & sic Petrus est pars inducens & à simili saltem cognita. Ergo demonstratio Aristotelica nulla est in mundo, nisi declaratio ad discipulos. Quæ autem fit à sensu, & testibus, & per syllogismum, quem vocant expositionem, & per causas ad effectus: Ergo & è contra; vera est Demonstratio, vt docuimus. Tota Aristotelica disciplina est Æquipollentiarum traditio: & procedit ergo à signo demonstrato per definitionem, non à causis.

Quæ verò per diuisionem à partibus sufficienter locatis est melior, quando est inquisitio. Nec Arist. illam rectè damnat, quod petat principium, vt superius monuimus de definitione tractantes.

Vbi Definitio est ab omnibus causis, probat melius, vide supra & Metaph.

COROLLARIVM.

OMnes ergo similitudines & dissimilitudines Disputator inspiciat; & modos ipsarum; & axiomata, & positiones: & suppositiones; & paradoxa; & Æquiuocationes; & synonima ex parte rei, vel ex parte nostri; & entitates rerum, secundum se, & secundum nos, & ad alias res. Siquidem varios conceptus faciunt, sic semper: ne dicamus tempus esse mensuram secundum rem, quod est secundum nos; sic de cæteris. Hinc enim fiet, vt non decipiatur, neq; decipiat. Præfatas enim regulas per se sciet, & insuper alias condere non ignorabit, fauente sapientia Dei, cui soli scholam, non autem hominibus, ædificamus.

FINIS.

THOMÆ

CAMPANELLÆ

STYL. ORD. PRÆD.

RHETORICA.

RHETORICAM ESSE INstrumentum suadendi bonum secundum nos, & dissuadendi malum, & quo differat à Logica, Gramm. Poëticáque Déque eius subiecto, ac fine, & quid circa hæc non rectè senserint Antiquiores.

CAP. I. ART. I.

POST priores de Dialectica sermones; de Rhetorica nos manet consideratio; cũ & ipsa sit pars philosóphiæ rationalis, argumenta sumens à Dialectica, materiam à Morali. *Differunt autem, primò: quia Dialectica instrumentum est Metaphysici, quo ratiocinia in omni arte moderantur, siue mentalia, siue vocalia; Rhetorica verò Legislatoris; quo persuasiones, & dissuasiones reguntur. Illa pro obiecto habet verum, & falsum: ista bonum, & malum.* Nam, & si

Logicus disputet de Bono & malo, non tamen in quantum huiusmodi, sed in quantum verè bona, aut verè mala sunt: sic Rhetor de vero, & falso, non in quantum huiusmodi, sed vt verum est malum, aut bonum: sic & falsum: Non enim contendit in iudicio per se Orator, vtrum Petrus occiderit hominem, an non verè; nisi quia malū est occidere, & pœnam meretur. Quæ n. nil ad malitiam aut bonitatem faciunt, non considerat orator, vti nec de linea, nec de albedine niuis; sic neque suadet, neque dissuadet, nisi bona, vel mala, vel minus bona. Neque laudat, neque vituperat nisi iam dicta voluntatis obiecta. Logicus autem non, nisi entitates rerum, quatenus veræ, aut falsæ de eis propositiones sunt, perpendit; & ideo de omnibus rebus sermocinatur, quoniam Magister scientiarum Metaphysicus tali instrumento sibi apto circa scientias negociatur omnes.

At quia Legislator ita est ad vitam, & mores, sicut Metaphysicus ad scientias: imò si bonus est Legislator, prius Metaphysicus est: & dum leges ad bonum hominum fert indiget instrumento; quo illas suadeat: Nam vtrum veræ sint, an falsæ; & re vera vtiles, an non, discursu scientifico prius examinat, dialecticóque instrumento. Oratores ergo sunt quicunque populos regunt, quoniam Legislatoris sunt ministri: Similiter qui consulunt Reip. & qui accusant, aut defendunt reos secundum legem; quæ bonum commune, & priuatum respicit, negociantur.

Sacerdotes, & Prophetæ, qui diuinas leges tuentur, & laudant, & vitia resecant, & ad bonum æternum Remp. dirigunt, Oratores sunt; alij à Deo immediatè instructi, vt Apostoli, alij ex Apostolicis ex culti præceptis, vti Concionatores. Versatur ergo Dialectica in scholis ad philosophos; Rhetorica in foris, & in templis, ad populos.

Duces quoque exercitus, & imperatores hac arte vtuntur ad milites confirmandos, & exhortandos.

Neque vlla potest hominum congregatio consistere, siue militaris, siue lātronum, siue sanctorum, siue ciuilis,

absque Grammatica; quæ est lingua cõmunitatis, & Rhetorica quæ bonum communis vitæ suadet. Quemadmodum dicebamus legem eiusdem esse virtutem in politicis. Qui autem ad populum loquitur, longioribus indiget argumentis ad ostendendum quod bonum, quid eligibilius; idcirco oratione longa vtitur, & ex popularibus axiomatis, & consuetudinibus confirmat. Qui verò philosophos alloquitur, breuibus, & ex rei natura depromptis.

Idcirco Zeno talem inter Dialecticam, & Rhetoricam statuit differentiam, qualis inter Palmam contractam & expansam. Hæc tamen differentia non ad essentiam, sed ad quantitatem, & per accidens est ab externis: Neque semper vera. Cum n. Orator ad Senatum loquitur, breuiter orat, vt Cicero solet, & in Areopago sine procemio olim: cum ad populum, profusius, & sæpè per crassa exempla. Item contingit syllogismum Logicum ex tribus propositionibus in Dialectica factum, constringi in vnam propositionem Rhetoricam, sic. Nunquid Petrus filius occidit Ionam Patrem suum sine causa? in qua interrogatione includitur maior (*Nullus filius occidit Patrem sine causa*) & Minor (*Petrus occidit Ionam Patrem*) & conclusio. (*Ergò Petrus non occidit Ionam sine causa*) vbi sane fallit Zenonis distinctio. Similiter in vna Cæsaris propositione, cum in feruore belli pharsalici dixit, *Abstine à ciuibus*, oratio prolixa continebatur: quæ victoriam partam, iam persuasit, suos victores fecit; contrarios ciues clementiæ affectu ligauit, & amore emolliuit, vt vix pugnare vltra valerent: auxiliarios verò fugauit cùm contra se solos totum bellum inundare intelligerent.

Nec *Rhetorica est germen Logicæ*, vt Arist. definit; licet vtatur omnibus argumentis, quæ Logicus conficit. Nam & omnes scientiç vtuntur omnibus argumentis, quidquid Arist. dicat. *Est enim Logica omnium scientiarum organum*; nec tamen scientiæ sunt illius germina, sed sapientiæ potius Metaphysicalis, si per ramos arbor ista consideretur.

Neque est ars solum benedicendi, licet ethymologia arri-

deat, vt Cicero definit; contigit n. & Grammaticum benedicere, & Poëtam melius: & Physicum, & Theologũ, & vnumquemque in arte sua: & non per Rhetoricam, sed per Logicam. Potius ergo *Rhetorica est ars instrumentalis ad suadendum bonum, & dissuadendum malum nobis, dicendo:* In mente enim per scientias Logicè suademur; sed voce per Rhetoricam.

Non ergo materia Rethoricæ est omnis quæstio, vt Cicero vult: neque enim in Metaph. intrat. Sed est suasio, & dissuasio boni, & mali; quam ornatè & artificiosè dicendo consequimur. Nec tamen non sit organum suadendi propterea quod sæpè non suadet, quoniam & Medicina nec semper sanat, vel quia Æger respuit pharmaca, vel quia Medicus non ex arte prorsus medicatur; aut pharmaca sunt inualida.

Cum autem quis non quod bonum est suadet, sed malum fucatum veri coloribus, Rhetor non est, neque ex arte orat. nulla enim ars, ait Chrysost. nisi ad bonum Reip. instituta est: Ergo ex vitio suadet malum, & mentitur ex mendacio, non ex Rhetorica; sicuti Medicus ex malignitate, vel ignorantia perimit ægrum, non ex arte. Signum autem quòd rectè à nobis Rhetorica accipiatur, illud sit, quod orator disponit animos auditorum, commouetque affectus primò; Quod non fieret si ob verum certaret. Affectio enim non in verum, sed in bonum fertur. Poëtica quoque mouet affectus: sed, vti demonstrabimus, est Rhetorica figurata, & ministra exemplorum ad suadendum iocundè bonum, quod in iocundum vulgaribus, & delicatis esse solet.

Omnis profectò sermo ad suadendum compositus, ad Rhetoricam spectat. Nam & Pater Filiis, & Pastor Pastoribus, & Rusticus suadat Rusticis per impolitam, & naturalem Rhetoricam, id quod per politam & artificialem orator. Quemadmodum & naturali Logica discurrunt Rustici, & alter alterum docet, quod verum esse norunt, per argumenta nullis exculta artibus.

Nec quis putet absque Rhetorica Apostolos suasisse

Mundo diuinas leges: hoc n. fieri non poterat: nec per vim: sed absque Rhetorica humana, & cuiusmodi docetur in scholis; verum est: Nam & Paulus se imperitum sermone, sed non scientia, fatetur: attamen absque innata, & super addita diuina Rhetorica persuadere nil potuisset; Eorum enim linguis spiritus Dei loquebatur, viuida meliori Rhetorica, quam nos solemus: & hæc assertio est S. Chrysost. in pluribus locis, præcipuè in libro de sacerdotio, vbi loquitur contra vituperatores oratoriæ artis: iubétque Episcopos, & Concionatores illi operam dare: quo verbum diuinum sciant seminare, & excolere auditorum mentes, sicuti terram, ne reuertatur vacuum, & infructuosum: quod patebit, cum quæ in Rhetore requiruntur, aperiemus. Plus suasit & suadet vnum verbum Salomonis aut Isaiæ, aut Pauli, aut aliorum hagiographorum, quam prolixæ orationes sophistarum. Testis est Mundus persuasus: & ego noui.

Dixi, bonum secundum nos: quia orator non considerat bona & mala physica, & secundum naturam, nisi per accidens & indirectè aliquando.

Argumenta contra præcedentem doctrinam, & Responsiones pro Rhetorica nostra, non pro Ethnicorum.

ART. II.

SOcrates summopere Rhetoricam insectatur tanquam meretricem fucatam; amat verò Logicam tanquam pulchram virginem solo veritatis nitore natiuo fulgentem. Ipséque Plato introducit Arpasiam meretricem, quæ Socratem philosophum Rhetoricam docet.

2. Præterea Palam est, quòd oratores dum laudant Tyrannos tanquam Reges optimos, & dum defendunt scelestissimos morte dignos, liberantque per callidissima argumenta, operantur secundum artem: neque enim imperitus Rhetoricæ illos tam decore laudaret: neque istos

liberaret. Non ſtant ergo quæ diximus de Rhetorica.

3. Præterea homo in periculo mortis conſtitutus iure naturæ poteſt ſe ipſum quacumque via liberare. Debet ergo vti Rhetorica, & mentiri, & mendacia fucare.

4. Præterea ſæpe accidit, populos eſſe tam imperitos, vt non niſi falſis aſſertionibus ſuaderi queant. Sæpéque mendacium liberauit patriam à ſeditione, vt Romæ contigit. Et Medicus ægroto ſuadet medicinam eſſe dulcem, cum ſit amara: & ludificando ſanat potius per Rhetoricam quam per Medicinam; quam abſque Rhetorico proœmio non ſuaſiſſet.

5. Item Varro vtiliter à Senatoribus ſuaſum eſſe populis, quod Romulus inter Deos viueret, quò eius leges ſeruarentur, Philoſophatur. Multáque vi Rhetoricæ pro legibus ſtatuendis finxit mendacia Minos, & N. Pompilius, Zamolxis, & Mahomettus: Ergo, &c.

6. Item ſi Rhetorica ſuadet bonum: mendacia autem vtilia ſunt in memoratis negotiis: ergo Rhetor illis poteſt vti, & ex arte: quod & Quintilianus, & Cic. & Ariſtot. docent.

Reſpondeo ad primum, quòd Socrates inſectatur artem mentiendi, & laudandi ſceleſtos, & liberandi impios, tanquam nomine artis, non re, præpollentem. Eandem Rhetoricam Apoſtolica doctrina damnat: quoniam re verà ars non eſt, vt Chryſoſt. probat. Et Plato docet, Socratem per meretricé laudare homines indignos, & quoſcumque: non autem virtuoſos & virtutes; vitiáque inſectari: & leges ſuadere; Cum hoc munus in Ciuili imperatoribus aſſignarit; & alibi Legiſlatoribus. Vult etiam Socrates, nequis ſe defendat in Iudicio, niſi per ſimplicem negationem, aut aſſertionem, confirmatam veris teſtibus & factis, & rationibus, ſicuti ipſe fecit. Quod ſi contingat oratorum verſutia condemnari, expectandum eſſe à Deo præmium, monet: quod & Martyres Chriſti fecerunt; & ipſe Dominus IESVS: & re vera hoc abundantis eſt probitatis. Licet tamen cuique ſeſe defendere cum moderatione inculpatæ tutelæ, de quo alibi.

Ad 2

Ad 2. Verè vtuntur fallacibus argumentis ad ludese Tyrannorum, & defensionem scelestorum multi Oratores: Sed contra rationem artis: sicuti Medicus dum veneno necat hominem. Nam & si ars doceat quæ sunt venena, & quo pacto perimant: Non tamen vt occidamus, hoc docet, sed vt caueamus, & veneno impetitos sanemus. Neque lex dum vetat masculis abuti contra naturam, pueri qui hoc ignorabant antequam legerent hoc in lege, docentur, vt exequantur, sed vt caueant. Scelus ergo & malitia, non ars, nisi per accidens & præter intentionem, conficit malum opus. Ars enim est sapientiæ proles: sapientia nostra est emanatio à verbo Dei. Verbum Dei est Ars, & Sapientia essentialis, à qua non potest malitiæ ars emanasse, vti in Metaph. docuimus.

Ad 3 dicimus non licere homini probo sese per calumniam defendere, & mentiri. Tacere tantùm delicta', & quæ non iuridicè interrogatur, & amphibologia vti, vbi verum fateri non tenetur, permittitur illi: non autem expreſsè mentiri. Mori enim minus malum est in corpore, quam in anima. De hoc in Theologia. Idem sentit Socrates. Sed dicitur in Gorgia; quid prodest ergo Rhetorica? Si enim scelus non est patratum, absque Rhet. defenditur patiens calumniam: si est patratum, fateri debet, & pœnam subire. Resp. quòd contigit innocenter impetiri: & contra calumniatores non nisi per Rhetoricam defensiones parari. Item ad consulendum, ad laudandas virtutes, ad vitia eliminanda plurimùm prodest, vti patet apud Chrysost. & Amb. & Bas. immò, & Poëtica ad himnodiam. Nulla ars est frustra, si à prima arte deriuatur, vel per media, vel immediatè.

Ad 4. concedit Plato mendacium officiosum, non autem damnosum. Chrysost. approbat idem tanquam vtile sæpissimè: & probat exemplis mirificis hoc in lib. de sacer. & sup. Epist. ad Gal. & super Act. Apost. similiter Hieron. & omnes Græci. Sol. Aug. negat. At in lib. 1. c. vlt. Retract. quasi sese corrigit ad regulas Patrum. N... mendacio non est vtendum sub ratione mendacij, sed stra-

tagematis. Et enim mendacia Iudith, Abrahæ, & obstetricum, & Micheæ primum coram Regibus, & aliorum, quæ damnat, aut excusat; venialia tamen peccata esse dicit: quæ non permittuntur à lege diuina, reuera stratagematis rationem habent. Vide Theol. lib. 10.

Nam si licet occidere inuasores ne nos occidant, cum moderamine inculpatæ tutelæ; nescio an etiam liceat mentiri magis, quam sinere occidi, si quis hostis percumtetur in nocte occurrens, es ne tu hostis, quem quæro? dicendo, non sum. Tunc enim non est verè mentiri. Mendacium enim est falsitas dicta animo fallendi, non suadendi. Falsum dixere etiam sancti viri, putantes esse verum: aut animo iuuandi, vt dictum est.

Ad 5. figmenta Legislatorum perniciosa quis probet? officiosa interdum permittuntur. At non rectè putantur officiosa Varroni, quæ idololatriam, & periuria; & Deorum contemptum, & omnia mala mox pariunt, vti Salomon in Sapientia rectè demonstrat. Plurima sunt quæ primò videntur bona, sed mala introducunt maxima.

Ad 6. Nego quodcunque vtile esse bonum, nisi ad vsum aliquem & secundum quid: simpliciter autem & per se bonum non est, nisi honestum, vti Stoïci, & Platonici, & cum eis Ambros. & Chrys. docent, quidquid Arist. dicat. Non rectè Protagoras, & Quintilianus, & alij permittunt mendacia & ostentationes ingenij in laudando malo pro bono, & vero; quorum sunt inexhauribiles thesauri in vnaquaque re: Vnde Rhetori nunquam dicendi materia deficiet, ita vt indigeat laude falsa ad ingenij exercitium; & instrumentum, & arma salutis in perniciem conuertantur. Sagaciter Censorinus Reipub. vicinam immitere ruinam ex iuuentute Romana prædixit, quando Carneadem ostentationis gratia contra iustitiam orantem in foro tam auidè, & voluptuosè audierunt.

Rhetorem considerare bonum & malum, non secundum se, neque secundum res alias, sed secundum nos; non agendo, nec docendo, vt Medicus & Moralis, sed persuadendo, & dissuadendo.

ART. III.

DIximus Rhet. versari circa persuasionem, boni, & dissuasionem mali principaliter, & per se, per accidens verò circa verum, & ens, & non ens sæpè sæpius: ...tamen addidimus, *Boni & mali nobis*. Omnis namque ... iuxta nostra dogmata tripliciter consideratur à physi... & Metaph. vel secundum naturam vti dicimus, aquam ...e fluorem mobilem calidum perspicuum ex fumo condensato natum. Alio modo secundum nos, sicuti Medici considerant aquam esse liquorem frigidum potui congruentem, febricitantibus noxium, aliis proficuum, si prout conuenit sumatur. Tertiò consideratur secundùm alias res, & tot habent rationes, quot respectus ad illas, & sic sumuntur variæ conceptiones, & definitiones formales; & hæc consideratio specialiter pertinet ad Metaph. qui Fatum, & Harmoniam omnium systematum contemplatur. At in artibus specialibus habet tantum res omnis speciales rationes fòrmales. Vt in Physicis considerantes aquam dicimus esse elementum, ex quo cum aliis secunda corpora fiunt, in Philosophia Empedoclis, & Arist. Nobis autem videtur esse quasi sanguis in animali mundano, vt Bas. magnus admonet. Dicimus gustui calidam, tactui frigidam. Et multa huiusmodi. Rhetor ergo considerat de Bono non simpliciter, vti Metaph. neque secundum res alias Mundi, vt ibidem, sed secundum nos serpēs enim bonus est simpliciter, & serpentibus; non autem nobis. Conuenit & Rhetori, cum Medico, quoniam vtrique bonum nobis considerant; sed iste vt faciat, & operetur bonum; Rhetor verò vt suadeat. Item Medicus vtile tantum respicit corporibus humanis bonum; Rhetor verò

& honestum; & Iocundum non solùm corpori, sed Animæ, & Reip. Quod licet Ethicus tractet, non tamen vt suadeat, sed tantum vt doceat, Logico, & Physico more; qua mox doctrina vtitur Rhetor ad suadendum. Nec quidem ethicus tractat de bono secundum se: sed secundum nos. Largiri enim quidquid habes cuiulibet, non est malum secundum se, sed in morali est malum, quoniam est prodigalitatis vitium, nostræ vitæ noxium: vnde omnes virtutes & vitia humana respiciunt mediocritatem, naturę nostræ mediocri congruentem; & extremitates importabiles.

Quapropter non modò est virtus Angelis montem aggredi, quod nobis est temeritas, & audaciæ vitium; sed etiam quod alteri homini virtus est, vt ieiunare temperantia, alteri erit vitium, si saluti obest multùm Ine. vocatum. Ponere autem Regulas huiusmodi spectat ad ethicum; vtiliter verò ad suadendum vti, ad Rhetorem; sicut prospectiua Regulis vtitur Mathematicæ. quod autem vti debet commodè, spectat ad physicum. Sic logici est commoditatem argumentandi præstare Rhetori; Grammatici verò cõgruitatem sermonis: Rhetoris tandem aptè vti ad suadendum, & dissuadendum, id, quod facit laudando, & vituperando; laus autem, & vituperium, boni est malique. De facili verò, & difficili, possibili, & impossibili tractat quatenus sunt eligibilia in operatione, aut ineligibilia: quæ quatenus sic bona sunt nobis, aut mala. Similiter accusat, & defendit puniendos, & liberandos, quatenus bonum est sic Reip. & illos bonos, istos malos probat. Omnis quoque deliberatio insuasione, & dissuasione eiusmodi reperitur. Quapropter finis Oratoris est suadere, gratia finis est laus & vituperium formaliter; materialiter verò voces, & sententiæ, & dispositiones.

NEQVE OMNEM QVÆSTIONEM esse Materiam Rhetoricæ: neque quæst. speciales esse trium generum, videl. iudicialis, demonstratiui, & deliberatiui, vt Cicero putat.

CAP. II. ART. I.

CIceroniani non rectè omnem quæstionem faciunt Rhetoris materiam, cum nec Mathematicas attingat quæstiones, nec Medicinales: imò in cunctis scientiis absque Rhetorica disputemus de cunctis rebus: neque quia est ars rectè dicendi: non enim quodlibet dicendi: cum singulæ de suis subiectis rectè dicant absque Rhetorica, vt in p. cap. dicebamus. Rectè mox diuidunt quæstiones, in generalem vt vtrum virtus sit expetenda, & in specialem, quam vocant causam, & actionem, vt vtrum Aristoteles sit é scholis christianis eliminandus: Quam mox in triplex genus partiuntur s. in *demonstratiuum*: quo laudamus, & vituperamus aliquem hominem, aut ciuitatem, aut, &c.

Et in *iudiciale*, quo in fore accusamus, & defendimus reos.

Et in *deliberatiuum*; quo in senatu suademus consulendo, & dissuademus, quæ Reip. faciunda, aut non facienda intelligimus.

Quam distinctionem nos reiicimus tanquam insufficientem & inartificiosam: primo quidem quoniam si particulares causas quæras, remanet consolatoria; & sua opposita, vt cum concionator declarat euangelium ad verbum vnde elicit laudes, vituperia, suasiones dehortationes, accusationes, &c. & hoc genere in omni oratione vtuntur Antistites, & sectarij. Datur etiam gratiarum actio, & execratio, ex quibus integræ conficiun-

tur Orationes. Sique omnis quæstio est Rhetoricæ materia, remanet verificatoria, & sua opposita. In omni enim scientia quærimus de quidditate, & proprietatibus subiectorum & an verè, an falsò assignentur.

Est insuper artis expers. Cum enim suadere, & dissuadere sit finis Rhetoris & suprema actio non debet condistingui nisi contra suas differentes species, vt suasio contra dissuasionem: laus autem, vituperium, accusatio, & defensio sit actus medij, ad hunc finem perordinati; nequaquam annumerandi simul erant inter species Rhet. sed per actus medios & finales distinguendi. Neque enim cum laudamus aut vituperamus hominem, laus, & vituperamen, est finis actionis, sed suasio, & hortatio ad bonum, & dehortatio à malo. Sic enim virtus laudata seruatur, & crescit in laudato: & alij eum imitari student. Cum autem laudamus Deum consequîmur bonum, quia virtus Dei crescit in nobis, non in Deo, cui nihil addi potest. Cumque Deus sit summum bonum, omnis oratio ad ipsum dirigatur oportet. Quod si qui non vt suadeant bonum, laudant, aut vituperant ij suadent bonum tibi tantum apparens, & ab vtuntur arte, sicut qui gladios faciunt, non ad defensionem, & calceos non ad pedum tutelam: & qui coitu vtuntur, non prolis gratia, sicuti à natura institutus est. Erit tamen nobis de omnibus actibus finalibus, & qui ad finem consequendum præeunt, in Rhet. nostra tractandum, ne imperfectam artem tradidisse notemur.

RHETORICAM ESSE QVODAMMODO *Magiæ portiunculam, quæ affectus animi moderatur, & per ipsos voluntatem ciet ad quæcumque vult sequenda, vel fugienda. Et quæ requiruntur in oratore; & auditoribus: & in oratione.*

CAP. III. ART. I.

NOn immerito in 4. libro de sensu rerum Rhetoricam quodammodo Magiæ portiunculam esse diximus: Mentis enim scientiis vtitur ad praxim ordinando, applicandóque actiua passiuis ad immutandos Animos affectusque humanos; mirabiliter sanè. Quis enim non admiretur populum Rom. seditione percitum contra Patres, spontè in montem sacrum segregatum, nouam per se ciuitatem facere volentem, seorsumque ab exoso senatu viuere statuentem, vnius Menenij Agrippæ oratione sic mitigatum, vt denuo reconciliaretur, inque eandē ciuitatem? Item Scipionem suadentem Romanis dum in Italia ab Annibale vexantur, bellum Africæ vt inferrent contra spem, Fabio, & ratione repugnantibus? Sique humana diuinis conferenda sunt, videmus orationis vi populos innumerus à predicatoribus ad fidem catholicam conuerti, & ab Hereticis ad Hereticismum. Quapropter magia quædam est Rhetorica, quæ omnes animi affectus & gignit, & extinguit, & mutat, dum dum argumentis logicis, & moralibus disciplinis, & religione, & astronomia, & omnibus vtitur scientiis ad animi affectus commouendos longè certius, ac melius, quam per vinum & pharmaca physiologi amorem, & odium, iram, & metum, docilitatem, & stuporem, immutando corpus spiritumque animalem, efficere solent. Neque incantationibus demones allicit ad huiusmodi passiones excitandas per phantasiæ commotionem, sed

argumentis vtitur, ſententiis, & vehementia incitatiua, verborúmque lenocinio quaſi magico. Allicit tamen Angelos ipſumque Deum habet adiutorem, vbi pro Dei gloria, & veritatis corroboratione concionator ſermonem facit: ſed hoc per Accidens eſt, & ſupra Artem, ex gratia Dei, quæ bene vtentibus arte non deficit vnquam, ſi & auditores ſibi ipſis deeſſe nolint: teſte Euangelio.

Ad magiam igitur iſtam ſalubriter exercendam, quędam requiruntur in cauſa agente, qui eſt orator: quædam in paſſiua, qui ſunt Auditores; quædam in inſtrumento; quæ eſt oratio, qua agens allicit audientis voluntatem, vnde executiones negotiorum, quas præoptamus deriuantur. Iſta ſe habent ſicut Medicus, & ſicut æger, & ſicut Medicina.

Itaque in Rhetore tria eſſe debent iuxta tres Metaphyſicas primalitates, *Potentia*, *Sapientia*, *&* *Probitas*. In Auditoribus voluntas tantum audiendi. Neque enim æger Medicum acceſire nolens, neque accerſito obaudire, mutari poteſt è morbo in ſalutem. Ex parte orationis requiro, vt ſit intelligibilis, ornata & negotio, de quo agitur, apta; & oratori, & auditoribus congruens. De quibus ſigillatim dicere ne grauemur.

DE ORATORE EX PRIMALITATE PRIMA.

DE NATVRALI POTENTIA ORATORIS, & de impotentia, & huius cura, vt ſolertia, loquacitate, memoria, pronunciatione, & vehementia in afficiendo per ſermonem.

CAP. IV. ART. I.

NOn omnem potentiam in oratore requirimus; neque enim bellicam, neque dominatum ſupra popu-

populos, sed aptitudinem ad eloquentiam, quam solent naturalem potentiam dicere Peripatetici licet requiramus animi robur, ne absterreatur præsentia Senatorum & Magnatum. Tunc enim timor loquelam, & memoriam aufert. Aptitudo consistit in quadam naturali solertia ad inueniendum quæ sunt apta ad suasionem; Item & in loquacitate prompta; & in vehementia animi ad dicendum; & in memoriæ tenacitate, ne quæ cogitauimus, elabantur; & in pronunciationis decore, & venustate; corporisque itidem conuenientia.

Hæc omnia quibusdam insunt à natura, arte tamen, exercitatione, & imitatione magnorum oratorum, expoliuntur, & roborantur. Quibusdam verò horum nihil natura inest: & hos à Rhetorica prorsus semotos esse conuenit. Quibusdam quædam insunt, quædam non.

Si desit inuentio, oratores non sunt, sed recitatores.

Si loquacitas, & promptitudo, difficile orabunt. Prodest his exercitatio.

Si vehementia, molles erunt, nec suadere poterunt. Agens enim debile in passum non imprimit sui actionem, similitudinem, siue mentalem, siue physicam.

Si memoria desit omninò, nil dicere excogitatum possunt si exiguam habent, possunt. Exercitio addiscentes multa, memoriam adiuuare. Ars quoque memoriæ subuenit, quæ fit ex locis, & imaginibus. Vt notissima loca multa, & tactu; & oculis præcepta sæpius, in aliquo palatio, vel monasterio, vel in signis cœlestibus, cui sunt notissima, notando, singulisque locis imagines rerum dicendarum fingendo, non quidem vocabulorum. Esset enim infinitus labor [nisi cum carmina recitare habes : tunc enim primas dictiones singulorum facile est notare; carmina verò per se suis numeris currunt, insequunturque] sed principia periodorum, vel principalium rerum, dicendarum, vel argumentorum. Tunc enim loca memoriter permeando ordinatim, imagines se se offerunt, & per consequens imaginatæ res dicendæ ordine eodem. Possunt fieri reales imagines, & apponi, vel scribi

in locis illis, quando multa, & grauia dicenda sint: fiunt tamen semper fere imaginariæ. In scripta oratione characteres notos facere, imagines referentes, iuuant memoriam oratoris.

Si verò pronunciatio defuerit, orator non erit. Pronunciatio in lingua, voce, & gestu, qui est corporis altera lingua, consistit.

Si lingua est nimis balbutiens, ex medicina accersito remedia: quæ si non iuuant, necunde iuuabunt. Ideò Moysi pro lingua datur Aaron.

Si parum balbutit, dat interdum gratiam, vt sæpè vidimus. Quoniam admiramur, & gaudemus posse ab hominis virtute fieri, quod à natura negatur.

Si vox desit, vel nimis sit rauca, aut obstrepera, quis huic orandi munus committet? Nec ergo surdi orabunt: quoniam dissonantia edunt; nec corrigere possunt, quod non audiunt. Vocem oportet esse nec nimis tenuem, ne spiritus auditorum penetret laceretque: nec nimis grauem, ne obtundat aures, sed sonoram, virilem, venustam.

Contra vitia vocis sunt remedia ab exercitio & medicina.

Gestus autem impedit oratorem, si vastissimi sit deformisque corporis orator, vel Pygmeus, quoniam vterque mouet risum, & gestus deformes edit. Manus debet conuenire voci, & vox rebus, de quibus est sermo. Et corpus totum concomitari. Nam cum de materia lacrymabili est oratio, vox flexibilis sit, & quasi luctuosa oportet. Non tamen affectitè, sed prout afficitur dicentis animus, & afficere vult. Neque enim quis persuadet, quod sibi prius ipse non persuasit. Sicut calefactus calefacit, & frigefactus frigefacit in tangendo: sic mœstus, mœstitiam, & sperans spem, & iratus iram, auditoribus communicat. Et in hoc magna est huius magiæ vis. Gestus ergò pro cuiusque passionis modo, & vox attemperetur. Indicant autem oculi affectum oratoris maximè. Nec qui lætos habet oculos, mœrorem excitabit, &c. At mœstos

ostendere lætus animus oratoris non potest. Oportet ergo in hoc potentiam ponere summam ad persuadendum, vt Chrysost. & Bernard. & alij doctissimi considerant.

Corpus sit rectum, non se torqueat, nisi prout naturalis affectio requirit; nec gestus improportionatos edat. Igitur pinguissimus corpore frustrà prædicat ieiunium; & lasciuè gestiens pudicitiam, & superbiens humilitatem: nec concitatis motibus se agitans, mititatem prædicabit. Sæpéque nocent plus hæ corporales ineptudines, quàm affectionis imprimendæ patientibus, in agente defectus. Ipsa enim oratio dum dicitur, ipsum quoque dicentem affecit quamuis his, quæ dicit incredulum: vt qui recitant in tragediis exemplo sunt. Alij verò spiritum habent flexibilem, & corpus, quo volunt inclinantem: & exercitio idem consequi solent; vnde Ouid. *vt flerent oculos erudiere suos.* At corporis defectus quomodo emendabis?

DE ORATORE EX PRIMALITATE. 3.

De Oratoris probitate ad suadendum idonei, iuxta tertiam primalitatem; & de vitiis oppositis, per quę redditur ineptus.

Art. II.

DIcendũ esset de sapientia oratoris: sed longior nos de hac præstolatur sermo. Prius igitur de probitate tractemus. Est Bonitas Amoris obiectum. Virum bonum nemo non amat, nemóque non audit. Igitur hic facile suadebit auditoribus, quoniam vbi causa passiua actiuæ amore tangitur, semen eius facilè suscipit fructificátque. Hoc in venere lasciua experimur; proportionaliter in omnibus. Quem verò prauum moribus esse sciebamus, vel non audimus, vbi de moribus concionatur, vel si audimus, ridemus, quoniam ipsum quoque ludere velle nobiscum, non seriò dicere, cogitamus. Vita ergò prædicat,

magis quàm vox. Vnde Chrysost. docet, quòd si Apostoli se auaritiæ deditos, aut libidini, aut metui, ostendissent; quamuis miracula longè plura, quàm legimus, fecissent, & sapientiam diuinam in se ostentassent, & lingua angelica locuti fuissent, mundum ad Christi fidem neutiquam conuertere potuissent, nec ad minimam partem eorum quæ fecerunt peruenissent. Et ratio naturalis non deest, quoniam ebriosus sobrietatem non communicat, sicuti nec frigidus calorem. Et conuincitur esse fictor, & deceptor, qui quod docet, non facit. Deceptori autem quis fidem adhibebit? non possumus contraria simul facere, si enim voce Castitatem, & vita Scortationem prædico, neutrum in aliis imprimam. Sæpè tamen illud potius, quod vita doceo, & ad quod inclinatus erat auditor magis. Non tamen ars ista, sed Deus omnem probitatem in omni oratore desiderat: sed illam tantum particulam, de qua orationem habet, vt qui iustitiam suadet, debet esse iustus, qui fortitudinem fortis, qui ieiunium, sobrius saltem in opinione auditorum. Sicut enim confidentia de bono medico sanat ægrotum, vt Auic. ait, sic de bono doctore, virtutem, & assensum in discipulo parit. At cum deficit in agente probitas, de qua loquitur, potest licet ægrè, in patiente ipsam, instrumentalius tamen excitare, si quæ alij probi iusserunt, & fecerunt, proponat. dixeritque de se. *Quæcumque dixero vobis, seruate, & facite, secundum opera mea nolite facere.* Vel sua occultet vitia, non hypocriticè, vt noceat, sed salubriter, vt non noceant. Si enim vera esse quæ dicit, constat auditoribus, saltem ex parte afficientur. Reducitur tandem probitas ad hoc, vt sit bonus, non homo, sed orator: nihilque eorum, quæ ad suadendum spectant, ignoret; habeatque naturalem potentiam ad commouendum, & delectandũ: sciantque auditores ipsum non esse falsum verbis, licet vita. Etenim cum hæreticum aut Macomettanum prædicantem audimus, licet vitam sanctam ostentent, nequaquam acquiescimus, quia non bonum nobis circa doctrinam esse prædicatorem talem iam pridem credebamus.

Bernardus tamen in prædicatore requirit mentis puritatem, qua diuina videat, eisque afficiatur, afficeréque possit, & quo abundat, effundere, vt fons, non vt canalis. Purus autem non est ambitiosus, & auarus, & ignarus de se præsumens. Vide super cant.

DE 2. PRIMALITATE ORATORIS.

Oratoris sapientiam consistere in omnibus scientiis, Rhetoricæ necessariis: maximè autem oportere linguam callere, & grammaticam Auditorum, & mores, & quomodo in omni genere omnium, & ordine, & statu, & indiuiduorum: Eorum descriptio.

ART. III.

SApiens sit orator in omnibus scientiis, quæ ad hanc magiam vocalem spectant.

Præcipuè aut prænoscat mores eorum, quibus sermonem facit, veluti Medicus temperiem ægroti, & viuendi consuetudinem, anni tempus, & locum, in quo degunt, & meditantur.

Secundo verò sciat inuenire ea, quæ ad suadendum apta sunt. Et disponere ita vt effectum sortiantur. Sicut Medicus medicamenta, & præparationem, & applicationem eorum ad hanc ægritudinem congruenter.

Quoad primum linguam auditorum prænoscat, oportet: alioquin eris illis barbarus, vt ait Apostolus: sique mirificentissima dixeris, nihil dixisse ad illos tute cogita. Via enim ad animos eorum lingua est, illis nota: Vnde Apostolis prædicaturis toti orbi, omnibusque Nationibus, donum linguarum omnium primus Rhetor Deus dedit. Oportet, & grammaticè scire dicere: solecismi enim risum auditoribus, & contemptum oratoris, commouent.

Quod, & Romæ S. Clemens in Recog. eueniſſe Barnabæ Apoſtolico concionanti, narrat. Non enim Deus perpolitas linguas Apoſtolorum eſſe voluit: ne ſapientiæ humanæ, & non virtuti Dei, fructus tantus prædicationis adſcriberetur. Quapropter quicumque ad populos ignotæ linguæ concionantur, indigent rationibus validioribus, & oſtenſionibus virtutis mirificæ ad ſuadendum, quæ contemptum, ex ſolecismis natum exuperent, extinguantque: vt qui nunc apud Iaponenſes verbum Chriſtianum annunciant. Perſuadetque ſæpè plus ruſticus ſermo, quàm excultus. Marius in Senatu Romano inconditè loquens, eloquentiam Metelli in petendo conſulatu ſuperauit: vti alias Sempronius. Speron Venetiis doctiſſimè, & elegantiſſimè orans, victus in domum redibat: quoniam Auditores ſe decipi elegantia, & verſutia oratoris putabant. De hoc infrà.

Secùndò mores eorum, quibus loquitur, ſciat generatim, & ſpeciatim. Generatim quidem, Religionem, leges, & conſuetudines, & doctrinas, quibus delectantur: Si enim dixeris, quæ congruunt religioni & legi, & conſuetudini illorum, audiunt facile, amant, & ſuaderi ſe ſinunt. Si contraria, ſtatim, puniunt, fugant, exſibilant. Oportet ergo incipere ex his, quę tibi, & illis, & cunctis hominibus, ſunt communia. Vt quod Deus ſit; quod omnes religiones cõtrariæ nõ poſſunt eſſe veræ. Quod pro ſummo bono omnia facienda ſunt. Ac deinde paulatim oſtendere bonum eſſe, quod ſuades, & verum, &c. Si enim bonum eſſe palam eſt, vt quòd poſt mortem alia nos manet vita, laborabis ſolum ad oſtendendum quod ſit verum.

Statum hominum quoque noſſe neceſſe habes, nam alio modo reputantur bona in aliis ſtatibus. Metiuntur enim bona ab acceſſu, & receſſu maximi boni. Aliud quidem eſt ſummum bonum ſimpliciter, vt Deus; ex quo accipiemus argumenta ad omnes nationes, & ſtatus hominum; aliud eſt ſummum bonum ſecundum quid, videlicet ſecundum ſtatum illum, in quo ſer-

uantur. Et ex hoc plura capiemus argumenta. In ſtatu n. Monarchico; quę ad potentiam, & gloriam faciunt, parabunt nobis ſuadendi occaſionem. In ſtatu populari, vt apud Heluetios, quæcunque faciunt ad libertatem, & abundantiam. In ſtatu Optimatum, vti Venetiis, quæ ad honeſtatem, & iuſtitiam ſpectant, & ad ſeruandum proceres in ſua dignitate. In Oligarchia valet cenſus, & diuitiæ, vti Geneuæ. Ex his ſuadebis facile quæ lucrum pollicentur. Similiter in Papatu argumenta à religione petita, & veneratione dignitatis, plurimum valent; deinde quæ communia cæteris.

Præterea aliter nobilibus, aliter plebeis loqueris; illis honeſta ſuadebunt, & voluptuoſa: militibus fortia, & ſtipendia grandia: plebibus annona & licentia multa.

Præterea alia argumenta ſunt conficienda ad iracundos; alia ad auaros; alia ad ſanctos; alia ad timidos; alia ad caſtos; alia ad commeſſatores. Inſpice quis vitioſus, aut virtuoſus plurimum valet inter auditores, & iuxtà illius affectionem argumenta validiora, & aptiora parabis.

Item Nationum generales mores ſcito, Nam Hiſpani ſunt iactabundi, patientes, obedientes, ceremonioſi, & potius autoritate quam ratione conuincuntur. Galli, licentioſi, mutabiles, hylares, celeres, impatientes, inobedientes, pij. Germani, ſuſpicioſi, laborioſi, linguarum, & doctrinarum mirè titulatarum auidi, & potius ſenſualibus rationibus, quam autoritate, aut argutia ſuperabiles. Galli mediāt inter Germ. & Italos. Itali, arguti, magnanimi, ſolertes, ratione magis quā ſenſu, aut autoritate, domabiles. Verùm omnis ciuitas, & ſtatus proprios quoſdā habet affectus; qui tibi viam ad ſuadendum præparabunt. Hęc autem omnia non niſi Philoſophus peritiſſimus intelliget. Orator autem ex informatione, & exploratione eorum, quibus eſt locuturus, mores præcognoſcet. Phyſionomia ſæpè iuuat: nam aliæ Nationes alia ſunt Phyſionomia vniuersaliter notatæ: poſt modum ſinguli homines propriam habent. Id quod prodeſt prædicatoribus, nationes nouas adeuntibus prænouiſſe: & in Rege, & Magnatibus

post modum inspicere. Tandem studia senum grauia, prudentia, laboris impatientia, timida, scire oportet. Iuuenum leuia, iucunditatis amica, laboris patientia, & multum sperantia. Mediorum media. Sed speciatim loqui de his iam oportet.

Voluntatem humanam à Deo solo physicè immutari. A Cœlo & Medicina, & Stellis dispositiuè: ab Angelis, & à Rhetore persuasiuè, dum proponit obiecta affectionum, quibus anima assentire potest, sed plerumque assentitur: Item dispositiuè, & compatibiliter, communicando proprios affectus per vehementiam orationis & tandem ligando ipsam per rationes: & sic vincit cælum, & omnia magica instrumenta, & mundum.

Art. IV.

HVmanam quidem animam physicè immutare solus potest Deus: Libera enim est, nulliusque subiacet imperio. Angeli autem & oratores alterant voluntatem hominis moraliter, hoc est, suggerendo persuadendóque. Cœlum autem, & Medicina disponendo, & alterando corpus, & humores: vnde sequitur alteratio in spiritu animali, cui mens, à Deo immissa, insidens, passionibus illius communicat. Videmus enim frigidos pigris esse moribus, hebetibusque: calidos iracundos; melancolicos cogitabundos: Quapropter cœlum & pharmaca qualitates immutando, passiones ingenerant, vnde animus afficitur, moueturque ad sic operandum. Potest quidem Anima humana temperamenti & spiritus passiones non sequi, vbi intentissimæ non sunt, veluti in furentibus, & in ebriis: potestque, relicta affectione, sequi rationem. Sicuti interdum rationem spernit, vt passionem sequatur. Et quia homines magis plerumque passioni-

ſionibus reguntur, quam ratione, vt ait S. Thomas: ideóque Aſtrologus ſtellas ipſarum cauſas notando, aliquando diuinãt. Omnes paſſiones qua via excitentur Rhetor ſcire debet: & quoniam non vtitur calore, & frigore, & herbis, & pharmacis, ſicuti cœlum, & Medicus; duæ reſtant viȩ ad mouendum; vna proponendo obiecta cuiuſque paſſionis, vt horribilia ad excitandum timorem, delectabilia ad voluptatem, nouitates ad admirationem, &c. Altera communicando per orationis vehementiam proprium affectum auditoribus. Nam & lacrymanti collacrymantur natura homines; ridenti corrident; iraſcenti coiraſcuntur, & halanti cohalant, & dum ſpuere videmus conſpuimus. Spiritus enim mouetur à ſimili ad conſimilem actum: vt cum videmus nauſea affectos vomere, quaſi vomimus, ſicuti in 2. lib. de Senſu Rerum, & in Phyſiologia docuimus. In his ergo duabus viis tota Rhetorica conſiſtit. Adde tertiam præſtantiorem, ſed rariorem, quæ eſt ratio. Et enim neque obiecta paſſionum, neque communicatio, per ſe valent. Homo enim rationale eſt Animal, ac per ſe non niſi rationibus mouetur. Igitur ſi rationes efficaces propoſueris, ligas animam hominis ita, vt quaſi non poſſit reniti: quamuis ſenſualis paſſio aliorſum inclinet. Quantos videmus libidinibus turpibus deditos, rationibus efficacibus ſic ligari, vt veneri vale dicant; & Ebrioſos, vino? Non modò ergo ſunt paſſiones mutandæ per obiectorum contrariorum repræſentationem, & per affectionis communicationem; Hoc enim eſt ab inferioribus procedere; ſed etiam per rationum efficaciam: quæ mentem ita vincit, vt paſſionibus abrenuntiet. Plus igitur poteſt oratio docta, aptáque in Animam hominis, quàm Medicina, & cælum, & ſtellæ, quȩ ſolum diſponunt corpus immutando: & quàm obiecta, quæ facultates, & affectiones naturales ad ſe trahunt; & quàm ipſe totus Mundus, animæ obiectum: quoniam & rationem addit. Ratio autem eſt ſplendor ſapientiæ diuinæ, omnia gubernantis, & immutantis, vt Salamon dicebat. Hæc ſi benè pernoſcet Rhetor, perfectus erit. Et quia diximus

de vehementia, passionis communicatiua, in præcedentibus, nunc de passionibus, & earum obiectis restat sermo; & tandem de rationibus absoluetur.

DESCRIPTIO OMNIVM AFFEctionum humanarum, & actuum, & obiectorum earundem: vt sciat orator, quomodo, & vnde excitare ipsas queat.

CAP. V. ART. I.

AFfectiones primæ animorum sunt Amor, & odium, ex potentia, & sapientia innatis, vt in physica scripsimus. Amoris obiectum est Bonum; Odij Malum. Ab amore voluptas primò manat, & ab odio dolor. Est enim voluptas, affectus sequens sensum boni coniuncti ipsi potentiæ amatiuæ, cuius actus est fruitio. Dolor è contra est sensus mali coniuncti potentiæ sentienti illud. Eius actus est dolere, & destrui. Item ab Amore manat desiderium, qui est affectio sensus obiecti absentis, in quod potentia tendit. Desideramus enim ea, quibus caremus bona: è contra ab Odio manat Auersatio Abominium, seu pauor qui sensus est mali absentis; à quo refugere cupimus. Item ab amore, & potestate, spes deriuatur, quæ proles est sensus possibilis obiecti absentis, quod expectamus, vel in quod tendimus, quoniam possibile, aut debitum nobis scimus. Timor verò est proles odij, quo ab imminentis mali sensu afficimur, & in illud cogimur tendere, vel expectare; vti cum reus tormentum expectat. Cum verò impossibile nobis sentimus bonum: (Nam & vitatio mali est bonum) tunc nascitur desperatio, quoniam vis parens altera spei deest. E contra ira fit, quia contra malum imminens accendimur ad propulsandum. Si enim succumbere nos putamus; desperamus, deiicimur tristamur. Ita quod tristitia nascitur ex cõsideratione mali, quod vitare diffidimus. Indignatio fit, cum videmus

dignos bono pati malum: & dignos malo bona habere. Misericordia autem cum eisdem malis patientium afficimur, vel affici volumus, aut timemus: nollemusque illos sic pati, aut quia indigni sunt, qui patiantur in persona; aut in natura; qua nobiscum communicant. Nemo enim vellet humanam naturam affligi: quoniam & sua est. Ergo vel quia nolumus. Lætitia ex consideratione boni adepti, vel adipiscendi. Risus autem est dilatatio spirituum ex apprehensione lætitiæ. Nam etiam cum Annibal ridet in afflicto senatu Carthaginensi; ideò ridet quia lætatur se non esse ignauum, sicuti cæteri Senatores, & diuinasse ruinam patriæ, nisi sibi exercitum in Italia refecissent. Rident Apostoli in tormentis, quia lætantur pro summi boni adeptione illa pati. Luctus verò est spirituum constrictio intra cerebrum ob tristium affectum, vel considerationem. Ex quo sequuntur lacrymæ quia collectus spiritus tunicas cerebri premit, aqueumque vaporem inter illas caluariamque collectum exprimit.

Admiratio enim est magnarum rerum robore, vel ingenio, vel raritate, apprehensio, ad quas considerandas se se spiritus colligit, oculos aperit, cilia arcuat, vt res considerandæ intrent. At cum mox indignas tanta attentione sentit, dilatur subitò in risum, eo quod illas nosse aptus fuerit.

Contemptus verò est, quando spiritus non iudicat aliquid sibi posse nocere, aut prodesse: nec proinde ad eius considerationem se colligit, nec afficitur. Declaratque hæc labiorum abiectione, sicuti risum dilatatione: vel aliquo. Nutu: vel in illud ridendo, quod dicitur irrisio.

Est tandem zelus timoris amorisque proles, quando id, quod amamus, aliis dari timemus, ac proinde deesse nobis. At si bonum amatúm, est indeficiens, zelum non parit. Neque enim zelamus, si alij ament Deum, amatum à nobis: si verò mulierculam, aut prædium, zelo æstuamus. At Zelamus pro Dei honore, non in se, sed in nobis, in quibus minui potest. Est ergo Zelotypia idcirco afflictiua. Cum verò non solum timemus, sed scimus

alterum eo frui, quod nos cupimus, odimus: æmulatio si amamus & nos frui, nec fruentem odimus.

At si nec cupimus bonum, nec æmulamur, Abiectio est animi, bonum non cognoscentis, nec sibi conuenire intelligentis.

Fiducia autem, & diffidentia extensiones sunt potestatiui filiæ spei, & Timoris, dum in nobis, & in obiecto inuenimus, aut non inuenimus, vires nanciscendi bonum. Et quidem spes in obiecto fundatur; fiducia in potentia. Patet igitur quomodo ex Amore, & odio omnes passiones manant. Quomodo autem fiant in spiritu Animanti, & vtrum immutent tenuitatem, an calorem, an luciditatem, an primalitates, & quomodo Menti communicentur, in Moralibus, & in Metaphysiologia declarauimus. Nunc quibus artibus, ab Oratore excitentur doceamus: excitatæ enim rapiunt ferè semper voluntatem quocumque volumus.

De Bono & Malo, quatenus obiecta sunt voluntatis, & omnium affectionum humanarum: & Bonum simpliciter esse ipsum Esse, & primum Ens, ergò Deum. Secundum nos, Esse nostrum, nostrique conseruationem. Cætera dici bona vtilia, & honesta, quatenus sunt causæ aut signa, aut dispositiones ad conseruationem; nec conseruari miseros. Vnicuique verò statui hominum reputari Bonum summum suo modo, & vnde Orator repræsentet. Et voluptatem esse sensum boni tantùm; & cur decipiat.

ART. II.

QVoniam affectiones, iam memoratæ, mouentur à propriis singulæ obiectis: cum dictum iam sit, quid sit passio quæque, quodque obiectum eius, nimirùm Bonum & malum, variis modis repræsentatum, vtique ma-

nifestum fecisse videmur, quo pacto excitentur. At quoniam spes victoriç quasi tota in hac representatione consistit, amplius explicare non grauemur. Obiectum voluptatis est Bonum & Malum; siquidem ipsa odit, & amat. Bonum autem simpliciter est esse. Ergo primum, à quo omnis Bonitas. Nobis autem summum Bonum inter intrinseca & naturalia est esse nostrum, sicuti cuilibet rei suum. Vnde nihil magis amamus naturaliter quam semper esse. Et per consequens nihil magis odimus, quàm non esse. Deumque propterea maximè amamus, quia dat nobis esse, & conseruat, & perpetuare potest. Quod qui non sperant, Deum non agnoscunt; veluti bruta, & plantæ. Hinc Religio nobis a natura erga Deum autorem entitatis nostrę, & supernaturalis cultus erga perennitatis mox promissorem, quę charitatem, & fidem, & spem in illud exigit & cultum. Hoc tamen est obiectum Animæ, à Deo immissę. Neque argumenta ex religione desumpta ligant mentes eorum, qui religioni non credunt, & bonum æternum non sperant: aut inferioribus dediti bonis visibilibus, ab his excitari, & moueri se sinunt magis, quàm à religione. Apud sanctos, & in Ecclesia & in sacris conciliis validissima petita: quoniam de animæ tantum bonis perpetuis profitentur Auditores ante omnia curam gerere. Sic & in templis prędicatores talia obiecta proponunt primò; ex secundis verò Bonis secundariò. Nam, ait Dominus, *centuplum accipietis in hoc seculo, & in alio vitam æternam.*

Cum igitur vita æterna, id est conseruatio essentiæ & existentiæ, apud fontem vitæ nunquam defectura sit summum Bonum, quod post in alia vita expectamus, consequens est vt Bonum vitę, pręsentis illud imitetur. Est ergo Bonum summum naturaliter cognitum, vitę conseruatio in Philosophia nostra, in Epicurea est voluptas; in Stoica, virtus; in Peripatetica, scientia, in Romana, gloria, in Macchiauellista, tyrannis: In Platonica, assimilari Deo: quod à Pythagoricis manauit, qui & viuere secundum virtutem, dixerunt. Dantur & principalia bo-

na pro hominum ſtatibus variis. Nam Reſp. popularis ponit ſummum bonum in Libertate; Oligarchia in diuitiis: Optimates in Iuſtitia & Prudentia: Tyranni in dominatu abſoluto. Nationes quoque aliæ aliud magis amant. Vt Hiſpani grauitatem; vltramontani licentiam: Calabri vindictam; Ægyptij diuinationem: Hebræi mercaturam, &c. contraria his verò reputantur maxima, vel principalia mala. Pro cuiuſque ergo moribus obiecta propones affectionum.

Bonum quidem vnicuique ſimpliciter videtur quod pro ſummo habet: alia verò ſunt illi Bona tripliciter, aut quia ſunt cauſa, aut diſpoſitiones, aut ſigna ſummi boni conſequendi: quod in communi vocamus Fœlicitatem, & beatitudinem. Sicuti dicimus medicinam bonam, & medicum bonum reſpectu ſummi boni ab ægroto appetiti, quæ eſt ſanitas: quatenus ſunt cauſæ, medicus principalis, medicina inſtrumentalis. Exercitium verò, & præparationem medicamentorum, dicimus bona, quia ſunt diſpoſitiones ad ſanitatem: vrinam bonam, quia eſt ſignum ſanitatis. Quapropter memento ſemper ex diſpoſitionibus & ſignis illius boni, ad quod affectio ſummè fertur, perſuadere, offerendo tanquam obiecta. Palam eſt enim quod ſummum bonum eſt, quo fruimur. In eo ergo voluptas: quia propter ſe expetibilis eſt. Extera verò quæ nos ad illud bonum cauſaliter, aut diſpoſiſitiuè, aut indicatiuè, aut alio modo dicuntur bona vtilia ab vſibus memoratis. In cunctis tamen eſt voluptas, etiam in Medicina amara, & in bello atroci, quatenus in eis ſanitatem, aut victoriam, & virtutem, & pacem, præſentiſcimus. Verùm iſta media ad bonum acquirendum quædam vocantur vtilia tantum, vti ligo eſt bonus, & foſſio terræ eſt bona ad cultum terræ, vnde fruges colligimus. Quædam verò etiam honeſta vocantur, quoniam non ſolum vſum illum præſtant ad bonum conſequendum, ſed etiam bonum ipſum attingunt; cuiuſmodi ſunt virtutes, & ſcientiæ: quæ nec propter ſe expetendæ ſunt, niſi quatenus ad ſummum bonum nos

perducunt. Errant sanè Stoïci, & Peripatetici. Non enim est beatus virtuosus, & sapiens, sed beato proximus: quoniam bonum indigum aliorum: & quod amitti potest, non verè beat. Sola ergo æternitas est vita beata, vti alibi probauimus, quam per potentiam, & sapientiam, & Amorem, in summo bono acquirimus, & fruimur. Nec conseruatio in inferno est vera conseruatio, sicut nec infamia cõseruatio famæ. Dolor enim destruit, non seruat, dum primalites curtat, cohibétque, videlicet, posse, scire, & velle, ne dilatentur in sua obiecta, veluti in Deo amplificátur ad omnia: (est enim omnia eminenter) ac proinde seruantur. Vide Metaph. Voluptas autem non est beatitudo, sed cum beatitudine Idcircò omnia, quę ad beatitudinem nos manuducunt voluptuosa sunt. At quoniam mala bonis mista sunt in hoc mundo: & quæ delectant, bona sunt in eo quod delectant; sed quia secum afferunt mala, dicuntur mala, non tamen rectè. Nulla enim voluptas physicè sumpta est per se mala: sed per Accidens, & per aliud, voluptas veneris est condimentum mali, & illecebra, vt alios similes nobis faciamus. Voluptas in cibo, & potu, est condimentum, in quo sentimus conseruationem. Voluptas in ruina inimici, est sensus nostræ conseruationis, quoniam perit, qui nos perire procurabat. Decipitur tamen animus, quoniam non omnia bona & mala, quæ in vna quaque latent re, considerat; ideóque sæpè de bonis gaudet, in quibus mala maxima latent, vt de adulterio, homicidio, incendio, furto: sæpéque cõtristatur de malis, in quibus insunt bona maxima, vt de pręceptoris minis, & verberibus, à patre illatis, de amissis pecuniis, quæ ipsum superbum, & ignorantem, & rerũ negligentem faciebant. Quas ob res Rhetoris est nosse quæ mala quibus bonis mista insunt, & metiri, vtrum plura sint bona, & grandiora, an verò mala: & sic suadere, & dissuadere, quæ aggredi putamus, aut operamur.

Voluptatem non esse condistinctam ab vtili, & honesto: sed sensum cuiusque boni, vt dolorem cuiusque mali, secundum quid; simpliciter verò conseruationis, & destructionis.

ART. III.

QVamquàm res omnis per se & suis similibus bona sit: nobis quidem bonum non est, nisi quod nos conseruat Peripatetici distingunt tria bona, vtile & iocundum, & honestum. Mihi autem videtur nullum esse seorsim bonum iocundum in hac vita simpliciter: sed omnis iocunditas, seu voluptas, est sensus seu potius affectio sequens sensum boni vtilis aut honesti. Vtile autem & honestum ducunt nos ad summum bonum, id est, ad æternitatem. At per se iocunditatem non habent, nisi quatenus ad illam vel ad consimile nos ferunt. Non enim lætamur de libris, & de scamnis, & de domibus, nisi quatenus ad conseruationem prǒsunt: nec de scientia, magnanimitate, & fortitudine, nisi quia conseruant nos, id est, corpus & animũ. Iocundamur quidẽ de meretricibus, & ludo, & ocio, & contumelia, & maledicẽtia, quatenus sensus prolis in qua seruamur, ibi inest; vel lucri in ludo; vel spiritus ventilationis, aut refectionis in ocio: in maledicentia verò quatenus aliorum nomen deprimendo, nostrum attollere putamus, aut æmulos deprimere. Et in his deceptio non nulla est. Propterea indiguimus legibus, & instructionibus, & oratoribus, qui mala, & bona perpendant, doceant, suadeant, dehortenturque.

DE

De Quatruplici conſeruatione hominis, in ſe, in filiis, in fama, & in Deo: & vtilibus & honeſtis bonis ad illas. Et de verè bonis maliſque ſecundum Theologos. Et quomodo ex his orator argumentatur.

ART. IV.

EST igitur conſeruatio noſtra quatruplex.

Primò in nobis, qua viuimus; Et ad hanc conſeruationem requiruntur cibus, potus, domicilium, ciuium tutamen, quibus cum mutuò fouemur: Artifices, agricolæ, mercatores, iudices; leges, milites, & quidquid inuenerunt homines, ad conſeruationem vitæ ſpectat.

2. Seruamur in filiis, qui ſimiles nobis, dum morimur, remanentes, noſtram vitam in ſe ſeruant; & ad conſeruationem in filiis, indigemus præfatis bonis, & inſuper mulieribus, vxore, ancillis, ſeruis, &c.

3. Seruamur in fama, & opinione hominum: & ad huiuſmodi conſeruationem vtilia bona ſunt ædes, templa, ſtatuæ, libri, regna, dominatio, beneficia hominibus præſtita; ſicuti quæ nos infama deſtruunt, ſunt maleficia, ſilentium vitæ, abiectio, ſubiectio, &c.

4. Seruamur in Deo poſt hanc vitam. Et ad Deũ conſequendum virtutes morales, & intellectuales, & ſupernaturales, & opera pia nos perducunt: & diuina lex.

Omnia bona, quæ nos in nobis, aut in filiis, aut in fama, conſeruant, vocantur bona vtilia: & in eis eſt iocunditas gratiâ finis. Quæ vero in Deo, honeſta: vt virtutes. Veruntamen nullum vtile bonum adipiſci poſſumus, niſi per virtutem.

Quæ diuiditur in ſapientiam, prudentiam, fortitudinem, ſolertiam, ſobrietatem, liberalitatem, & exercitium. Hæ in nobis nos ſeruant, & ſeruantia procurant. Omnes enim artes à ſolertia deriuantur, vt in Moralibus diximus.

Iterum habemus castitatem, quæ matrimonia fecit, & suam cuique vxorem assignauit, vt in filiis conseruemur.

Iterum iustitiam, & veritatem, quibus seruamur in Rep. vnicuique suum: dando, & neminem fallendo:

Item in Beneficientiam, Gratitudinem, Beneuolentiam, Mansuetudinem, Æquabilitatem, Misericordiam, Æmulationem, Benignitatem, Hilaritatem, & Magnanimitatem, quæ in amicis, & fama potius nos seruant: procurantque vtilia bona huiusmodi conseruationi. Et in cunctis virtutibus iocunditas est purior, & melior quàm in bonis vtilibus. Ipsæ enim viæ sunt ad summum bonum, & cum eo perseuerant: vtilia verò transeunt.

Vitia verò his virtutibus contraria sunt, quæ nos destruunt, aut in nobis, aut in filiis, aut in fama, aut in Deo: & singulis virtutibus duo vitia opponuntur de quibus in moralibus locuti sumus. Inutilia verò aut noxia sunt, quæ vtilibus bonis non communicant. Aut opponuntur. Mors ergò est summum vitæ malum, quoniam destruit esse in se: Deinde amissio filiorum, aut degeneratio: Tertiò infamia, & dedecus; Quartò vitia opposita bonis honorabilibus: deinde mala opposita vtilibus. Hęc secundum eos ad quos loquimur. Verum Chrysost. cum Stoïcis diuidit sic, vt alia sint solum bona, sicut virtutes; alia mala tantùm, vt vitia: alia indifferentia, vt mors, & vita temporalis, diuitiæ filij, & serui, & cætera: Possumus enim prædictis ad bonum, & ad malum vti: & sic indifferentia sunt, quia prodesse, & officere possunt. Virtus autem & vitium nequaquam: sed illa semper bona, hoc semper malum. Per mortem, & paupertatem sancti lucrantur famam, paradisum: Tyranni per vitam, & diuitias, infernum, & infamiam; quia ibi virtus, hic vitium cooperantur. Eandem approbant distinctionem Origenes, Augustinus, & omnes patres; vnde eliciunt argumenta ad suadendum, & dissuadendum validissima. Nec in Christiana religione, & vbicunque æterna expectatur vita, aliter distingui potest. Et leo & elephas mortem propter gloriam elegerunt. Non ergo summum malum est in se mori; sed

putant multi maius esse mortem fama: at à Deo separari, quod mors est animæ apud August. est maximum malorum.

Omnia igitur pręfata bona vtilia & honesta, sunt obiecta voluntatis; vti etiam mala opposita eiusdem nolentis. Vnde Amor, & odium agnoscitur. Ex amore autem & odio omnes passiones manant: Igitur orator quamcunque ex prædictis passionibus excitare volens, obiecta vniuscuiusque considerans, ex prædictis bonis malisq; eliciet argumenta plurima. Omnis enim passio omne bonum, & omnem modum, pro obiecto habet. Sed quæ ex amore bona; quæ ex odio mala. Opposita verò per accidens.

De pulchro, quatenus indicium cuiuscunque boni.

ART. V.

PVlcrum quoque amamus, quatenus signum boni, vel potentiæ, vel sapientiæ, vel amoris, vel alicuius virtutum, vel bonorum vtilium, vel honestorum. Vnde & vulnera in pectore pulcra dicuntur, quatenus sunt signa fortitudinis in vulnerato: in tergo vero turpia dicuntur, quatenus sunt signa fugæ, ac timoris. Dicitur & pulcra terra, quæ fructuum indicium dat nasciturorum; & pulcra vrina, quia signum salutis. Et vnicuique pulchrum apparet, quod proprium bonum illi ostendit, vt canis, & serua amasiæ, pulchra sunt amanti. Pulcra est membrorum proportio, viuidus color, & tenera caro, quatenus indicia sunt artis mirificæ, qua formatum est corpus: nam,& pulcram vestem dicimus, quæ artis indicium est, qua seruamur: pulcrior statua lapidea, Policleti opus summi artificis, quam aurea Paxonæ imperiti. Illa enim artem, ista imperitiam ostendit. Femina pulchra quia seruat prolem melius, vti apparet ex indiciis. Et bellum, quia in eo manifestatur virtus humana; cum tamen ob mortes sit turpe. Et illud poëtæ verum est, *pulcram quærunt per vulnera mortem*; quia mors illa fortitudinis est signum. Qui ergo orat,

potest quod turpe videtur vna ex causa, ostendere quod sit pulcrum ex altera, & è conuerso. Sic etiam de malo & bono, orabit. Pulcriora tamen erunt, quæ maius bonum indicabunt, &c.

APPENDIX.

DAtur & bonum vtile necessarium, sine quo finem consequi non possumus: vt panis & mulier ad vitam speciei, & indiuidui: datur etiam non necessarium, sine quo possumus, vt sine piscibus & meretricibus Rempub. seruare.

DE INVENTIONE MODORVM argumentandi ex præfatis obiectis voluntatis; & affectionum. Locique in Dialectica solum enumerantur.

CAP. VI. ART. I.

EX prædictis facile suadebimus, si argumenta inuenire non ignoramus. Igitur de inuentione hic debetur sermo. Inuenimus argumenta, si locos de quibus in præcedenti libro tertio Dialecticæ loquebamur, memoria conseruauit. Deducebamus argumenta à tribus locis principalibus; videl. à causis, ab effectibus, & à signo. Causas diuisimus in agentem, idealem, formalem, materialem, & finalem, & perfectionalem, & omnes subdiuisimus in proximas, remotas, & remotissimas. Et in causas, & concausas, & in totales, & partiales. Et singula causarum genera diuisimus, de quibus iterum dicere non est opus. Similiter de effectibus locuti sumus, sicuti de causis. Et alios adæquatos, alios inadæquatos, posuimus. Et alios extra causam, alios in causa remanentes. A signo deinde argumenta distinximus multipliciter. Sed præcipuè quædam sunt ab æqui-

pollentia, vt definitio æquipollenter definitum indicat, & descriptio descriptum. Etiam æquipollentiæ propositionum Modalium, & de Inesse singulæ multas probationes habent Diuisio æquipollenter quoque probat. Alij loci per signum sunt à simili, vel in substantia, vel in qualitate, vel in quantitate, vel in forma, vel in operatione, vel in actione, vel in passione, vel in facultate, vel in circumstantiis, vel in contrarietate, vel in similitudine, quæ vocatur consimilitudinitas, & proportio. Quæ autem à genere sumuntur, & à proprio, & ab Analogo, per similitudinem valent. A Coniugatis est quasi identitatis ratio. A contrariis valet, quatenus aliquo pacto similia, & proportionalia sunt, & argumentamur idem & oppositum. Diximus de singulis modis oppositionũ in omni genere; quæ si quis ritè expendat, exuberabit argumentorum vi. A magis & minus per comparationem, sicuti & à simili alios notauimus locos. Locus ab exemplo plurimum valet in Rhet. Sunt alij loci à Testimonio, de quibus plura diximus in eodem libro. At in Iudicialibus orationibus adducuntur insuper, fama, corpus delicti, confessio per tormentum expressa, & scripturæ, & indicia, seu præsumptiones, quæ tamen à locis præfatis vim habent. A loco, & à tempore, & à circumstantiis adhuc argumentamur sine fine. Non tamen omnes locos in omni actione orator, expendet, sed qui aptiores proposito sunt negocio. Addenda est parabola, & allegoria, quæ à simili tanquam à signo proficiscuntur. Vide Log. lib. 3. cap. vltimum, in quo Topica tractauimus.

De Dispositione argumentorum dictum esse in 3. Dialecticæ; & quas addunt Rhetores, ab illis non distingui.

ART. II.

HIS locis inspectis disponere Orator argumenta ex eis necesse habet. Dispositio autem est locatio in forma argumentorum descripta nobis in 3. lib. totum vbi *Syllogismorum, Enthimematum*, *Inductionis*, & *consequentiæ*, & *Exempli*, & *Redargutionis* dispositiones demonstrauimus. Hic ergo repetere frustrà esset. Addunt nonnulli *Epicherema*, qui tamen syllogismus est, cuius maior & minor cum probationibus præmittuntur; ex quibus infertur sera, & fortis conclusio. Aliquando verò in vna propositione totæ tres continentur. Vt, *Nunquid frustra Iob diues timet Deum?* Vide explicationem in pri. cap.

Vtuntur & *Sorite*, qui coaceruatas plures consequentias simul continet, & de prima ad vltimam infertur conclusio. De qua & nos diximus.

Habent & *Dilemma* Græci, quo quocumque dato ex duobus, aut pluribus, sequitur confutatio, vel approbatio. Vocatúrque syllogismus cornutus. Vt, *siue bonus, siue malus debet qui in carcere est visitari: si bonus vt ipsum consolemur: Si malus vt ad bonum conuertamus.* Sed in singulis cornibus latet syllogismus vnus. Nam si mali sunt conuertendi, hic est malus, qui in carcere. Ergo conuertendus. Sic de reliquo. Valet ad respondendum contra potentissimè. Patent iam igitur, & inuentiones argumentorum, & argumentandi formæ per ea, quæ prius dicta sunt. Nunc ad exempla transeamus.

QVAS PASSIONES, EX QVIBVS locis argumentandi, & quibus rationibus in vnaquaque actione Orator excitare debet.

CAP. VII. Art. I.

ORationum aliæ immediatè ſuadent, aut diſſuadent; ſicuti in conſultationibus, vt vtrum bellum ſit inferendum Turcis, an non? Vtrum ſit ieiunandum in Aduentu, vel non? vtrum expediat fieri Monacum, &c. vtrum latro ſit capite plectendus, an exilio? vtrum ſit ceſſandum à lugendo mortuo, vel amplius lugendum? & in his tribus, quæ cauſam deliberatiuam, & iudicialem, & conſolatoriam concernunt, procedemus argumentando à cauſa finali, vt plurimum, & à conſimilibus. Aliæ verò non immediatè hortantur, & dehortantur, ſed mediatè: de ſe enim media concernunt, ſicuti in laudatione, & vituperatione virturutum, & vitiorum, & hominum, & ciuitatum, & geſtorum. Similiter in gratiarum actione, & in maledictione. Item in accuſatione, & defenſione reorum. Et in his excitamus amorem, & odium. Sicuti in primis deſiderium, ſpem, timorem, horrorem, & deſperationem, vt plurimum. Sed contingit omnes paſſiones in omni actione ſuſcitari. In his arguimus vt plurimum à cauſa actiua, & materiali, & ab effectibus, & a conſimilibus. Patet ergò quomodo in iudiciali alia eſt actio defendere, & accuſare; alia verò ad abſolutionem, & condemnationem ſuaſio.

In declaratoria vt plurimum à ſignis procedemus: & omne genus dicẽdi coaceruamus, prout ſcriptura ſuggerit.

Si igitur qui hortatur eſt dignitatis magnæ, loquetur grauiter, & liberè. Si humilis, ſubmiſſius & argutius. Si ad quos loquitur, ſunt ſapientes, breuiter: ſi idiotæ, fuſiùs. Et illos ab honeſto bono; hos ab vtili expiſcabitur. Vtroſque tamen à laudibus, quemque ſuis. Ne enim illa indignus laude videatur, præterita, vel futura, tibi aſſentietur.

De eodem in necessariis, & possibilibus, & oppositis, vnde suadeas.

ART. II.

DEinde considera, vtrum necessarium sit factu quod suades, an non: si primum, aut est manifesta necessitas, vel non. Si manifesta, incipies à possibili, & facili, vel ab impossibili, & difficili. Et excitabis spem in hortatione; & desperationem in dehortando. Si verò non manifestum; ostendes esse necessarium. Sit deliberatio, v. g. vtrum Arist. sit è Scholis Christianis eliminandus, an non. Negatiua se tuetur scolasticorum commendatione doctorum, qui Arist. exponunt, & eo in Theologia vtuntur. Affirmatiua est incerta. Hic incipies à necessarij definitione, quæ est sua æquipollens. Impossibile est Christianismum conuenire cum dogmate Aristotelis: ergo, &c. Primam probabis cum M. Cano in 9. de locis ab effectu, quoniam est officina Macchiauellistarum, & Atheïstarũ. Item à causa, quia contradicit Christianismo in doctrina de Anima: & de mundi creatione; & Dei prouidentia. Contraria autem non possunt esse simul, sed se mutuò destruunt. Item dilemmate. Nam siue verè, siue dubiè ita asserat, vt nos à malo, vel metu soluat, est ablegandus. Item ab exemplari. Nam Athenæ quasi impium Aristotelem damnarunt. Et Ierosolymitæ Machabæi introductum ab Antiocho Gymnasium eius expulerunt. Et Christiana Synodus Parisiensis anno 1204. libros Aristot. condemnauit, combussit & prohibuit. Et damnationem illam Gregor. 9. Papa confirmauit. Et mox amplificabis vndique argumenta: hinc excitabis timorem ab Aristotelis doctrina, ne fides corruat Catholica & à pulcro, quoniam virtutis Christianæ est non indigere doctrina pagana: cui turpe est seruire. Quod autem turpe est, necessariò auferendum est.

Deinde solues argumenta contraria, rationes adducendo,

cendo, cur Arist. steterit, quamuis à prioribus expulsus: sicut zizania cũ frumento & Iebuseus in medio Israëlitarũ.

Si verò constat de necessitate, sed videtur impos. aut re vera est, tunc non est consilium. Quis enim consulat volare in cœlum alis mentitis? Si non constat; sed difficultas, videtur impossibilitas; tunc erige spem, spei obiectum bonum possibile proponendo; vt vtrum Turcæ possunt superari à Christianis? Sic probatur à signo; quoniam apud Naupactum superati sunt. Item à causa instrumentali; quoniam arma & nauigia Christianorum sunt meliora. Item ab actiua, quia milites fortiores; à remota quia Deus prima causa est pro Christianis: & à propinqua, quia iustitia fauet. Item à tempore, quia præliatur cum Moscouita, nec potest duobus bellis simul sufficere. Item à loco quoniam distat locus prælij à sede regni, vnde succursus. A religione autem validum sumitur argumentum: quia Christianis regnum super omnes gentes promittitur in Prophetis, cum à peccatis destiterimus. Hoc argumentum prostrauit Gothos in Dacia. Et ingenerat fiduciam. Spes enim sine fiducia parum prodest. Itidem à contrario, pro impossibilitate arguimus.

De eisdem in Dubio; Vtrum honestum, an non.

Art. III.

SI verò constat esse possibile aliquid, non autem etiam an expediat, & liceat. Vt vtrum liceat Hispanis. Americanos subiugare, bonis spoliare, &c. Et in hoc est summa consiliorum. Tunc argue à causa finali. Omne bonum est expediens, & licet. Hispanos autem depopulari Americanos; bonum est, ergo licet. Probatur, quod sit bonum. Primo à bono simpliciter, qui est Deus, cui Americani sunt Hostes (hoc valet in senatu Hispanico) item ab honesto, quoniam Iustum est, meliores dominari, & barbariem profligare. Item magnanimum, & pium, &c. & à cunctis virtutibus, arguere potes. Beneficientia

est reuocare barbaros ad humanitatem, etiam vi, vti quemadmodum furentes sanare. Immò Misericordia est, &c. Item ab vtili: quoniam aurum, & argentum, & Animalia, & gemmas, & Mancipia, & quęcumque ad vsum hominum spectant, ex America abundanter habebimus. Quod autem vtile est, sæpè honestum est. Nam, & Alexander non est latro, dum regiones subiugat: qui verò pecuniolam aufert, latro est: magnum vtile semper secum adducit honestatem. Pulchrùm est pluribus mundi partibus imperare, & ditione cingere mundum. Pulcrum autem bonum est, aut boni signum; ergo virtutis nostræ, &c. Item à Zelo quoniam Batavi hostes nostri, quod nos facere desistimus, aggredientur. Et amplificatio eorum erit nostra diminutio.

Item ab admiratione, & à cæteris passionibus, earum obiecta proponendo, facilè, oratio ista contexitur.

E contra quis dissuadet. Deus vult seruos spontè non vi subiectos. Item iniustum est indemnatos à iudice, punire.

Item maleficientia est, vita priuare, & filiis, & facultatibus eos, qui te bello non lacesserunt. Item latrocinium magnum est paruo fœdius. Item turpe est iniustè dominari: & non virtutis, sed ambitionis, signum, & auaritiæ. Item formidabilior est pœna æterna, &c. Et sic excitabis passiones contrarias, à contrariis definitionibus, & signis, & causis, & effectibus, & exemplis. Causa enim bonorum bona, & effectus bonus bonas causas indicat, &c.

Item in dubio; vtile ne sit, an non.

ART. IV.

SI autem consultatio controuertitur, vtrum aliquid sit vtile, quando constat esse necesse & possibile, & honestum. Vt vtrum sit vtile in quadragesima & vigiliis ieiunare. Tunc arguas ab omni vtili. Est enim vtile ad conseruationẽ in Deo: quæ est aliis conseruationibus præponenda. Item ad animæ virtutes: quoniam à fumis ciborũ non infestata, melius sapit, & considerat. Item à corporis vtilitate, vel ex parte: quoniam sanitas melius per tempe-rantiam conseruatur. Et adduces exempla Hilarionis, Antonii, Pauli, & Romualdi, semper ieiunantium; qui centesimum annum transilierunt: Autoritatem Hippocratis. Et probabis à signis, & causis, & effectibus. Deinde excitabis ieiunij amorem laudando eius effectus, & Heliam, & Moysem per ieiunium meritos Dei amicitiam. Probabis à necessario, quoniam est præceptum. Necess. autem vtil. est. A pulchro, quoniam sic places Angelis, & Deo. vt Basil. inquit: ab honesto, &c.

Item à contrario ebriosos vituperando, & similes bestiis ostendendo. Et confutando falsam voluptatem, & timorem non ieiunantium. Argues à tempore veris, quando abundant humores, purgandos esse per ieiunium, &c. Argumenta à circumstantiis sunt multa: nec repetam, cum sint luculenter posita in Tractatu de Prædicam. Cap. vltimo.

De Laudandi vituperandique ratione secundum locos vniuersaliter. Et specialiter de laude, & vituperio hominis, ciuitatis, Nationis, virtutum, vitiorum, & Actionum, & gestorum.

ART. V.

IN laudatione & vituperatione proponemus obiecta passionum, quæ præsens respiciunt, non quæ futurum, vti in consultatione dicebamus. Ergo obiecta lætitiæ, gaudij, voluptatis, amoris, admirationis, excitabimus; & è contra tristitiæ, doloris, inuidiæ, contemptus, & risus. Argumenta sumemus à causis, ab effectibus, à circumstantiis, & à signis: non tamen mendacia manifesta dicemus, ne illudere videamur: sed defectus in laudem conuertemus, aut tacebimus: sicuti è contra vitia pro virtutibus sumuntur. Cum enim sit virtus inter extrema vitia, facile est liberalem vocare prodigum: Et auarum liberalem, & parcum: audacem fortem: Ex T. Liuio, fortem; timidum: sicuti Minutius Fabij maximi virtutes in proxima vitia vertebat. Si laudamus hominem, aut ciuitatem, aut nationem; incipiemus à patria, quoniam si nobilis est patria, nobilem ciuem fecit. Si ignobilis, laus erit illi dare nobilitatem, vt Cicero Arpinatibus, non accipere. Item à parentibus nobilibus, & virtuosis laudatur Ioannes Baptista apud S. Ambros. Si verò sint ignobiles, dicemus à se, non ab aliis sortitum esse, virtutem, veluti Sfortia, & Arsaces, & Tamerlanus. Item si hinc, & illinc nobilitas, & ignobilitas pugnant, laudando pones illud; Vt, *Saluete volucrum filiæ Æquorum*: In vituperando, istud. *Saluete mulæ filiæ asinorum.* Mox laudamus à tempore, quo vixit; si bonum est, contestatur. Si malum, fauet, quia *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, vt ait Ecclesiasticus mirus laudator. Considera opes, amicos, & inimicos, & hinc argumenta trahe in bonum, vel in malum.

Deinde laudatur quis ab corporis dotibus. Quæ ſunt vires, agilitas, pulchritudo, ſanitas. Et ſi fauerint actioni, aſſume in laudem quaſi pertranſeundo, quoniam iſta non ſunt bona magna, ſed vtilia ex parte, niſi in fœminis. Si non adſint laus & ab abſentia petitur, quoniam non viribus, & corporeis bonis fretus, Magnifica fecit, vti Claudius cæcus ſenatum ab errore reuocat; & infirma corporis S. Pauli præſentia, vt ipſe ait, non derogauit virtutum maieſtati. Si vituperas, cape iſta in malam partem, quoniam à Deo poſita in illo infirmitas, & deformitas, vt vitia latentia noſcerentur, vti S. Chryſoſt. ait de quibuſdam cœcis, & claudis mendicantibus: à quibus Deus abſtulit ea membra vtiliter, quibus abuſuri erant. Et à veſtitu, & inceſſu, & à voce, multa ſumes argumenta.

Deinde ad bona animi deſcendes, & virtutes intellectuales, moraléſque conſiderabis: quarum quas habet laudabis, & laudatis virtutibus virtuoſum per locum à cõiugatis extolles. Vitia ſilebis; vel palliabis: contrarium facies in vituperatione. Virtutes à definitione probabis in laudato, & excitabis amorem. Item ab effectibus, ſi eas oſtendit in diſputationibus, in libris, in expeditionibus militaribus, in beneficiis erga Remp. & amicos, aut in Religione: & tunc lætitiam excitabis, vteriſque ornata elocutione, & amplificatione, & comparatione aliorum virtuoſorum, vt mirificè Chryſoſt. de laudibus S. Pauli. Si verò nondum oſtendit fructus virtutum, excita ſpem ab eo, quod poteſt patriæ, & Mundo, prodeſſe multum. Si verò laudes iam mortuum hominem ex factis, & quæ facere potuiſſet, aut decreuiſſet, niſi fortuna obſtitiſſet, laudabis. Præcipuè autẽ finem ipſum, ſi in Deo, ſi cauſa patriæ ſi naturaliter in ſenectute bona, ſi violenter propter religionem. Et de his exempla congeres, & conglobabis laudes, excitabis amorem, & admirationem.

Ciuitates, & Nationes ſimiliter laudantur, aut vituperantur, ab origine, à fundatoribus, ab opibus, ab aere, aquis, & frugibus, & peculio; à magnitudine, a viris bonis, vel malis. A virtutum cultu, vel vitiorum. à libertate

perpetua, vt Venetiæ, à gestis strenuis, & prudentibus in bello, & pace, à Religione, à Dei commendatione. Quibus laudibus, Roma & Ierusalem super omnes Nationes abundant. Sic considera causas materiales plerumque. Adde ab oppositis, & à magis, & minus, multiplicia argumenta.

Virtus laudatur à causa vniuersali effectiua potissima, quoniam est Dei proles. Christus est virtus Dei, & omnis virtus, eius est participatio, vt solet Origenes dicere. Deinde à causa proxima, quæ sunt sapientia. Omnis enim virtus quædam sapientia est. Si laudas virtutem particularem, vti iustitiam transi ad generalem quæ est virtus. Et argumenta laudantia virtutem, laudent & iustitiam. Deinde à subiecto, quia inhęret nobilissimis, & diuinis. Deinde à finali, quoniam vt nos deificet. Deinde ab effectibus: quoniam seruat animam, & corpus, & Remp. & vtilia bona, & natos, & seruos; & honorem parit & laudem, & memoriam nostri apud posteros. Ergo quatrupliciter nos conseruat. Amorem eius ex his excitabis. Possibilitatem habendi ab exemplo aliorum docebis, vt spem erigas, & quantum virtutibus fulserit Paulus, & Moyses, & quoad Politicas ipsi Gentiles, Camillus, Scipio, Cæsar; & quia Deus non iubet impossibilia. Confirmabis; admiraberis: & lætificabis Auditores. Virtutem autem vituperij incapacem dices, cum omnes res vtrique parti sint subiectæ. Mox vitia ex contrariis causis, & effectibus, quia à Diabolo; quia malum est destructiuumque quatruplicis conseruationis. Quia turpes facit homines, & diabolicos, vt Iudam, vt Simonem, vt Neronem, & Scyllã, vt Charibdim. Licet & quasi monstrum describere vitium, vt Chrysost. auaritiam, & alterum Diabolum dicere, vti ebrium demoniaco comparat; & iram demonoplexiæ. Adde autoritates, & mirifica dicta. In hoc negotio nemo Chrysostomum æquauit Locos cęteros percurres, & mirificabis. Gesta hominum laudãtur sicut virtutes, quarum sunt proles, aut sicut vitia, vituperantur si mala sunt, nocentia quatruplici conseruationi per se; item exemplo

deprauant alios. Sunt destructiua bonorum vtilium, & honestorum.

De locis, & affectionibus, & ratione Rhetorica in gratiarum actione, & execratione.

ART. VI.

GRatiarum actio semper est propter beneficium; igitur est effectus gratitudinis, quæ rependit verbo, quod non potest factis. Igitur sumes argumenta laudum à magnitudine virtutis, quę non muneribus, sed honoribus, sicuti Deus compensatur. Quod beneficentia facit homines Deo similes: quod seruat quatrupliciter. Et in genere lauda, quod in specie est. Deinde ad beneficium particulare descende. Magnifica illud ab effectu, quia nos conseruauit, aut lætificauit, aut honorauit. Lauda ab exemplo magnorum virorum per comparationem, non tamen excedat nimis. Neque Ducem vnius ciuitatis pro vno facto mirifico, æquabis Cæsari, nec super Alexandrum extolles. nec qui epigramma vnum pangit, maior fiet Virgilio. Nec qui Astrolabium, vocabitur Archimedis præceptor. In quo valde peccant Poëtę moderni: putantes se laudare cum maxima dicunt, non cum vera, aut saltem vero similia. Videntur quidem aliis ludere, laudatus verò si quid sapit, se contemni dicet, & irrideri. Non prudenter Amicus noster, homines stellis nomen, & gloriam dare dixit. Nec qui mulieres sole speciosiores vocat. Arbitror quasi impias esse voces has, ne dum ineptas. Deinde obligationem explicabis, quam tu, vel genus humanum, vel patria ex beneficio erga benefactores, contraxerunt. Offer famam inclitam pro remuneratione. Precare à Deo fœlicitatem. Exaggera factum à tempore, & loco, & periculo, & à fortitudine benefactoris, & timore aliorum. Quod præter spem. Et ab omni virtute potest accersiri magnificatio, & per omnes locos.

In execratoria contrarium facies; mala enumerabis

à maleficio prodeuntia; Diabolicis compârabis; mala imprecaberis. Iram concitabis, &c. Qui illum imitantur, execraberis; & dehortaberis ab huiuſmodi operibus cunctos: & exclamabis, &c.

Exemplum conſolatoriæ ex eiſdem: & hortatoriæ ad luctum.

ART. VII.

COnſolatoria in morte, vel bonorum amiſſione, vel exercitus perditione, incipiet luctuosè. Fateberis eſſe mâlum. Condolebis. Mox non tantum, quantum extimatur. Tum non eſſe lugendum, quia non prodeſt, ſed conſulendum. Allega communia mala, cunctis hominibus. Et quod nil eſt malum, niſi vitium. Et quod poſſumus vti calamitate in bonum. Erige ſpem ab exemplo aliorum; qui ex malis reſplenduerunt. Et infortunium magnum eſſe carere infortuniis. Dic variabilia eſſe omnia, vt poſt mala oportere bona ſuccedere, vt dies nocti, hyemi æſtus. Solare ex Dei patris amore, & in illo ſperare ſuade. Si quis defunctus eſt, dic mutaſſe vitam. In Deo omnia viuunt. Si ſanctè mortuus eſt, aut pro virtute gratulandum. Si vitiosè non condolendum, licet dolendum ſit, vel penitere in fine potuiſſe, ſuſpicandum, vt Dantes in Manfredo. Adde lætiora. Non tamen muſicam, quia importuna eſt in luctu, ait Sapiens. Nec vinum, quia hoc Medici eſt. Sed per parabolas, aut diſputationes, aut curioſas propoſitiones, auoca à cogitatu mœſto mœrentes.

Interdum, & per alium timorem de propria ſalute. Et quia nihil prodeſt in hac vita, nec in altera ploratus, ſed virtus. Fortitudo autem virtus eſt, quæ non luctu, ſed virilitate malis occurrit. Incuties Dei timorem, & amorem.

Hortatoria ad luctum ſolet fieri ob cauſas oppoſitas; interdum quoniam iuuat dolere, & condolere, vt in paſſione Christi ſolemus: & Ambroſius in oratione funebri de obitu

obitu Theodosij. Obiecta dolorifica proponemus, & odij, & mœroris, quæ præsentialiter agitant. Obiecta timoris nequaquam, quoniam futura sunt, & planctum non mouent, nisi quatenus præsentialiter præsentatur considerationi. Dicemus lugendum, quia tanta mala adsunt, & imminent. Mala autem sunt quæcunque destruunt quatruplicem memoratam conseruationem; vel illa bona, quibus acquiritur conseruatio. Sunt autem vtilia, & honesta. Propterea in casu atroci ex dictis procedemus. In morte verò addemus laudem defuncti, ex virtutibus, & gestis: dolebimus nos priuatos illis. Addemus, quia erat tutela amicorum, Reip. ornamentum, &c. proponemus mortes magnorum virorum, vnde mala subsequuta sunt, & hoc idem hinc expectari. Amplificabimus exemplo lugentium; si luxit Dauid filium impium; quantò magis nos virum bonum? dicemus elementa compati, & stellas. Si qua eclypsis præcessit aut cometes, inde planctum debitum excitabimus. Et quia voluptas est in lacrymis pro Amico, vt ille ait, *Sic fatus cunctis lacrymarum immisit amorem.* Ornatis, & luctisonantibus verbis hanc voluptatem excitabimus: præsertim bene facta eius memorando: & planctum matris, sororum, discipulorum, destitutionem filiorum: quos ad luctum inuocabimus. Et vltima verba defuncti addemus, & laudes. Quibus si caremus, fingemus verò similia dixisse, vt Dantes cum comitis Hugolini, & natorum in carcere, fame necatorum, querelas fingit, & Virgil. mirificè mortem Cæsaris deflet per amplificatione ab ecclipsi, & stella. *Impiaque æternam timuerunt secula noctem.* Nos quoque in 3. Oratione de D. Thoma. Alloquemur defunctum, & viuentes, & debitum nostrum lacrymis persoluemus. Et in genere miserias humanas considerabimus. Hæc valet, quoniam vnus est mundus, & ex eisdem causis, ideo Metaphoræ, & Prosopopeiæ non sunt inanes, neque omninò falsæ.

Exempla in Accusationis, & Defensionis processu oratorio, ex locis, & Affectibus, &c.

Art. VIII.

IN accusatione & defensione, aut constat de delicto commisso, aut non. Si primum dupliciter esse potest, vel quia constat delictum esse patratum, non autem de delinquente: sed de hoc est Quæstio. Si primum atrocitatem delicti accusator augebit., & ex causa, quæ est vitiũ, Reip. noxium, & ex effectibus, ne reus vel alij eius exemplo delinquant, inquirendum, & puniendum, suadebimus. Et exempla adducemus vndecumque præsertim ex nostris: & ex periculo, timorem, & iram excitabimus, quæ malis obuiam it: neminemque dicemus tutum in sua domo, si impunita delicta manebunt. Defensor verò alleuiabit ex ignorantia, vel necessitate, dicens fuisse peccatum, vel fragilitate, non ex vitio. Nec posse ex occulto malo, iterum alia prodire. Qui enim non audet palam, non iterum peccabit. Item hæc iudicio diuino reseruari. Neque enim Iudas à Christo est proditus occultè machinans, vt ait Chrysost. & August.

Si constat de delicto, & de delinquente, similiter procedet accusator; & defensor., & addet quisque merita, & demerita delinquentis in Remp. consuetudinem vitæ: & vtrum sit primum delictum. Et pœnam augebimus, vel diminuemus ex his. Alioquin absoluemus, si excellens est in arte, vt Dedalus. Ille iram, iste misericordiam excitabit. & prædicta misericordiam inuenisse, vtilissimam mortalibus, qua Deus oblectatus prædictos reos, & omnes mines non fulminat, &c. Adduntur, vtrum casu, vel de industria; vtrum solus, an cum aliis; vtrum semel, an sæpè; vtrum in Remp. aut in principem, aut in parentem, aut in priuatos amicos, vel inimicos, deliquerit. Hæc enim omnia aut alleuiant, aut aggrauant.

Si verò constat delictum, & dubitatur de delinquente,

tunc est quæstio, vtrum Petrus incendit messes Fabij, an non. Et in hoc procedemus à testimonio, à tormentis, & à fama, & ab indiciis. Hæc quæstio pertinet ad Iurisconsultos, quoniam examen continet. Præuia tamen est ad persuasionem mali puniendi, & relaxandi.

Testimonia Scripturarum, & Doctorum quo pacto examinentur, diximus in Topicis. Testes autem delicti aliter examinantur. Nam de iure naturæ vniuersaliter tres primalitates, aut duo omne fide digni, & contestes. Si singulares non valent, nisi ad indicium, nec si contestes, & non digni, neque ex dicto.

Eximuntur mulieres, pueri, & amentes ob fragilitatem. Item infames, complices; aliàs multati: & inimici, & amici eorum: & spontanei: & pauperes inuoluntarii: & serui; & viles: & qui seipsos dehonestant; aut periculis certis exponunt, vt comici; mimi: funambuli: infideles. faciunt tamen indicium magis, aut minus.

Infamia est probatio faciens suspitionem ex decem testibus, ex vicinia constans, qui de Auditu, vel rumore pronunciant.

Tormentum est Testis sufficiens accusatori, præsertim ex ore Rei. Sed ex solo tormento non conuincitur, quoniam dolor sæpissimè falsus est testis.

Confessio quoque debet conuenire cum testibus & accusatore, esse clara, confirmata extra torturam: non retractata: & possibilia dicens; quæ si desint; facit pro reo: quoniam ex vi doloris præsumitur extorta, non ex veritate facti. Multum interest, an sit accusatus, an denunciatus; & num præcesserit correctio fraterna. Non enim punitur, nisi per legitimam accusationem. Quo in negotio leges patrias consule. Nec propter ista erit verum delictũ, sed humano modo certum.

Hæc addita his, quæ de accusatione, & defensione diximus, conficient orationem ad vtramque partem.

Sed cum deest corpus delicti semper pro Reo stabis.

Alia autem controuersia magis Rhetorica est, quoniam de re contenditur, vtrum sit laudabilis an vituperabilis:

nec conſtat vtrum bona, vel mala; vt an Cæſar fuerit Tyrannus, ſicuti Cicero, & Brutus dicunt: an princeps, vti Dantes, & alij ſentiunt: Hinc procedens à Tyrannidis definitione, ab introductione, ab effectibus, & proprietatibus. Vt ſi per vim intrauit; ſi dominatur pro ſui gloria, & vtilitate, an pro Reip. bono. Si armat ſe exteris cuſtodibus, an ciuibus. Si conſilio Senatus, an proprio affectu iudicat; compara ipſum aliis Tyrannis, & Regibus, & ad vtramque partem orabis. Sed ius diuinum, & naturale dirimet litem; & quæ per ſe, & quæ per accidens circumſtantiæ adſunt.

De Oratione expoſitoria præſertim Euangeliorum. Et de modo procedendi in concione ad Catholicos, & Hæreticos, & Gentiles, ex locis, &c.

ART. IX.

IN oratione expoſitoria diſpoſitio conſideranda eſt. Cætera per ſe patent. Immò ipſa lectio Euãgelica, vel Scripturæ, per ſe ſubminiſtrat dicenda, vt mirum ſit quomodo memoria locali Prædicatores indigent: & non ſunt omnes fructuoſi, vti Chryſoſtomus & Ambroſ. ſed reuerà non continget illis, niſi ſint inflammati illo ſpiritu, & virtutibus illis affluant, quas prædicant. Vnde neceſſe eſt, quod vehementia communicatiua deſit, vel ſit fictitia, infructuoſa: vel quia hoc onus aſſumunt ad ſui gloriam, vel lucrum, & ſolum pruriunt auribus. Qui ergò inflammatus eſt, ſic procedat. Pro exordio proponat totam literam Euangelij in periphraſim redactam. Et deinde in quo themate ſe ſermocinaturum decreuit. Si de miraculis. Si de virtute. Si de educatione; de confeſſione, de ieiunio. Vel ſolum de textus expoſitione. Vbi materia ſubiicitur, de illa tractabit, vt diximus ſupra de laude illius, & vituperio oppoſiti vitij, & per omnes locos diſcurret aptiores tali materiæ. Probabitque ſemper propoſitiones per autoritatem textus, vel aliunde ex S. Scriptura. Et per Docto-

res optimos; interdum per Concilia: ſicuti diximus in Topicis. poëtas, & oratores, & philoſophos pertranſeundo adducet. Nec de phyſicis tractabit, aut de Mathematicis propoſitionibus, niſi parcè, prout ſubiectæ rei neceſſe eſt: alioquin erit oſtentatio. Qua materia bene tractata eliciet laudes bonorum, & reprehenſiones peccantium. Et ibi amplificabit, prout ſupra diximus, & affectus excitabit. Et animos ad Deum eleuabit. Exempla patent à ſanctis. Et eos vocabit. Aliquando etiam elementa. *Audite cœli, & auribus percipe, terra;* ſicuti Iſaias, & Moyſes. Nec quidem vllibi Rhetoricam efficaciter ſuaſiuam inuenies magis quam in ſacra Scriptura. Quod etiam Picus conſiderauit. Fugiat ornatum verborum, vti peſtem, mediocri contentus ſtylo; quoniam infructuoſus eſſet, & ſæpè noxius. Calix enim iſte Babylònis eſt, teſte Origéne. De hoc infra. Rarus ſit in ſenſu allegorico enucleando: quoniam nil ædificat, & vniuerſaliter laboans, vbi vtilia, & clara ſunt multa: quando tamen res poſcitr parcè tractabit. Moralis ſenſus ſit ibi præcipuus: qui per ſe anagogiam parit, & inſtruit ad Deum peruenire. Mirificus eſt ſuper omnes Chryſoſt. Et Leo Papa: Et ex parte Origenes. Qui licet allegoricus, tamen gratus, ſubtilis, & moraliter allegorizans.

Si verò textum totum exponere eſt in animo, vtere catena aurea S. Thomæ & Lipom. pro expoſitione locorũ ex patribus. Adde amplificationes, exempla, reprehenſiones iuxta propoſitum; & in fine percitus zelo, populum inflammabis, excitando ſpem, & amorem erga Deum; & iram erga peccatum. Non diſputabis vtrum poſſit qui non habet gratiam ſaluari. Sed ſemper non deeſſe à Deo gratiam nobis, dices, ſed nos gratiæ, vti Bern. docet, & Chryſoſt. Quæſtiones ſine ædificatione de vita, & profanas voces poëtarum, & quas Caſtalio in Biblia gentilizando inuexit.

Quando verò apud Hæreticos prædicas, tunc diſputationes arma: & te vallabis Scriptutarum, & Patrum, & Conciliorum teſtamẽto, & poſſeſſione Fidei à Chriſto

vſque ād nos, & Hæreticos nouatores dices, non Miſſos à Deo, neque à ratione: quoniam carent ſignis, & virtutibus, quibus legati diuini inſigniuntur. Vide quæ ſint hæc in Metaphy. & Topicis noſtris, & in Antimacchiauelliſmo.

Si verò inter Nationes Barbaras ingreſſus Euangelizare debes. Expone Symbolum Apoſtolorum. Dic te Miſſum à Deo per Papam eius Vicarium. Primo proba Deum eſſe ex ordine & gubernatu ſingularũ rerum. Deinde quod curam gerit omnium rerum, præſertim nobiliorum. Ergo maximè hominum [ſi negant,] immortalitatem animorum. Deinde, ergo apparuit hominibus; & teſtes habemus. Et quia aliæ Nationes ſe iactant teſtibus diuinis inniti, oſtendes non poſſe eſſe veras omnes Mundi religiones niſi vnam. Adde ſigna, quibus diſcernitur legatus diuinus ab humano, & diabolico. Et conclude Apoſtolos eſſe tales ſolummodo; per quos Deus ſi prouidus eſt pater, in terris ſcolam nobis reliquit. Hæc omnia in Antimacchiauelliſmo ſeriatim docuimus. Inde petatur oratoria ad gentes, & Hebræos, & Macomettanos, & Macchiauelliſtas, & Atheïſtas, & ad Politicos noſtri temporis. Ex occaſione, conceſſis exordiri prodeſt, vt Apoſtolus ab *Ignoto Deo, &c.* Praxim totius Rhetoricæ in lib. attitulato, Quod Reminiſcentur, ad quatuor magnas mundi Nationes, inuenies.

DE AMPLIFICATIONE *ex ſuis locis.*

CAP. VIII. ART. I.

ET quoniam de inuentione diximus: & pars eius eſt amplificatio: & a Bono, & à malo eſt perſuaſiō: ideò de his nunc dicemus. Amplificamus quidem vel maiorem, vel minorem propoſitionem ſyllogiſmi, vel aſſertionem, ſed etiam per ſyllogiſmos, & argumenta prædicta,

Non enim ieiunè, ſicut in Logica fit, proponuntur, ſed cum ſuis probationibus, & exemplis, & conſimilibus. Procedemus etiam à cauſis, vel effectibus, vel à ſignis, vel ab authoritate, & teſtimonio. Proprium eſt amplificationis, magna producere ad finem, vel perſuaſionē, vel effectum augendum. At magna dicimus, vel ſecundum naturam, vti ſtellas, Angelôs, Deum. Vel ſecūdum nos, vt quæ obſtruſa reconditáque ſunt à ſenſibus noſtris: aut quæ maximè noſtro vſui ſunt neceſſaria, & optabilia, aut terribilia, vt filij, vxor, mors, peſtis, &c. Omnia hæc ponit Apoſtolus, dum nullam cauſam eſſe aſſerit potentem ſe à Chriſti charitate auellere, ſic: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? &c.* Hæc ſecundum nos. Deinde addit ſecundum ſe, & nos, alia. *Neque vita, neque mors, neque Angelus, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque præſentia, neque futura, neque alia creatura poterit, &c.* Ab effectu vt Iehu, quomodo non religioſus, qui vt vindiccaret Dei cultum, occidit impium Ioram, & 70. natos; Ieſabel idolatriæ tutelam; Sacerdotes Baal, nec reliquit ex eis mingentem ad parietem, iuxta prophetiam Heliæ?

Ab indiciis per comparationem mirificè amplificatur. Vt ſponſa dicitur; *Pulchra vt Luna, electa vt Sol; vt caſtrorum acies ordinata; ſicut tabernacula cedar*, &c.

Et ab exemplo multiplici, vt crudelis eſt qualis Nero, vel Azzalinus, vel diabolus, &c. & à repugnanti, non ſic erat Cæſar, & Dauid, & Ioſias, &c.

Synonima gradatim creſcentia, plurimum valent, & definitiones conglobatæ: quę in Rhet vndecunq; Sunt enim à variis reſpectibus : Variæ & per Metaphoricos etiam terminos, vt Cicero vocat Hiſtoriam; *Teſtem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ: magiſtram vitæ, nunciam vetuſtatis*, ergo, &c. & ab his, quæ conſequuntur, &c. Nec eſt locus, vnde non poſſimus amplificare.

De amplificatione à Meliori Eligibiliori, & à peiori, &c.

Art. II.

QVoniam verò Bonum est causa finalis', à quo persuademus, à maiori bono amplificabimus, & ab eligibiliori, vt plurimum.

Maius igitur bonum; ac proinde eligibilius, sit, quod magis conseruat nos in Rep. aut in Deo, aut in filiis, aut in fama: ex his elige potiorem conseruationem, iuxta auditorum affectum.

Prętereà maius bonum est quod à pluribus appetitur.

Et honestum potius quàm vtile.

Et quod plura bona affert secum.

Et quod pauciora incommoda.

Et à sapientibus plus commendatur.

Et quod natura præscribit:

Et quod durabilius:

Et quod inimicis displicet.

Et quod amici optant nobis.

Et quod necessarium est magis.

Sic de laudabilibus, & vituperabilibus, & de cunctis amplificabis.

Nec verba affectata, & perpolitissima. sed grandia, & perspicua, & à rei magnitudine noua trahenda sunt; & fingenda si desunt, & deriuanda, & transferenda, vt infra, in amplificationibus.

E contra maius malum est.

Quod magis destruit.

Quod plus odio habetur.

Et à pluribus.

Quod honesto plus regnat, aut vtili.

Quod secum plurima mala affert, & bonum quasi nihil, vt scortatio.

Cuius in commoditates sunt durabiliores, & gaudium breuius.

Quod

Quod maiori bono opponitur.

Et quod Deo.

Quod à legibus, & ſapientibus improbatur.

Quod alios homines peſſum dedit, &c. per oppoſitum à Bono, &c. Amplificabis etiam de ſpecie tranſeundo ad genus, vti ſolet Rhet. & probabis aſſumptum per locos, vt in Topicis.

DE HIS QVÆ EXIGIT MAGIA ORAtoria in auditoribus: & quomodo poteſt nolentes audire, facere, vt audiant. Et de parabolarum, & oſtentorum vſu.

CAP. IX. ART. I.

DIcendum eſſet nunc de orationis diſpoſitione ſecundum ordinem. At quoniam neceſſe eſt aptari ipſam auditoribus, quæ requiruntur in Auditore, examinemus.

Igitur Auditor, aut non poteſt; aut non vult audire: ſi non poteſt, vel quia aliis premitur negociis. Huic tu conſules ſuccum orationis diſtillando, & breuibus ei propinando, quanta potes efficacia, vt Paulus coram Feſto: vel quia ignorat linguam. Et ſic niſi eius idioma calleas, nil ſuadebis. Diſce ergo.

Si verò non non vult, aut quia habet te pro inimico, vel quia rem de qua dicturus es, pro fallaci habet, aut ſibi execrabili. Quam ſi audes proferre, periculum capitis imminet.

Si primum, conciliabis te illi, dicens, nil vetare quominus & hoſtis verum dicat: præſertim cum communis res agitur, vt faciunt legati inimicorum principum. Vel dic, te amicum hominis non impietatis, aut vitij, &c.

Si verò ſuaderi non vult, nec periculum abeſt, oportet fingere, te aliud velle dicere, quàm quod ipſe putat: aut facere aliquid, vnde à ſeipſo moueatur ad te interrogandum. Primum per parabolas perficiemus: quæ ſermo

fictus est, vbi verus deest, proponens in alia persona vel re, id, quod auditori proponere vis in sua persona, & re: & ex illa tanquam ab exemplo, & speculo rem suam, seque ipsum agnoscat, quàm malè faciat. Talis fuit parabola Men. Agrip. ad populum Romanum, à Patribus desciscentem. Qui cum nollet de reconciliatione verba audire, finxit Men. se aliud velle narrare: Et dixit, quòd membra corporis contra ventrem insurrexerunt, inuidendo, & tumultuando, quòd eius gratia, qui semper ociabatur, ipsa perpetuò laborarent. Constitueruntque eidem non obedire, aut consimiliter ociari. Tunc cum ventri cibus deesset, defuit sanguis, vnde membra nutriebantur; cœperuntque languere. Tunc intellexerunt; ocium ventris esse vtilissimum negocium; ac parere decreuerunt. Membra sunt populus; Senatus venter. Ergò, &c. his dictis, reconciliationem vltroneam extorsit. Similiter Natham, ne Dauidem cum sui periculo adulterij argueret, contexuit parabolam mirificam, qua extorsit confessionem, & pœnitentiam. Socrates, & Pythagoras his vtebantur. Et Æsopi fabellæ sunt mirabiles ad moralitatem. Nil tamen mirabilius his, quæ in Euangelio habemus, quibus Deus noster homo factus suadebat grandia rudibus plebibus, & perstringebat sapientes Rabinos, & arguebat scelera eorum, antequam auditũ ab orante Christo auertere possent. Prophetæ passim his abundant. Mirum, quod Cicero, & Arist. Ista non satis considerarunt. Sunt è contra aliæ parabolæ, & fabellæ aptissimæ ad persuadendum vitia, & Religionem eradicandam quales in fabellatoribus nuperis quos nec nominari vellem. Sed cauendum à Boccacij Decamer. & Masutij Salernitani dictoriis: vnde miracula & mysteria redemptionis nostræ per consimiles fabellas, ludicra, & figmenta fuisse repræsentantur. Nil impium magis, nil infelicius, quàm arte mirifica in perniciem abuti.

A dogmatis Auditorum exordiri prodest ad idem, vt Apost. à titulo aræ, Ignoto Deo.

Secundum verò proficiemus aliquid ostentando, vnde interrogeris. Sic Ezechiel sumpsit vasa transmigrationis,

vt interrogatus prædicaret transmigrationem. Et Ieremias rupit laguncularn: & Isaias ambulauit nudus, & discalceatus. Quod factum prodest etiam ad suadendum, nedum ad audientiam captandam. Sicut Leuita vxorem in 12. partes diuidit, misitque ad 12. tribus Israël, vt vindicarent mortem eius contra adulteros Beniaminitas. Et Saül sic partitus est boues. Præclarè Socrates Alcibiadi, spernenti ipsum & philosophiam, obuius ostentauit orbis descriptionem, depictam: vt interrogaret puerili curiositate. Et sic expiscatus est eum. Et Cato tribus ficis, in chartagine hesterno die lectis, suasit Senatui eius euersionem, cum tam vicinum ostenderet tam perniciosum hostem. Solon verò, vt possit de recuperanda Salamina, quod sine capitis periculo fieri non posse decreto Senatus constabat, se insanum simulauit: & expeditionem insaniendo proposuit, & periculum euasit. Rectè sanè: quoniam de iure gentium furiosis parcitur. Aliqui fratres nunc in America ostentant figuras sanctorum; & mysteriorum S. Rosarij; de quibus interrogati, respondent, suadéntque. Oportet autem doctissimum esse vel solertissimum qui sciat signa ad signatum aptè applicare: & prius introducere in animum doctrinam tuam, quàm Auditorium percipiat, quòd de illa dicere intendebas. Sicuti bonus Medicus elicit saniem ex apostemate, aut instillat liquorem salubrem, quando nec dum tetigisse locum ægroto innotescit.

Quo facto, orabis, confirmabis, amplificabis, vinces denique. Vsus est Agatocles eclipsi ad animandos milites contra Africam: & Drusus contra seditiosos milites, quorum gratia lunam tristari dixit. Emilianus nesciuit vti. Hispani horologio, Scriptura, & tonitruo archibugij, multam audientiam captarunt in America.

Est quidem parabola exemplum fictum. At vbi vera exempla habemus, fingere non est opus. Vt patet in parabola de Lazaro mendico, & diuite epulone Interdum addemus fictiones veris, vbi non sufficiunt proposito negocio Sic Xenophontes pediam ab exemplo Cyri, de quo multa fabulatur, contexit. Et Poëmata sic fiunt, vt suo loco dicemus.

Enigmata quoque apta sunt ad mouendum, vt te interrogent Auditores. Sicuti Ezechiel proposuit; Aquila grandis magnarum alarum, &c. Enigma fit ex translatis vocibus perpetuò. *Vt sibilat coma animalis inuersi.* Hoc est, vibrat folium arboris. Caue ab Enigmatibus F. Straparolæ obscenissimis.

DE DISPOSITIONE ORATIONIS, eiusque partibus

CAP. X.

TEmpus est qua ratione dispon enda sunt inuenta, in oratione seriatim ad persuadendum aptè, dicamus. Sunt quatuor dispositionis partes communiter. 5 Exordium, Narratio, Confirmatio, & Peroratio.

De Exordio.

ART. I.

IN procemio præparatur animus Auditorum ad dicenda. Captat orator in hoc aut beneuolentiam, aut attentionem, aut docilitatem, aut reuerentiam. Vel hæc omnia, vel quædam.

Beneuolentiam quidem captat, aut ex sui persona, vel auditorum, vel rei, de qua est sermo, vel à persona aduersariorum. Primum fit propriam dignitatem, aut virtutes, aut Beneficia in Remp. aut studium benefaciendi, aut cum Auditoribus necessitudinem; saltem naturalem, ostendendo.

Secundum laudando Auditores, vt prudentes, iustos, amicos veritatis, quibuscum Fiducialiter te agere, & victoriā sperare dices. Tunc ipsi videbūtur sibi tali laude indigni, nisi sic faciant. Vel, cum hominibus [dices] non cum bestiis, si ad ignotos, & Barbaros loqueris.

Extollendo vtilitatem rei, de qua es dicturus. Et cum

defendis, te misericordia motum dices, & amicitia, & probitate clientis. Quæ si desit, dicas probitate causæ, & è contra quæ si desint ex naturali misericordia, & præcepto Dei, aut legis.

Quartum deducendò aduersarium in odium, aut inuidiam, aut contemptum.

Attentionem captabis, proponendo te dicturum de magnis, aut de necessariis, aut de cum his coniunctis.

Reuerentiam cum diuina mandata te explicaturum dices aut de diuinis differturum, quæ non nisi puris auribus, & fidelibus, sunt accipienda, vt de Trinitate, de Angelis, &c. De Regis negotio.

Docilitatem dicendo quæ sis dicturus, & partiendo genus, & de qua specie; definies, & signabis, ne confusione Auditorum prudentiam obruas, & multitudine memoriam.

In causa obscura & doctrinali, docilitate eges:

In iudiciali, beneuolentia.

In honesta, attentione, magis autem in humili, & quãdo audierunt iam aduersarium, & sunt tædio affecti: tunc reficies eos vrbanis dictis, & promissione breuitatis.

In diuinis, & abstrusis arcanis, reuerentia.

In turpibus causis attentionem non postulabis, neque beneuolentiam, sed insinuabis ex predictis.

In paradoxis, & admirabilibus, & opinioni auditorum, contrariis, reddes beneuolos, quasi illud quod illis placet dicturus; & parabolam propones, ac deinde, vt in superiori capitulo docebamus. Docilitatem prorsus renue; sed suspende animos in diuersa attentione.

Debet exordium esse accuratum, acutum, breue: instructum sententiis; aptum verbis: & ex causæ visceribus de promptum. Vitiosum autem erit è contra. Item si non captat beneuol. per quæ diximus. Si nimis longum, si separatum à causa, de qua est tractatio. Si pro beneuolentia captat docilitatem, & vbi opus reuerentia, delectationem in nem, &c. Item si vulgare sit, friuolumque: si commune aliis causis, vti antiphonæ: præsertim si contigiæ.

Item si commutabile adeò, quod aduersarius possit in sui defensionem illud vertere.

In iudicialibus maximè est necessarium, vt Auditores causæ faueant, & à suspitione contra defensorem, & defensum reuocentur. Et ab aduersarij amore.

In deliberationibus sufficit, si de quo consulis, speciatim proponas, vbi non est nota intentio.

In laudationibus, & vituperiis spatiaberis vndique incitando amorem, aut odium, delectationem, & iram semper tamen memento, *ne quid nimis*.

Est & vbi nullo exordio indiges, cum auditores scientes, dispositique sunt. Figuras veteris testamenti, concionatores insulsè proponunt, vbi nec ad Iudeos est sermo conuincens: nec ad eos, qui audire nolunt; tunc enim valent loco parabolarum, nec clare sunt, sed multa torsione indigent; in qua dum laborat prædicator fatigat auditores, & nihil docet, nisi quod sic, & sic potest allegorizari textus. Et sæpè inaniter sine fructu. Quæ enim non sunt vtilia ad declarandum, aut ad probandum, aut ad afficiendum, aut ad docēdum inania sunt. v. g. quidam concionator, exponens illud Mat. *Misit Iesus duos discipulos*, interpretabatur. Iesus id est pater misit filium & Spiritum sanctum; vtque doceret, quod potest ly Iesus sumi pro patre, & discipuli pro fil. Sp. sanct. cōsumpsit horam fatigauit Auditores: & nil probauit nec declarauit, nec affecit, nisi nausea auditores. Bone Deus, deest in S. scriptura, & in rerum natura, quæ etiam pro modo Dei scriptura teste, S. Ant. Chrysost. & Ber. est, materia dicendi super quocunque verbo! Vt quid relictis veris, & vtilibus, ad ineptias, & friuola confugiunt: & hoc subitò in proæmio! vtinam elicerent sensus morales solùm, vti aliquādo Chrysost. & non subtilitates insulsas. Omitto tyrannidem spiritualem, insaniam spiritualem, & adulterium spirituale, quod committunt, torquendo scripturas ad sensum prophanorū Philosohorum, paralogizādo ad falsos sensus, & adulterando ad lucrū & adulationem: vt notat Apost. & S. Thomas cum eo. Sit ergo nobis proæmium apparatus textus: & postulemus atten-

tionem, aut reuerentiam, &c. & S. Leo Papa doceat eos exordiri, & occasio Item Aug. docet ex Psal. 11. eloquia Domini septuplo probari ex 7. donis spiritus. Et septies reprobari ex oppositis. 5. ex insipientia, obtusitate, præcipitatione, formidolositate, Nescientia impietate & irreuerentia. Ludificari verò si sunt præter Sapient. Intel. Consil. Fort. Scient. Piet. Timor. Dei.

De narratione bona, & vitiosa. ART. II.

SEquitur Narratio, quæ fundamentum est constituendæ fidei, & omnium probationum basis. Sit ergò breuis, aperta, & probabilis. Vt memoria teneatur, intelligatur, credatur.

Breuitas simplicibus verbis non inornatis constat semper recidendo ea, absque quibus intelligi adhuc potest res narrata.

Apta est, si verbis vsitatis, seruato ordine temporum, & locorum, nec interruptè pronunciabitur. Probabilis, si quæ narrant, locis, temporibus, personisque consentiant. Si causa cuiusque facti, & euenti non taceatur. Si testimoniis constet. Conueniat legi, religioni, & moribus, personarum, & locorum. Nec ab opinione hominum sit aliena, & narrantis autoritas, & probitas, & fides constet. Magis autem vbi miraculis, & martyrio, & prophetia comprobatur. De quibus in Topicis.

Suauem Cicero vult esse narrationem, quæ habet admirationes, exitus inopinatos, expectationes, interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, metus, iras, lætitias, cupiditates. Huiusmodi narratio est Salustiana, & Liuiana, & Taciti. Nos autem fidem, & perspicuitatem, & breuitatem, & inutilium recisionem ab Historico requirimus. At in narratione Rhetorica non inconditè ista poscit, vt se admirabilem, gratumque faciat auditoribus. Sed poëtis conuenient magis. Nos in concionibus perifrasim textus pro narratione ponimus. In iudiciis factum, vel dictum, de

quo controuertitur. In parabolis eadem volo; & acumen insuper, & aptitudinem ad id, de quo dicere palam non poteras à principio: eſt ergo narratio ſicuti ſuppoſita fundamenta, ex quibus argumentamur.

Deliberatio caret narratione. Eſt enim præteritorum hæc niſi vbi prophetia interuenit futurorum. Vt cum narramus cuiuſmodi erit iudicium vniuerſale à Chriſto predicatum.

In laudibus, & vituperiis geſta ſanctorum, & impiorum narrantur, vti dictum eſt.

De confirmatione.

ART. III.

POſt narrationem, vbi reperitur, accedit confirmatio ſententiæ oratoris. Nam ſtatim exoritur quæſtio; quæ triplex eſſe poteſt, de exiſtentia, de eſſentia, & de qualitate, in orationibus vt vtrum Paulus fuerit in Hyſpania, an non? vel, vtrum docuerit, an non? & vtrum Cæſar ſit Tyrannus, an Princeps? & vtrum iuſtè, an iniuſte Oreſtes occidit matrem? In qua quæſtione quaſi duo altercantur; & alius alteram partem defendit & hic eſt *ſtatus* apud Cicer. & *conteſtatio litis*, apud iuriſconſultos: & *articulus quæſtionis*, apud ſcolaſticos. Hinc argumenta ſumuntur ad vtramque partem, & confirmatur ſententia per locos, à nobis memoratos, arguendo: ex quibus elicitur iudicium.

Poteſt quæſtio eſſe de ſcriptura, vt de teſtamento, aut de litera Apoſtoli, quomodo ſit intelligenda, vtrũ cum Chryſ. aut cum Luthero. Declaratur autem ſcriptura per voluntatem ſcriptoris, opere expreſſam; aut per aliam eiuſdem ſcripturam; aut per ſenſum ſapientum, & antiquorum; aut per teſtes, & per ratiocinationes. Neque enim diuina eſt ſcriptura licet aliquando obſcura & ambigua, alteri ſcripturæ repugnans; aut ſcriptoris voluntati aut rationi, quemadmodum accidit ſcripturæ humanæ. In legibus ſemper rationem legis, & intentionem legiſlatoris

gislatoris præferemus & dispensabimus. In S. sacra, semper conciliorum, & Patrum consensum, & possessionem ecclesiæ in explicandis sanctis scripturis. In testamentis voluntatis voluntatem testatoris à testibus, & rationibus venabimur. Et quia aliqua est probabilitas ratiocinij firma, vt omnis mater amat Filium; alia debilis, vt in Plenilunio Pluet: alia suspiciosa tantùm, vt Pallet accusatus, ergo est furti reus. In principio, & fine ponemus firmissima argumenta; in medio debilia, & suspiciones; quæ ab extremis roborentur.

Argumenta non more logicorum steriliter, & in idem cadentia, formabimus, eodemque semper modo; ne fastidium generent, aut contemptum, quod te ad minutias tales obligaueris. Sed aliquam incipies à minori propositione, aliquam à maiori, aliquam, à conclusione. Sic in consequentiis, & inductionibus facies. Probabisque singulas autoritate, exemplis, ratiocinio, prouerbiis, eleganter, vt acutè, & harmonicè animos auditorum penetrent, & auide: sententiæ enim & sales, figuræ & elegantiæ pariunt voluptatem, & admirationem extorquent beneuolentiam, & reuerentiam, & victoriam tandem. Vt mox, de elocutione dicentes ostendemus.

De confutatione.

ART. IV.

SEquitur statim confutatio eorum, quæ contra tuam sententiam scis, aut coniicis posse dici, & ad singula seriatim. Si verò aduersarius prius orauit, tu non à narratione, quando vera narrauit, & quando non vera, sed à confutatione argumentorum, vel narrationis, in qua parte fefellit, (neque enim in omni) incipies post exordium, & propones argumenta ex locis iam dictis, & Testimonia, &c. eadem cum eloquentia. Sed forte breuiùs. Verba aduersarij humiliabis, declarabis per alia, in quibus infirmitas illorum elucescet: & tua magnificabis. Eius translationes ad propria redige, tua ad translatio-

nes, prout verborum tuorum ſpiritum accendere, & aduerſarij extinguere, congruens fuerit. Hæc eſt licentia Rhetorum, non Logicorum, & ſapientium, niſi declarare, & eneruare Fallacias aduerſarij: & rationibus melioribus, & teſtibus, refutare.

De Peroratione.

ART. V.

TAndem ſequitur Peroratio in qua prius amplificabis, & poſteà, ſi opus fuerit, ad reficiendam memoriam, rationes enumerabis tibi fauentes, & aduerſarij deterioratas contrapones. Hac in parte victoria verſatur.

Amplificatio fit ex iam dictis, vbi de ipſa locuti ſumus. Attamen ſpiritu vehementi, concitato, claróque proponentur, & magnifico conglobatis definitionibus, exemplis, comparationibus, effectibus, aut cauſis, & ſignis. Hinc exclamabis ad mortuos, ad Angelos, ad Deum, ad elementa, ad bruta. V. G. *Reſpice ad formicam ó piger, &c.* Introduces loquentia, quæ non loquuntur per proſopopeiam. Et gradatim aſcēdes: Nam de extremo ad extremum non procedit natura abſque mediis: ergo ſecundum ipſam nec facies fidem. Hic lacrimaberis, iraſceris, timebis, & afficieris prout afficere optas. Magnus affectus fidem conciliat mutuam magnis verbis. Alioquin videberis ſicut qui ad lugendum mortuum mercede conducitur; de quibus Horatius. *Deriſor vero plus laudatore mouetur.* Plus enim clāmitant, quàm vxor defuncti, & filij, ſed ſine affectu, tanquam deriſores.

Si oratio longior fuerit, aut memoriæ auditorum diffidas, quod in accuſationibus ſolet magis; repete argumenta. Ita quod ſingula vnica propoſitione adducas: ſed eleganti, ſententioſa, figurata. Ne oſtentationem memoriæ propriæ aut diffidentiam de aliena demonſtres. Alioquin bis in inuidiam te ipſum adduces, & nemo ſuffragabitur. Nil infelicius quam artem detegere in oran-

do, & poëtando. Quod Tassus facit, dum nos quasi pueros per lenocinium verborum decipere proponit. Dictum est Lucretii, sed ad aliud propositum: dum mirificam philosophiam canit: & quasi medicinam versibus dulcorandam Memmio propter alios, nec in proëmio, sic dicit.

DE ORATORIS INSTRVMENTO.

ORATORIS FINEM ESSE SVADERE: ergo necesse habet mouere: ergo & prius docere; & delectare: ergo ex parte orationis etiam ista requiri. Et de orationis vita, & corpore iam dicendum esse. Ideo de triplici figura.

CAP. XI. Art. I.

Dicunt functiones oratoris esse docere, delectare, & mouere. Delectare quidem, ait Cicero, honorarium est: docere debitum: mouere necessarium. Nos autem diximus, munus proprium esse suasionem, quam, nisi flectat, non assequetur. Hoc autem neque, nisi prius doceat probetque: quod cum rectè facimus, delectamus. Sensus enim boni cuiuscunque est voluptas. Quapropter quasi condimentum est, vt flexio, commotioque animi placeat: quod Natura facit. Cum enim necessarius sit cibus, & coïtus vitæ indiuiduali, & specificæ: & animantia docta sint, vt si viuere velint, cibo, & venere vtantur: tamen quia ægrè huiusmodi functione, susciperent, nisi & iam iocundarentur; ex summi Boni quasi vase instillauit voluptatem huiusmodi laboribus. Orator ergò hanc partem non spernat, nisi vbi per se doctrina, est voluptuosa, & admirabilis, sicuti Theologia; & metaphysica. Et quia voluptas habet decipere, non est adhibenda, nisi vbi volueris amorosa non perniciosa deceptione homines capere. Sicuti medicus absynthiũ

propinans, orâs vasis intingit melle. Hæ igitur functiones sint nobis tanquam media ad finem, qui est persuasio. Et quoniam dictum est de his, quæ ad Oratorem, & auditores pertinent, nunc quæ ad orationem, dicenda remanent: in qua probatio, & iocundatio, & flexio instrumentaliter continentur. Genus dicendi triplex apud Aug. in 4. de doct. Christ. videlicet: Humile Grande & Mediocre. Humilè ad suadẽdum quæ doces vera esse: Mediocrè ad delectandũ: Grande ad suadendũ vt fiant, quæ velles. In primò verba sint sufficientia, vt in scientiis: in secundo splendentia, vt in laudibus: in tertiò vehementia vt in arduis capessendis, & diuinis.

Vniuersaliter autem oratio erit intelligibilis, ornata, apta fini, & personis, vt dicebamus, affectis, & afficiendis. Affectus autem imprimendus non modò in orantis animo, & corporis gestu, & vocis modulatione exprimitur, sed etiam in orationis varietate, quam Figuram vocant; nos autem Viuificationem. Alia enim est Mutatio. Vocabulorum & sermonis, quam solent dicere Tropum, & inuersionem, alia Affiguratio orationis, quam vocant Figuram; alia sententiarum, quam nos potius Viuificationem in Oratores Schema appellant. Prius autem de viuificatione sit nobis dicendum; quoniam immediate afficit, datque orationi spiritum, & affectum; qui Auditoribus hoc instrumento propinatur.

De viuificationibus Orationis. 1. De affectibus in oratione expressis, & delatis ad mouendum per verba.

ART. II.

PRimus viuificandi modus est Interrogatio, non causa sciscitandi. Sed pudefaciendi, vt apud Iuuenalem: *Dicite pontifices in sancto quod facit aurum!* Et apud Salust. *Quousque abutere patientia nostra, ò Catilina!*

Vel impossibilitatem ostendendi; vt, *quî fieri potest!*

Vel consensum extorquendi, dum pudet eos nescire,

quod pro notissimo supponis, vt, *quis ignorat fraudulentam submissè loquentis naturam!*

Vel indignantis, vt, *& quisquam numen Iunonis adoret!*

Vel admirationem pariendi. Vt, *quid non mortalia pectora, cogis, Auri sacra fames!*

Vel misericordiam; vt, *heu quæ nunc tellus, quæ me æquora possunt, accipere!*

Aut se ipsum perplexum declarandi, vt, *quod faciam! quo me vertam! quo pergis Campanella!*

Secunda [illegible]uificatio est Responsiua, quando interroganti respondemus non solum, quod dicit asserendo, sed aliud, quod dictum magnificat vt si quæram, *verberauit te Fabius!* Respondeas: *Et innocentem. Item occidit Fabius hominem!* Resp. *maximè, latronem.* Vbi conuincitur auditor ratione, vnicâ dictione expressa.

Tertia, est Subiectio, cum interrogamus, & simul respondemus nobis, nec expectamus ab alio. *Peccasti. Nunquid ignorantia!* Resp. *Non: Theologus enim eras. Nunquid paupertate! Non: diues eras.*

Quarta Ante occupatio, vt cum occurrimus obiectioni possibili. *Queritis quare in Bacchanalibus Euangelizem, cum non nisi in quadragesima solcam!*

Quinta est Correctio sermonis, vt, *Tanta passi estis sine causa; si tamen sine causa.*

Sexta est Dubitatio, vt, *quo me vertam!* Sed interrogatione aliquãdo; Aliquando sine interrogatione. *Et quidem quod faciam, ignoro.*

Septima Communicatio, quando interrogamus auditores id, de quo dubitamus, aut rectè factum voluimus; *Vt quid fecissetis vos, si hostis inuasisset! nonne idem!*

Octaua Apostrophe dicitur, cum sermonem ab auditoribus, ad alios conuertimus. Vel inuocando: vt *Dei, quibus imperium est animorum*, &c. apud virg. vel inuidiosè implorãdo, vt *ò leges sacræ, quomodo siletis in tanto facinore!* Vel aduersarium inuadendo, vt *quid tuus ille Tubero in acie pharsalica gladius agebat!* Apud Cic. pro. Q. Ligario.

Nona Obsecratio, *quo te per cæli iocundum numen, & au-*

ras, per spem surgentis Iuli: & per clementiam tuam, qua nunquid miseris defuit, &c.

Decima Execratio, vt, *dij te eradicent*; in Terent. &, *percutiat te Deus paries dealbate*, in act. Ap. & *montes Gelboë nec pluuia, nec ros super vos, &c.*

Vndecima, Exclamatio, quando dolorem magnum, aut indignationem, aut admirationem exprimimus. Vt *ô infelicia secula, &c.* & Lucr. *ô miseras hominum mentes, ô pectora cæca.* Et Bas. *ô altitudinem benignitatis humanitatisque Dei, &c.* Quando verò quod diximus, co[illegible]endamus, potius est acclamatio: vt, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem.* Vel apud Paulum. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* Quæ videtur acclamatio Chrysost. & Amb. at August. exclamatio. Sed composita est reuerà.

Duodecima Præteritio est, cum fingimus nolle dicere, quod tamen dicimus, & ad aliud properamus. Vt *omitto nunc Arij procacitatem, impudentiam, adulteria, vultum, apostasiæ signum, quale apud ecclesiasticũ. Cum legitur, & quomodo crepuit medius, sicut Iudas, & effusa sunt viscera eius, vti merebatur in cloaca, venio solum ad hanc assertionem eius impiam, quòd Christus non est verè Deus.*

Tertiadecima Præcisio sermonis est, cũ reticemus irã, aut sollicitudinem monstrando, vt, *quos ego.* Sed *motos præstat, &c.* Apud Virg. p. Ænead.

Quartadecima Emphasis, quando plus significatur, quàm dicitur vt *demissum lapsi per funem, &c.* Ænead. 2.

Quintadecima Prosopopæia, quando introducimus loquentes res quæ non loquuntur, vel ad dicẽdum prouocamus. Sic introducitur Italia rogans pro natis: & defunctus pro vxore. Et secundum Bas. Dauid cælum, & montes, & fluuios ad laudandum Deum compellat. Et alibi; *Quid est tibi mare quod fugisti!* duplici vtitur figura. Non nisi summo affectu hæc fieri debent ad illum exprimendum; nam cum sint per se falsa, ridiculum per se excitant: vnde & in nostri admiratione elementa Deum laudant, Basilio. Ego autem puto ex communi entitate

ista trahi, quam effectus eleuatus super corporalia ad primalitates omnibus communes transcendit. Tu verum vides, & ego video, nec tu in me, nec ego in te (ait Aug.) ergo in primo ente. De his in Metap.

Sextadecima est Descriptio rei, de qua loquimur ad viuum ita, vt cerni possit quasi in oratione. Sic in Macab. 2. describitur Onias plorans pro violatione templi: & Virgilius amictum, oculos, barbam, & mores Charontis. Sic prædicatores iudicij formam; & venientis Christi in maiestate depingunt. Mirabilis est ad mouendum: sed inutilis in rebus claris, & quibus non indigemus ad doctrinam, neque ad affectum. Veluti oratores ridiculi, dum carduelis Cantum, aut laudæ, aut auroram, frustrà depingunt longo verborum ambitu.

Decimaseptima Ethopeia, vel Notatio, non longe abest. cum v. mores alicuius in oratione imitamur. Vt *Nero ante principatum mansuetudinem, affabilitatem, consortium literarum, verecundiam profitebatur: factus verò princeps, paulatim habitum mutare, amorem phylosophiæ deponere, in amicos sæuire, libidinibus vacare, &c.*

Decimaoctaua Ironia, seu dissimulatio est, cum aliud dicimus, aliudque contrarium intelligi volumus; *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis, sciens bonum, & malum, &c.* secundũ meliores Theologos. Nã tunc non, vt Deus, sed vt bestia factus est ex peccato, teste Dauid, vnde è paradiso, & consortio angelorum expellendus fuit.

Decimanona Sustentatio est, cum animos Auditorum suspendimus, magnificandi causa quod dicimus. *Cui similabo hunc hominem? Alexandro ne? sed maior. Cæsari non, &c. non hominibus, sed angelis, &c.*

Vigesima Licentia est, cum audemus dicendo aliquid, quod tamen non offendat, sed nos commendet. Vt, *audeo dicere, patres, aduersatus sum vobis, quoniam mihi videbar melius nosse, quod ipse videram, quam vos quod audieratis:* Et Petrus, *liceat fratres confidenter apud vos dicere de patriarcha Dauid, quià mortuus est.* Hac figura in reprehensionibus vtemur.

Vigeſima prima Conceſſio dicitur, cum aliquid etiam iniquum fiducia cauſæ videmur concedere, vt *ſit latro, & nebulo: haud tamen cuius nunc inſimulatur, crimen patraſſe conuincitur.* Et quando miſcetur ironia, validior eſt figuratio hæc, vt apud virg. *Meque timoris Argue tu Drance, quando tot ſtragis aceruos Teucrorum tua dextra dedit.*

Vigeſima ſecunda Permiſſio eſt cum aliorum iudicio ius noſtrum examinandum permittimus; aut quia illis confidimus; aut rei, de qua dicimus: aut quia reiicimus tanquam nil ad nos vt *vos videritis, &c.*

Vigeſima quarta Diſtributio eſt, quando aliquid in plures tribuitur partes, quarum ratio ſubiungitur, aut reticetur. Vt *Cæſari neque virtus in præliando, neque ſapientia, in conſulendo; neque benignitas in benefaciendo defuit. Et enim cum præliaretur apparebat fortiſsimus: in dubiis ſapientiſsimus; in præmiis tribuendis liberaraliſsimus.* Item apud Amb. de Petro, & Paulo. *Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet; ſub vno perſecutare, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo prò merito: locus pro gloria: perſecutor decretus eſt pro virtute.* Sed hæc figura potius ornat, quam afficit. Sunt & aliæ quaſi orationis geſtus viui: quas proſequi omnes difficile eſt. Reduces tamen ad memoratas quicunque oras.

De affigurationibus orationis, in quibus deferuntur iam memoratæ viuificationes ad auditores.

ART. III.

HAS in affectibus propinandis varietates, ſequuntur Orationis Affigurationes, differẽtes ab illis quidem: quoniã ſi verba mutes in illis manet expreſſio Affectionis: in iſtis verò nequaquã, quoniã ſermonis eſt varietas, nõ affectus. Nec dico figuras, ſed ad Affigurationes, quoniã verba ipſa ita diſponimus, vt quaſdã figuras repræſentẽt: quæ ſenſũ introducant blandius, aut fælicius: ſicuti qui ad bellũ parat arma, acuit, polit, ornat: & qui pharmaca, miſcet,

ect, sepárat, solidat, mollit, acuit, polit, rotundatque prout ægris melius, & salubrius applicari possunt.

Figuramus ergò Adiectione, detractione, & Consimulatione.

De Affigurationibus ex Adiectione.

HArum prima est Repetitio crebra eiusdem vocabuli, faciendi gratia ictum, & impressionem in animo auditoris. Qui autem ea, quæ nolunt imprimere, aut non necessaria sunt, vt imprimantur valdè, sic repetunt quasi nugaces damnandi sunt; exemplum, Cicero. *Quid tam populare quam libertas, &c. quid tam populare quam ocium?* Et Dantes mirificè dixit.

Amor, che in cor gentil ratto si apprende, &c.
Amor che à nullo amato amor perdonna, &c.
Amor condusse noi ad vna morte, &c.

dum peccatum minuere vult ab amore, &c.

Quando repetitio fit in fine periodorum, vocatur Conuersio, vt *quis abrogauit legalia! Paulus. Orbem quoque subiecit, Paulus. Et pro Christo passus est? Paulus.* Quando in principio, & in fine est repetitio, vocatur Complexio, vt, *qui ruperunt Fædera? Carthaginenses. Qui Italiam vastarunt? Carthaginenses: qui, &c.*

Est Conduplicatio affinis Repetitioni, vim imprimendi habens, & lepidè. Vt *viuo ego, iam non ego: viuit vero in me Christus.* Et aliquando eadem vox bis in principio ponitur: aliquando in fine bis: aliquando principium fini respondet; aliquando mediis, aut media inter se. Et in eodem casu, & in diuersis. Quorum exempla vbique inuenies, præsertim in psalmis, & in Augustino.

Traductio est, cum idem verbum crebrius ponitur, aut in eodem significatu, & casu, vt *qui in vita nil habet iucundius vita; is cum virtute vitam non potest colere.* Aut in diuerso significatu, vt *veniam ad te, cum præceptor dederit veniam:* Aut in diuerso casu, vt *pleni sunt libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas.*

Etiam deriuationes sunt casus, vt diximus in logica.

Quarta Synonimia est, cum plures voces idem significantes coniunguntur: aut propositiones idem exprimentes. Quod superfluitatis vitium est in philosophia: conceditur oratoribus explicationis gratia, leporis interdum, presertim in laudatione sed nauseam sapientibus facit.

Quinta Polysintheton, quando in singulis vocabulis coniunctionis notulæ adiunguntur, vt *Demissum lapsi per funem, Athamasque, Thoasque, Pelidesque, Neoptolemus, primusque Machaon: Et Menelus, & ipse doli fabricator Epæus, &c.* Apud Virg. 2. Enead.

Gradatio repetit dicta vltima, & ad alia ascendit, quasi per gradus, vt in Epist. ad Rom. *gloriamur in tribulationibus. Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem: probatio verò spem: spes autem non confundit; quia Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.*

De Affigurationibus ex detractione.

HActenus de figuratione per Adiectionem. Nunc de his, quæ fiunt detractione, quemadmodum cum exsculpuntur marmora in statuas: & sicut illæ precantibus & laudantibus & lætis conueniunt: sic istæ irascentibus, plangentibus, & subtiliter perpendentibus, & sollicitis, aptæ sunt.

Prima est particulæ verbalis reticentia. Vt *nullus apud nos sermo, nisi de te.* Vbi deest, fit.

Est Dissolutio, quando coniunctiones demuntur in vocibus aut propositionibus, vt *veni, vidi, vici.*

Tertia Adiunctio, quando ad vnum verbum plures sententiæ referuntur siue in principio, siue in medio, siue in fine, vt, *vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, &c.*

Quarta Illi opposita Disiunctio cum pluribus sententiis suum verbum cuique respondet, vt *potentia operatur; sapientia consulit, voluntas imperat.*

Valet ad perſpicuitatem, & diſtinctionem.

De Affigurationibus ex conſimilatione.

POſt hæc Conſimilitudinibus figurantur orationes: valentque potius ad memoriam, quam ad decorem, aut fructum.

Prima eſt Annominatio, cum vocabula eadem, paululum deflexa, ponuntur, vt *Emit morte immortalitatem.* Vel ex oppoſito dixit Sedulius. *Qui potuit ſine morte mori, &c.* Et commutatione, vt *non amor, ſed humor te mouet.* Et in diuerſo ſignificatu: *Da veniam, vt veniam.*

Secunda eſt Exornatio ſimiliter cadens, aut in fine, aut in mediis, aut commutatim: aut, &c. vt *ſicut promptus ad audaciam, ſic inſtructus ad fallaciam, &c.*

Tertia Similiter deſinens, cum non vocabula, vt in præcedenti, ſed ſententiæ in eandem conſonant deſinentiam, vt *Non remittuntur peccata, niſi reſtituantur ablata.* Et, *conuenit ille thoro, conuenit iſte foro.* Et Catullus; *dextra Pater*, &c. Sanctus Auguſt. quaſi neſcit loqui abſque his duabus figuris & quidem nimiam affectationem, & Nauſeam faciunt in oratione: valent tamen ad acutas ſententias memoriæ imprimendas; quibus ille abundat: & carminibus reſpondet potiuſquam proſæ. Et prouerbiis aptiſſimè conueniunt. Proſper imitatur illum in lib. de vocat. Gent. ſed parcius. At affectationem magnam præ ſe fert. Quapropter Hier. & Amb. videntur & Leo, & Cyprianus, eloquentiæ Chriſtianæ Antiſtites: neque enim figuris vtuntur, niſi vbi opus ſunt valde: & a puritate ſermonis, non deuiant.

Quarta Eodem modo ſe habet commutatio, quæ familiaris eſt Auguſtino quoque, vbi diuerſæ ſententiæ ex eiſdem vocabulis contraponuntur. Vt *pulchrum edere, vt viuas; viuere, non vt edas.*

Quinta Compar, quando conſtant duæ propoſitiones ex pari numero ſyllabarum. De quibus ſatis.

Conſiderandum eſt quis loquitur, & quibus, & de quibus. Vehemens affectus loquentis reiicit figuras, & vt

Horatius ait, *proiicit ampullas & sexquipedalia verba*. Et ad sapientes sermo purus esse debet. Similiter in seriis con-consultationibus. Et in doctrinalibus, Videat orator quibus studiis delectantur auditores, & iuxtà mores eorum attemperet orationem, vt sæpè dictum est.

De elocutione oratoria. Et primò de eius congruitate, & intelligibilitate.

CAP. XII. ART. I.

ELocutio Rhet. intelligibilis, vt sit, debet vocabulis constare, quæ auditoribus sint nota, & delectabilia, & pura in idiomate ipsorum vt latinus latina, hispanus hispana hispanis verba faciat. Linguas addiscimus à matribus, & nutricibus, quas bene loquentes esse oppor-tet, vt mater Cæsaris; & à Grammaticis, & consuetudine, vt in Physiologia de Auditu loquentes, declarauimus.

De Ornatu elocutionis oratoriæ.

ART. II.

VT autem ornatè loquamur, consideranda sunt prius vocabula, & posteà structura eorum in oratione. Vocabulorum alia sunt propria cnm ipsis rebus conuenientia, & vsitata, vt panis, vinum. Alia propria, sed non vsitata, vt Mastigia, donicum, Tarantara, Quidditas. Quorum alia vetera, alia noua sunt. Alia vero sunt Mutuata, seu translata, vt aiunt.

De vocabulis propriis, nouis, antiquis & vsitatis. Et de ipsorum vsu. ART. III.

PRopriis vtemur in rei narratione, & in philosophicis rebus. Sed in Rhet. vsitatis, & in Philosophia

etiam inusitatis, & nouis; parcè tamen vbi opus exigit antiqua orator apponet. Poëta licentius. Nouis vterque abstinet, nisi res nouæ signentur per illa, vt Bombarda; & Turcarum Rex: pro quò insulsè Bembus ait, Traciæ Rex. Cicero ait: *Beatitudo, & beatitas, vtrumque durum; sed vsu mollienda sunt vocabula.* Nec modò antiqua, sed noua ponemus, & inueniemus, vti Horatius ait; *Et noua fictaque nuper habebunt verba fidem, si Græco fonte cadant, parcè detorta, &c.* Et)) *Multa renascentur quæ iam cecidere, cadentque*)) *Quæ nunc sunt in honore vocabula si volet vsus, &c. licuit semper quæ licebit, signatum præsente nota producere nomen.* Sic Cato, & Ennius sermonem patrium ditarunt. Stipticos grammaticos, ne formides. Nam ipsi à Philosophis, & Poëtis, & Rhet. discunt vocabula, non autem eos docent. Hoc tamen Philosophorum est munus, proprietates rerum pernoscentium; vnde voces ducuntur: vt in p. Metap. diximus. Imperiti non arrogent, nisi ex proxima lingua in vulgari accersire vocabula, quæ desunt, vt in Italica ex Gallicana, vel Hyspanica.

Vocabulorum propriorum alia sunt consonantiora, alia grandiora, alia nitidiora, & è contra: quod ex vocalium literarum & consonantium structura accidit. Eliget orator quæ congruunt rebus, & affectibus, non quæ sublimia sunt in omni re, quemadmodum scioli faciunt, ampullas, & sexquipedalia verba captantes. In quo Tassus sæpè deliquit. Dantes omnes mortales vicit in imitandis rebus, & affectibus per vocabula aptissima: sed sacra Scriptura ipsum anteit. per deriuationes & locos à coniugatis vocabula extrahemus nomina ex verbis, & ex verbis nomina. Vt alibi declarauimus.

De Mutatione Vocabulorum, vbi desunt propria rebus, vel, &c. siue de Tropis siue de impropriis.

Art. IV.

VBi autem desunt rebus nomina propria, aut fastidio sunt repetita, aut lucidioribus indigent notis, aut affectibus conspergere volumus, licebit aliunde mutuari, sicuti vestes, vbi vel latere, vel repræsentare, vel in solennitatibus Elegantes comparere volumus. Aliquando non solùm rem vnam, sed plures, quæ in oratione continentur, vestibus alienis vestimus; ideóque mutuatio est duplex alia in vocabulis, alia in oratione, quæ dicuntur: Metaphora & Parabola.

De mutuatione in vocabulis.

METaphora est prima vocabulorum mutuatio inter omnes tropos celeberrima, & formosissima, licet Egestatis filia. Non tamen à dissimilibus mutuatio fit: non enim vestis gigantis aptaretur formicæ, neque cortex panis cælo. Inest ergò semper similitudo, idcirco valet.

Et fit ab inanimato ad animatum, vt *Sagittæ volant*: Cum tamen volatus sit auis proprius; sed instar auis fertur sagitta per aërem.

Alia est è contra, vt *Scipiades belli fulmen, &c.* Apud Lucr. & *læsas segetes*, apud Virg. Alia mutuatio est animati ad animatum, vt *vulpis orabat Iouem*, apud Esopum, Alia ab inanimato ad inanimatum, vt *paupertas grauis*. In Terentio, grauitas est lapidis, &c. Est quidem metaphora à proportionalitate faciens similitudinem. Sicut enim deorsum grauat lapis, sic paupertas. Et sicut latrat Canis contra hominem, sic Cato ad Scipionem.

Vbi nulla est proportionalitas, non transferes voces. Nec dices volare vermiculum repentè: sed nauem. Nec remigare asinum, sed auem. A longe ducitur Metaphora, cum non à simili, sed à re cui conuenit simile deduci-

tur, vt cum vocamus Charibdim bonorum, prò voraginem bonorum, helluonem. Et nec dicet, *serpit arboris comi*, pro *sybilat*; eo quod serpens, cui sybilus proprius est, serpit. Fit metaphora a longe metalepsis, vt Virgilius: *Post aliquot aristas:* Id est, spicas: id est, æstates in quibus sunt, id est, annos in quibus æstates.

Translationes à magnis rebus prosunt ad amplificandum: a paruis ad deprimendum: à ridiculis ad contemnendum, vel ad risum excitandum in Comedia, &c. vt Trastulus ait: è *doctore à due sole:* accipiens translationem à bonis calceis. Et *castratam Remp. morte Africani*, comicus dicet, non orator: quià maculat sermonem suasorium. In vehementia tamen sæpè huiusmodi iuuant ad fidem, & affectum, vti Paulus Apost. *omnia arbitratus sum stercora propter eminentem scientiam Domini mei.* Hoc autem facimus vbi volumus rem, de qua loquimur in animis auditorum vilissimam facere. Nec nisi grauissimis, & sapientissimis, & senibus, & in vehementia, conueniunt.

Placent metaphoræ, quia necessitati succurrunt, & sunt sapientiæ, qua seruamur, inuentricis indicia: & quià amplificant notiones.

Secunda Synechdochem vocant figuram, in qua cōmodant sibi vocabula mutuò, totum parti, & pars toti, siue sit totum integrale, siue vniuersale, siue numerale; nam sicut genus pro specie, sic plurale pro singulari, & è contra solemus ponere. Est vbi & totum essentialè. Nam materiam pro composito, vt ferrum pro gladio ponimus: Et carnem pro homine in sacra Scriptura sæpissimè. Sed poëtis magis conuenit hæc mutuatio. Item 70. *animæ de fæmore Iacob.*

Tertia Metonymia est mutuatio vocabulorum mutua à causis ad effectus, & è contra. Vt vocamus opera platonis, *Platonem*, à sua causa. Et *Pallidam mortem* à suo effectu. Et *Scelus*, hominem sceleratum. Item contentum à continente, vt *Romam felicem* pro Romanis fælicibus; & tempus crudele, & crudeles terras, pro hominibus tem-

pori subiectis, & terrigenis. Et *Ducem* pro militibus, & *Regem* pro subditis. Vt Rex hyspanus preliatur in Flandria, vbi tamen non est, sed sui milites, &c.

Quarta Antonomasia est, vbi relicto proprio vocabulo ordinario, assumimus festiuum, sicuti vestem splendidissimam in sollenitatibus, deposita ordinaria. Sic ponitur *euersor chartaginis*, pro Scipione; *medicinæ parens* prò Hippocrate, &c.

Quinta Damus aliquando vestem propriam rebus, sed superfluam, vbi non est in consessu aliquo ad aliquid ostēdendum necessaria. Et talis mutuatio, vocatur epitheton, siue appositio. Vt cum dicimus, *album lac.* & *Achilles velox.* Poëtis conceditur, vt carminibus numeros adaptent. Et quasi in consessu poëtico decent: non tamen in Rhet. oratione, nisi vbi ad aliquid exprimēdum illo indigemus, aut perpetua sunt: Vt, ô *scelus abominādum*. Nec dicam Petrus, pro Apost nisi addam Sanctus. Et aliquando distinctionis gratia rectissimè; vt Petrus lombardus.

Sexta Antiphrasis ab inimico mutuatur vestem, quam idcircò non restituit, vt *lucus*, quia non lucet: *Bellum* vbi horrescimus non bellè.

Septima fictio nominum est, quasi noui vestimenti inuentio, græcis, & Italis modernis concessa, non autem Latinis: nisi vti supra dicebamus ex Horatio. At cum Latina lingua iam perfecta sit, à nobis non potest in aliquo nouari, nisi vbi res nouæ vocabula noua exigunt, vt *Bombarda*, *Archibugium*: vel scientiæ nouitas, vt diximus, *Primalitates*, & Scotus *haccheitatem*, & scholastici *Quidditatem*; sapienter profectò, decenter; quidquid scioli reclamant. Neque S. Gregorius Theologiam regulis Donati concludi patitur.

Octaua Abusio vocabula propinqua, & similia mutuò accipit, vbi propria habemus, nec indigemus ad memoratos effectus in prima figuratione. Sic ponimus *parricidam* pro eo quoque qui matrem, aut sororem occidit. Et *minutum animum* pro paruo.

De

De Mutuatione orationis.

HÆc de mutuatione vocabulorum: nunc de oratione tota mutuata dicendum.

Cuius prima transfiguratio est Allegoria. Vt cum aliud verbis, aliud sensu dicimus. Vt *ego in portu nauigo*. i. maneo tutus.

Secundo Faciunt Ænigma, vbi omnia verba sunt mutuata; at si vnum restat proprium, illuminans sensum, ad quem sunt accepta, est Allegoria. Vt Cic. *Equidem tempestates & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, putaui esse subeundas*, *&c.* vbi si ly *concionum* non posuisset, ænigma esset: Maneat allegoria à principio ad finem in suæ proportionalitatis similitudine. Sic conficitur & parabola. De qua ante iam diximus.

Tertia Periphrasis est, cum prò re descriptionem rei adducimus. Vt cum Virg. ait. *Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris*, *&c.* i prima noctis pars, &c. hoc poëtarum est, non oratorum, nisi vbi pudet aliquid dicere, & circumscribimus.

Quarta Hyperboles auget fimbrias vestis aliundè, non vt mentiatur, sed vt magnificet. Vt *it clamor ad astra*: & *totam mensam deuorauit Gnato*. & S. Aug. Hyperb. putat. Neque *mundus caperet qui scribēdi essent libri*, apud Iohan. Item, *vix ossibus hæret*, *&c. apud Virg. auget macritudinem per diminuitionem.*

Quinta habent & hyperbaton, quæ est verborum transgressio, aut peruersione, vt *mecum*; aut transiectione, vt *fluor in durum conuertitur ens*. Telesius semper hac vtitur: aut vocabuli discontinuatione, vt *septem subiecta Trioni*. Quæ poëtis tantum conceditur; & Lucretus *perque foratum*, *&c.* in his transformatio, non mutuatio est.

De collocatione vocabulorum iam dictorum in oratione.

CAP. XIII.

ART. II.

POstquam ſyluam vocabulorum propriorum, & mutuatorum, nouorum, & veterum, habueris, de collocatione cogita: quæ requirit ordinem, & iuncturam.

In ordine primò ſemper augebis in maximum, & in minimum.

Secundo ordinem naturæ tenebis, vt quæ priora ſunt prius dicas, vnum diem, & noctem, non è contra, niſi vbi ordo doctrinæ aliud poſcit.

Tertio Claudes verbo ſenſum potius quàm nomine: quod in vulgari lingua etiam Boccacius ſeruat. Vbi tamen aſperitas eſſet, reſpice ſonum meliorem. Tranſpones enim donec conſonent.

In Iunctura non ſit aſperitas conſonantium literarum in fine præcedentis, & principio ſequentis dictionis ſe collidentium. Neque ſit hiulca oratio, vocalium preſertim earundem obuiantium. Nec ſyllabæ vltimæ Prioris, ſint primæ poſterioris. Monoſyllabarum continuationem vitabis, & polyſyllabis intermiſces. Varietatem amabis, quæ numerum auribus intonet. Nec in his ſuperſtitioſus eris. Potius ſententiam, quam verba concinnabis. Eſt vbi aſpera requiritur, & vbi hiulca, &c. vide poeticam.

De Periodis.

ART. II.

DIuiditur tota oratio in periodos: quæ ſententias complectuntur in oratione conſperſas: Periodus ſecatur in membra, & inciſa; quæ ſanctus Hier. vocat cola, & commata, cum Græcis. Membrum eſt ſenſus numeris concluſus, ſed à corpore abruptus, ideo per ſe vim

non habet, vt manus abſciſſa. Vt *tu recubans ſub tegmine fagi.*

Inciſum eſt ſenſus concluſus non expleto numero: & ſæpè pars membri.

Periodus aliquando per circumſcriptionem fit, vt cum de primo ad finem expectatur ſenſus. Et iſte debet non vltrà quatuor membra progredi, vt concinnitati, & attentioni ſatisfaciat. Aliquando membratim, & in ſingulis membris eſt quaſi pauſa: & poteſt in plura membra procedere. Circumſcriptio Teleſius, ſed longiſſime; membratim Plato, loquitur. Breuibus vniuſque membri Plinius vti ſolet. Et Seneca: & hoc conuenit narrantibus, & laudantibus.

De Numeris orationis.

Art. III.

PEriodus recipit numerum inſtar carminis; qui ſpiritum auditoris afficiat lenitate, Iocunditate, & admiratione; nec tamen aduertat ex arte factum. Quapropter vitioſum eſt carminis pedes in periodis eadem ratione ſternere. Affectationem namque gloriolæ, aut vilitatem orationis, aut fallendi artem, oſtentares. Recipit oratio omnes pedes. Et ſemper variando in periodis aliis, aliter. Cauebis ergo traiectionem vocum, qua vtuntur, vt melius cadat, aut voluatur periodus. Item verba ſuperflua, & inania, quaſi ſaburra ad concinendum cum aliis numeroſè. Item conſimiles vbique cadentias vitabis. Sponte quidem numeroſam faciunt orationem contrapoſitiones ſimilium, & oppoſitorum, vti ſolet Aug. eloqui. Sed frequentatio vitioſa.

Byſſillabipedes quatuor ſunt, quibus orator vtitur, 3. Spondeus, ex duabus longis: & pyrrichius ex duabus breuibus: Iambus ex prima breui, & ſecunda longa; choreus è conuerſo.

Ex tribus ſyllabis ſunt. 8. Moloſſus ex tribus longis:

Tribracus ex 3. breuibus. Dactylus è longa, & breuibus. Anapestus è contra ex duabus breuibus, & vltima longa: Brachius ex breui, & duabus longis: Antibacchius è contra: Creticus ex longa, breui, & longa, Amphibaccus ex breui, longa, & breui.

Ex quatuor Pæon est ex vna longa, & ex tribus breuibus. Antipeom ex tribus breuibus & vna longa: proceleumaticus ex quatuor breuibus: Dochimus ex brachio, & iambo mistis.

Omnis oratio apud Cicer. capit pedes, maximè autem creticum dichoreum, dochimum, & pæonas. In oratione humili iambus laudatur; in ampla pæon: in vtroque dactylus; omnes tamen pedes intrant in omnes.

Initium periodi magnificum sit, quod dactylo, pæone, & cretico, sæpéque anapesto rectè fit. Interdum à spondeo, & dochimo exordimur.

Finem periodi tres pedes ornent, qui sint chorei, aut spondei, aut misti præsertim in grauibus. Laudat hîc Cicero creticum; & Arist. antipæona. Dochimus in grauibus commendatur. Sed *auris verba diiudicet*, vt ait Iob.

Medium exornent mixti ex longis breuibusque, ne cursitore, aut anhelare videaris. Peonem, & creticum, & bacchium, & dochimum approbant. Sed cum celeriter vis dicere, vtere pedibus breuioribus tempore, cum grauiter, longioribus.

Conueniunt acuto sermoni, quo docemus, & probamus, præsertim in confirmatione, & confutatione, libertas à vinculis ornatus, & figurarum, & numerorum, atque acumen rationis, quo penetres animos.

Vehementi verò, & amplificationi, quibus mouemus, viuificationes, & numeri graues, insigniter effluentes, & circumscriptim, ardenterque loqui.

Mediocri verò vt in procemiis, & laudibus, & rationibus, ornatus, & nitor, & harmonia multa.

Considerabis semper quis, & quibus, & quid dicit, prout ab initio considerabamus.

Non ſunt affectadi numeri, & regulæ: vſus enim & res facilitatem dicendi conciliabunt, vel repentè: melius eſt diſſolutè, vtque natura fert, quam affectatè, quod ſemper inutiliter, & noxiè fit, loqui per artem.

Appendix.

CVr tantopere placeant numeri, & figuræ in elocutione, multa dicunt; ſed non ex naturà rei. Nos autem in poëtica, quam ſequentis libri compendio conficiemus, ex noſtra Phyſiologia, & Metaphyſiologia; cauſas producemus. Nec quià placet numerus affectatus in carmine, quadrabit orationi. Poëta enim profitetur delectare: & iuxtà officium illi conceditur. Orator ſuadere. Qui autem tales delectationes affectat, artem detegit, quia capere Auditores per delectationem quæritat. Paſſiones enim diſcernere verum non ſinunt: licet in vero nos figant, vbi à ratione non errante proficiſcuntur: non autem vbi præcedunt; alibi dictum eſt nobis luculenter.

FINIS.

THOMÆ CAMPANELLÆ ORD. PRÆD.

RATIONALIS PHILOSOPHIÆ: PARS QVARTA.

Videlicet:

POETICORVM LIBER VNVS,

iuxta propria principia.

PARISIIS,

Apud IOANNEM DV BRAY, viâ Iacobæâ, ſub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVIII.

Cum Priuilegio Regis.

THOMÆ

CAMPANELLÆ POETICA.

POETICAM ESSE SAPIENTIS Architectonici artem instrumentalem ad propinandum iucundè facilè & inaduertenter Verum Bonumque nolentibus & incapacibus; idque Metro, & ideatione exempli efficere. Nec voluptatem esse finem gratia cuius, sed quo, ipsius Poëtæ. Differentiaq; illius a cæteris scientiis vocalibus.

CAP. I. ART. I.

QVEMADMODVM Dialectica in scholis & ad Philosophos rerum audire volentes personat: Rhetorica verò in templis, & in foro ad Senatum, & populum, & quicunque ad bona honesta vtiliaque propensi sunt alloquititur: sic Poëtica in Theatris, & in priuatis ædibus & vbique verum & bonum audire nolentes ità mul-

cet & decipit, vt dum voluptatis captandæ gratia vel alterius negocij prætextu audiunt; Veritatis, Bonitatisque præceptione salutifera iocundè afficiuntur; quas, nisi sic propinarentur, illi auersarentur vtique ex parte vel prorsus.

Videtur igitur *Poëtica instrumentum suadendi bonum, & verum, quatenus bonum, iocundè & inaduertentur, per sermones mirificè iocundéque figuratos*; quod aliæ scientiæ persimplices vix assequuntur. Idcircò rectè dictum est a nobis in precedenti libro dum de Rhetorica sermonem faceremus, *esse Poëticam Rhetoricam quandam figuratam*, quasi magicam; *quæ exempla ministrat ad suadendum bonum & dissuadendum malum delectabiliter iis, qui simplici verum & bonum audire nolunt, aut non possunt, aut nesciunt.* Omnis quidem Ars est donum, & proles sapientiæ diuinæ: ergo datur ad vtilitatem, vt dicit Apostolus. Igitur quæ ad perniciem exercentur, artes non sunt, vt doctè Chrysostomus probat: ergo sunt abusus, excrementa artium verarum. Si igitur poëtica Ars est, habet vsum in Rep. igitur instrumentum est legislatoris: quoniam nō circa Verum per se, sed circa bonum versatur. Igitur laudabit bonos, & virtutes: vitia detestabitur, & prauos; hic legem, & Religionem stabiliet, & cum voluptate propinabit præcepta, quibus Resp. & amicitiæ seruantur; quæ per se videntur difficilia, austeraque: voluptate tamen, de vase summi Boni stillante, perfusa, suauiter nostris instillantur sensibus, obedientesque nos faciunt. Quod enim cum voluptate hauritur, amatur, crescit, executioni datur: sicuti contra dolorifica nos absterrent; mediocria verò paucos habent sectatores. Persuadet quidem & Rhetor vtilia & honesta: cuius rei gratia laudat, vituperat, accusat, defendit, proponit obiecta voluntati, & singulis affectibus: quos & per obiecta excitat, & per dicentis vehementiam, & dictionis modulos, & per rationes quibus ligatur animus, sicuti in præcedenti libro dicebamus: item & voluptate profundit sermonem, vt auditorum subeat facilius animos: At dum ista operatur, tegit Artem,

profiteturque non voluptatem propinare, nec passiones mouere, sed iure, & ratione euincere quod persuadet: idcircò numeris latentibus vtitur, non autem metro, nec repræsentationibus. Poëta vero Quidquid ad voluptatem propinandam est idoneum, profitetur operari; nihilque aliud auditoribus pollicetur. Dum tamen hoc facit palam, & vulgi quasi moribus sese adaptans, propinat in vasculo voluptatis doctrinam vtilem; & abstrusas instillat sensibus veritates. Vt que id facere possit, duo vasa fabricatur, carmē & transfigurationes ideales rerum quas vult docere: accersit & à Musica melodiam, à pictura apparatum aliquando. Proprium tamen, quo à cunctis artificibus differt, metrum habet. Qui suauissimus est dicendi modus, innatus animæ, ipsamque rapiens mirificè, afficiensque sententia, quam secum fert. Occultat enim poëta sub voluptate doctrinam, sicuti Orator in doctrina voluptatē: ergo præposterus doctrinæ modus est poëtica, quoniam à voluntate, non ab intellectu incipit, vti cæteræ scientiæ. Afficit quidem melodia per vocis lenocinium, & per instrumenta, psalterium, cytharam, decachordum. At secum præceptum, & doctrinam ista non habent. Nec ad poëticam pertinent, sed ad alterius generis, licet affinis, Musicam. Qua etiam vtitur poëta, vt sua carmina dulcius hauriantur: quemadmodum Dauid mirificè consueuit, vtranque artem copulando; non tamen ad poëtam spectant, nec vtilitatem per se habent doctrinalem, sed mouent animos ad affectiones varias, iuxtà quas possint agere, aut discere quod optamus: vnde vtimur, in ecclesia musico cantu & sonis, qui sedēt ingentes animi passiones & ad pietatem, & deuationem rapiant: in prçlio vocibus rigidis & tuba & tympano, aspere mouentibus ad iram & alacritatem; vt concitus animus prælietur mortis periculum haud attendens, sed victoriam. In nuptiis verò, & theatris, titillantibus vocibus, & organis quæ ad lætitiam prouocant. Sic in cęteris pro rei conuenientia: Tantam cantus vim sapientes experti, carmina condiderunt sonora plerāque doctri-

nis: quæ dum mulcent, docent. Quapropter haud rectè Horatius dixit,

Nam prodesse volunt, aut delectare poëtæ Melius deinde ait.
Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.

Non enim delectat vt delectet poëta, sicuti Musica ægrum, sed vt doceat & pro sit. Qui ergo solummodo per se delectationes attendunt, finem suæ artis ignorant veluti qui venere cum vxore vtitur non prolis gratia, vt natura instituit, sed voluptatis tantum. Rectius S. Amb. certare doctrinam cum gratia in psalmodia dixit: cum psalmos exponeret. Præterea Rhetor suadet singulariter bonum partiale huic ciuitati, vel Regi, vel senatui, vel homini, & hic, & nunc, & ex proposito: sciunt enim omnes huius gratia fieri sermonem. Poëta verò omne bonum & omne verum & omnibus hominibus suadere potest, & vniuersaliter tractat. Et licet actiones singulares repræsentet, eas tamen tanquam ideas proponit, quæ vniuersaliter cunctis pro sunt, sicut de vultu Petri imagines exprimuntur plures, & de vita Christi perimitationem, sancti plurimi prodie runt, illam pro exemplari tenentes. Idcircò diximus poëtam propinare exempla Rhetori: describit enim heroës, Mulieres, sacerdotes, Meretrices, vitiosos virtuosos, euentus & fortunas istorum, laudes, & vituperia, vnde viuere discamus, mala auersari, bonáque sectari. Præterea Rhetor & alij artifices, eos, qui audire volunt, & possunt, & sciunt, docent, propriæ artis obiectum; vt bonum secundum nos Orator; Physicus veritatem naturæ: & aliæ aliud. Poëta verò docere potest omne verum, & omne bonum; & audire nolentes aut nescientes, aut non potentes, potest facere vt audiant, & suscipiant disciplinam. Et licet in Rhet. docuerimus idem per parabolas ab oratore fieri posse, id ex parte verum est, & quatenus poëtica virtute vtitur orator, & solum nolentes capit. Poëta verò etiam indoctos & discere non potentes mansuefacit, & docet: plus enim magiæ est in poëtica quam in Rhetorica, vt mox patebit.

Tandem dispositio poëmatis & orationis varia est. Hæc planior, & iuxta doctrinæ ordinem: illa artificiosior, & voluptatis ritum attendit, per quam illam prodesse mox pergit. Sicuti historiographus ordinem sectatur rerum, non doctrinæ, nec voluptatis. Tandem ideas poëta tractat: alij ideata:

NEC RECTE, NEC SVFFICIENTER *Aristotelem docuisse, quod naturale sit nobis metrum, & imitatio: nec Aphrodiensem asseclam Præterea nec voluptatem esse Motum, & affectionem totam simul in naturam proficiscentem, vt Arist. docet.*

CAP. II.

ART. I.

VNde nam tãtam sibi Carmen, & Musica Melodia voluptatẽ adsciscat, inquisierunt Veteres: sed minimè inuenerũt: immò neq; quid sit ipsa voluptas satis intellexerũt. Nos quidẽ in Metaph. & in 2. & 4. lib. de Sensu Rerũ, & in epilogismo Physiol. ista disputauimus: nunc quãtum nostro, cõfert proposito aliquid dicemus. *Arist. in sua poëtica naturalem esse homini imitationem, & Metrum docet: exque his ortam esse poëticam. Illud patet quoniam pueri quidquid vident, imitantur, & fingunt, quoniam imitatio est, qua discimus artes, homo vero natura disciplinabilis. Quapropter ait, gaudemus videre depictas tygres, & cadauera, quoniam addiscimus. Quæ tamen per se visa horrorem non voluptatem pariunt. Magis autem gaudemus si picta videmus, quæ viua præcognoueueramus, quoniam agnoscimus, & ratiocinamur, & addiscimus ratiocinando: alioquin non delectat imitatio, præterquam vel opificio, vel colore, aut alia ratione. Quapropter ipsa imitatio per se natura est nobis iocũnda: sic & Metrum, quo-*

niam imitatio est. Imitamur autem, ait, *aut solo numero, vt gestibus sicuti saltationibus exprimimus mores, repræsentamus: aut sola harmonia, sicut cum instrumenta sonora personamus ad præsentandum aliquid Molle, aut durum, aut pium. Vel sometro, vt poëta heroïcus, res, quas introducit, vel mistis vt qui canit Metra*: probatque *in problem. sect.* 19. *Metrum esse naturale, quoniam pueri cantu Mulcentur, quiescunt. Et hoc ideo quia inest numerus in cantu: numerus autem habet in se ordinem, ordo autem est familiaris naturæ: nam cum ordinatè bibimus, & Manducamus, & laboramus, naturam, viresque seruamus, & augemus. Inordinatè verò deprauamus naturam, & de suo statu remouemus.*

Rectè quidem Arist. natura nobis inesse imitationẽ, & cantus amorem docet: sed insufficienter. Dicendum enim erat, cur hominis natura istis delectatur actibus. Et cur alij aliter afficiuntur. Prætereà non rectè putat, quia in pictura ratiocinamur de viuis rebus, nos oblectari. Neque quia discimus. Nam si sic foret, potius in ea pictura oblectaremur, quæ ignotas res repræsentat, docetque, non quæ notas. Item cum viuas res videmus, ratiocinamur de rebus magis quam in pictura. Nec quia discimus artem: nam & qui picturam non discunt oblectantur pictura, ergò potius ex opificio est voluptas. Ars enim bona sensum boni efficit, qui est voluptas, vt dicemus. Preterea dicimus, si quid pictum bene est, *ô quam pulcrum*, etiam si sit monstrum, aut cadauer sectum. Si verò non artificiosè depictus est, si sit pictura pulcherrimæ nymphæ dicimus, *ô quam deformis*. Quapropter Arist. non attingit quæstionis solutionem. Cum verò Metra naturalia esse dicit, loquitur insufficienter. Neque enim cur naturalia. Similiter de cantu. At in problem. Meliora dixit, quia habet numerus ordinem, ordo verò naturæ amicus. Sed causam huius amicitiæ non explorauit, sed ab affectu ita tantũ esse docuit prætereà cur inordinata quoque placent, non dixit, dicendum quidem. Nam si pictor exercitum amisso ordine fugatum ritè depingat, delectabit. Similiter aliqui sonis obstreperis oblectantur, &

Rex ſcytharum auditum Muſicum irriſit, equorumque hinnitum approbauit magis. Sunt & intemperati homines, qui alio gaudent rerum ordine: & quod alteri eſt ordinatum, alteri inordinatum videtur. Item ordo prodeſt cognitioni non voluptati in anima quando non ex notitia, ſed ex motione fit. Quapropter Ariſt. loquitur quaſi coniectator, non quaſi Philoſophus ex rerum cauſis. Et qui multa loquitur incidit in aliquod verè dictum, rectéque.

Alexander autem eius aſſecla non contentus hoc reſponſo, confugit ad platonis dogma in primo problem. ſuorum lib. p. 121 dicens, *ſcientias & numeros ineſſe naturà nobis inſitos, ſed animam corporis laboribus occupatam, oblitam eſſe. A ſono autem excitari puerum, ac reminiſci, ſcientia muſicæ ſibi connaturalis, ſicuti calor eſt igni naturalis: ideóque oblectari, mulceri, & mox dormire.*

Sed hæc ratio declarat occultum per occultius. Neque in Ariſt. doctrina probatur, & ipſemet Aphrod. in lib. de anima, ipſam improbauit. Præterea ſi ſic foret, quantúmque ſcientiam audiens infans oblectaretur, maximi verò maximis, vt Metap & Theol. cuius contrarium experimur. Sed de hac ſententia diſputauimus alibi. Patet ergo nequaquam poſitionis ſuæ peripateticos rationem ex propriis dogmatis poſſe reddere.

Quid autem ſit *voluptas* quærens Ariſt. in primò Rhet. infert, *eſſe motum animi quẽdam, & affectionem totam ſimul, & ſenſibiliter in naturam proficiſcentem. Dolorem è contra. Et ideò conſueta, & quæ abſque vi ſiunt, vt ſonus, deſidia, Iocus, carentia mali, & huius memoria, iucunda eſſe, &c.* Sed in his verbis neſcit quid dicat. Nam non ſolum Iucundum eſt dormire, & quieſcere, & conſueta aggredi: ſed etiam labòrare propter victum, aut propter filios, & amaſiam, item belligerare, vincere, & pati pro re amata. Ibant & Apoſtoli gaudentes, quando digni habiti ſunt contumeliam pati pro Chriſto. Quapropter neque motus eſt voluptas, neque affectio ſenſibiliter tota in naturam proficiſcens, quando & in doloribus & lacrimis vo-

luptatem experimur, quod Arist. non negat. Item videtur coniectatoris non Philosophi ista definitio. Essentiam enim & causam voluptatis non explicat. Neque cur in venere morbosa, & in cibis noxiis naturæ, tanta sit voluptas hinc doceri potest: & vbi multa contra naturam fiunt. Item si motus animi est voluptas, quies & somnus erunt iniocundi: Motui enim animi contrariantur: sicut, Arist. sibi. De quibus in Methap. disputauimus. Quapropter his omissis veritatem aperiamus quatenus huic libello conuenire potest.

Voluptatem esse effectionem, sequentem sensum boni coniuncti nobis. Bonum esse id, quod nos conseruat quacunque conseruatione: & imitationem propterea esse voluptuosam, quoniam est artis, qua seruatur humanum genus, exordium, & constitutio. Item quia signum sapientiæ, & potentiæ humanæ: & non quia addiscimus imitatas res, vt Arist putat, nisi per accidens. Melodiam vero ac metrum non esse Iocunda quia sunt imitationes, vt ille ait: sed quia spiritum in suo esse, & ratione seruant immediatè non quia signa aut principium bonorum, nisi per accidens. Et de efficacitate Musicæ Carminis. Et quod non sit eadem nobis & mundo, & rebus aliis, &c.

Art. II.

Dicimus ergò voluptatem esse vel sensum boni, vel fructum, qui ad sensum boni sequitur. Bonum autem est quod seruat, idcirò enim appetitur. Ergo voluptas est sensus conseruationis. Dolor vero mali ac destructionis. Conseruatur autem aut in nobis aut in filiis aut in fama, aut in Deo. Quæcunque ergò res huiusmodi conseruationes nobis adhibent aut sicut signa dicuntur bona: vtilia

vtilia quidem abuſu, & quia ſunt Media, & non attingunt finem; Honeſta verò ab honore & dignitate, quoniam & finem attingunt. Vtilia ſunt diuitiæ, ſerui, amici, predia, Ciuitas, vxor, filij, veſtes, cibi; & quidquid nos conſeruat aliqua dictarum conſeruationem. Honeſta ſunt virtutes & geſta magnanima, & memoriæ inſignes, præcipuè autem virtus: qua omnia bona vtilia nobis comparamus. Bona verò corporis, vt ſalus, forma, vires, participant vtilitatem, honeſtatemque ſimul. Artes autem, quoniam filiæ ſunt virtutis, & virium, præſertim ſolertiæ & ſapientiæ, quæ viribus corporis vtitur ad artes exercendas, vtiliſſimæ ſunt Mortalibus. Quapropter cum Ars ſit imitatio naturæ, imitatioque ſit Artium principium, & ſolertiæ actus, iucunditatem habet multam: quoniam parit nobis omnia bona vtilia humanæ conſeruationi. Iucunditas enim ſenſus eſt, vel affectio ſequens ſenſum cõſeruationis, vbicunque ſentitur. Contingit autem vno modo deſtrui, & altero ſeruari: & illa deſtructione reperiri ſenſum aliuſmodi conſeruationis. Voluptas ergo eſt tribulatio Apoſtolis, non quia eſt tribulatio, & deſtructio corporis, ſed quia eſt pro Deo. Et ſe conſeruationem ſui in Deo meliorem ſortiri ſentiunt in tribulatione, & per tribulationem. Sic æger iucundatur dum amaram potat Medicinam, non ex amaritudine, ſed quia ſentit in illa ſanitatem in eſſe. In coïtu iucundamur, quatenus ſenſimus conſeruationem noſtram in filiis; & ex cibo, in nobis. Et quamuis ſciamus in coïtu, vnde proles non fit, nos per illum non conſeruari, & in cibo noxio ſimiliter, nihilominus quia iſti actus propter tales conſeruationes à natura inſtituti ſunt, nec eos exequuturi eſſemus, cum ſint laborioſi, abſque voluptate attrahente, remanet ille ſenſus in ditus in quouis huiaſmodi actu. Neque enim quia nos abutimur; natura ſuum aufert vſum. Niſi fabrica naturalis membrorum deſtruatur ità vt ſemen calidum non afficiat minus calidum anguſtumque meatum voluptate. Natura ſuo muneri non de eſt, & ſi Ars deſit. Quapropter in his eſt pugna & Meritum, & demeritum,

si tantum eas voluptates captemus, quæ verum bonum habent, verique boni, vel melioris sunt sensus, & prælagia; vel è contra. Hoc negotium subtiliter examinatur in Metap. Et quomodo Deus ad exercitium ita cōdidit corpora nostra: & miscuit cunctis rebus voluptatem, & Mala, bonáque simul. Quæ sapientia, discernat; voluntas teneat, vel respuat; & virtus aggrediatur, vel auersetur. Imitatio igitur habet voluptatem, quia procurat bona vtilia, ac in se sensum conseruationis sicut in causa habet. Quæ vero habent sensum conseruationis sicuti in signo, dicuntur pulcra: pulcrum est indicium boni, & illud nobis repræsentat: Ideoque amabile. Sic cum picturā Draconis nobis inimici & odiosi intuemur, nō propterea gaudemus, vti Arist. docet, quia addiscimus, & ratiocinamur, sed quia illa pictura ostendit nobis ex opificio artem pictoris excellentem, Ars autem est conseruatiua generis humani, ideò in se sensum voluptatis habet. Quapropter siquis imperitus depingeret Dianā formosissimam ineptè, diceremus, picturam illam turpem, & imaginem turpem quia Artis parum conseruantis est indicium, quemadmodum è contra, dicimus pulcram simiam depictam à M. Angelo pictore sapientissimo: Quoniam est indicium artis magnæ: & Infernus Dantis poëtæ est pulcrior suo ipsius Paradiso, quoniam melius imitatur personas, & pœnas, cum describit infernum, quam personas & omnia, cum paradisum. Poëta igitur bene imitans quod dicit, iucundus est; ineptè verè, insulsus, & odibilis. Repræsentat enim artis inopiam, quæ est destructionis indicium. Sic, cum videmus ægrotos, & miseros, & captiuos, horrescimus, quoniam sunt homines, nostri similes, ac proinde nostram miseriam, & destructionem repræsentant. Cum autem videmus sanos, viuidos, liberos, benè vestitos, iucundamur, quoniam nostrę naturę sentimus fælicitatem, & conseruationem. At vir sanctus qui sensu altiori videt mala bonaque, ex his alia emersura, gaudebit videns pauperem patientem, quoniam in eo paradisi gloriam illi debitam præuidet; tristatur in diui-

ĉe superbo, quando destructionem infernalem præcogitat. Quapropter eadem sunt pulcra & turpia, bona, & mala, aliis atque aliis comparata conseruationibus, & sensibus considerantium. Imitatio igitur placet, quia est causa conseruationis; quod verò imitatur, placet illud vt effectus & signum: & sic est pictura, & fabula, & metaphora, vt infra dicemus. Et ista non nostri tantum sed communi totius naturæ humanæ conseruationem spondent, ideóque voluptatis sensum habent. Sic & Philosophia, & omnes scientiæ: quoniam per illas mala bonaque scimus, & proinde cauere, & sequi, & seruari. Et quamuis non sint in nobis, sed in aliis, quoniam tantum cum aliis seruamur, placent, præterquam in inimicis, quatenus arte contra nos vti possunt. Placent tamen etiam in inimicis virtutes, & artes, quatenus indicant nobis naturæ humanæ dignitatem, & potentiam, cuius nos naturæ participes sumus.

Melodia autem & metrum alia ratione: sed ex eadem radice iocunda sunt, videlicet, quoniam seruant nos in nobis immediatè. Et dico, per se. Nam per accidens etiam placent, quatenus naturæ communis sapientis, & potentis, sunt indicia, & Patriæ, & nostri conseruatiua. Est quidem in nobis spiritus calidus, subtilis, mobilis, lucidus, habitans in cerebri cauitatibus, inde & per neruos se diffundens, totum corpus sensificans & mouens: & opera sensus, & motus, & nutritionis exercens. Huic Mens, à Deo infusa, principaliter insidet, eo tanquam instrumento vtens ad omnes operationes, sicuti in 2. de Sensu Rerum docuimus. Cumque iste spiritus sit natura Mobilis, gaudet Motu, quoniam inuitatur ad operationem sui natiuam, qui est Motus. Item ventilatur, amplificatur, roboratur, & fuliginibus infestantibus purgatur. Sonus autem, & cantus, motus sunt per aërem spiritum communem, delati in tympanum in centro aurium, vbi spiritus è cerebro exiens, se agitari ab exterioribus motibus sentit, ac proinde per motus ipsa mobilia cognoscit per consuetudinem discernendo vocem Petri à

voce Fabij, & tibiæ, & lapidis, & ligni ictus, & argenti, & campanæ, & aliarum rerum. At a rebus vehementer mouentibus, destruitur, quia vel motus sunt nimis graues, vt bombardarum; qui ipsum incerebri cauitatibus obtrudunt, verberantque, à sui symetria tollunt. Aut sunt acuti, qui ipsum lacerant, diuidunt, & à sui dispositione remouent, quod destructionis est pars, initiumque. Oblectatur ergò sonis mediocribus vt plurimum (nam in bello gaudet asperis qui ad prelium animant, & alibi aliis prò negocij conuenientia) ex que Mediocribus illis sibi confecit melodiam, Musicamque, quæ sonis grauibus & acutis constat, aliis agitantibus, aliis penetrantibus, aliis lambentibus, & titillantibus & mouentibus prout conseruationi suæ prodest. Meritóque illis gaudet: sensus enim conseruationis est gaudium. Non ergò est gaudium in Musica propter accidens, & extrinsecus sed propter conseruationem spiritus. Neque quià est numerus in Musica, & in numero ordo; quocunque enim fiat ritu, & dispositione, delectat, quia spiritum inuitat iuuatque ad sui operationem, amplificat, purgatque. Et quià alij spiritus sunt tenuiores alij crassiores alij puriores, alij debiles, alij robustiores, idcircò alij graui, alij tenui, alij aspera, alij leni mælodia iucundantur magis, quilibet prosui mensura. Sicuti sapores alij, aliis placet. Et temperari ex aceto & vnctuoso liquore faciunt Musicã in lingua. Seorsum vix placent: immo oleum displicet. Quapropter vim habet Musica inmutandis moribus, & sanandis morbis, vt dicebamus in 4. de Seusu Rerum. In Apulia morsos Tarantula sanat, dum ad saltandum impellit, & sudandum: cum quo sudore venenum egreditur. Et Helisæus à Musico spiritum suum iratum sedari fecit, vt aptus fieret Menti illustrandæ per influxum Diuinum & prophetiæ: & pythagoras ebrios sanat musica, ventilans spiritus, attenuansque & à motibus prauis ad probos reuocans. Ex his liquet quare metrum placeat, quoniam videlicet vocabula ita cõnexa sunt in eo, vt moueant spiritum ad mensuram sibi connaturalem. Non parum,

vt voces curtæ, neque in longum, vt longiores: neque velociter, vt breues, neque tardè, vt longe dictiones, sed exhis contemperatur sicuti Melodia: hinc orta est pedum motitia, quibus metrum ambulat. Sicuti mensura, qua vtuntur musici ex motu nustri pulsus designata: constat tamen omnes voces in mũdo, & ad mundum esse sonoras, & alias ad alias res. nostras autem nonnisi nobis, sic si contemperentur. Quapropter non datur metrum cunctis cõmune, sicuti neque sapor dulcis est omnibus dulcis, alioquin omne animal comederet mel. Neque amarus nobis, est omnibus amarus. Et enim capra genistris vescuntur, quæ nobis sunt amarissimæ. Frustrà Plato, pythagoras ex nostra Musica mundi musicam componunt. Delirãt quidem non secus, ac qui ex nostris saporibus sapores mũdi aceret, & ex odoribus odores. Fætet nobis cadauer, non cani, & coruo, nec cælo & terræ. Nec angelo, & Deo, Deo quidem nihil contrarium: nam quidquid est, à Deo. Si ergò est harmonia in cælo, & in Angelis, alterius est rationis. Et alias habet consonantias, quã diapente, & diatesseron, & diapason. Vtrum autem analogas istis, alibi dictum est. Item vox nostra illis est sicut nobis vox formicæ. Et vox ipsorum minima excedit omne per magnum tonitruum: neque nobis est musica, sed excedens valdè. Quapropter rectissimè sanctus Thomas non putat Animas nostras posse beari, vt videant Deum per essentiam, nisi prius eleuentur, & confortentur lumine glorifico. Quas ob[illegible]det Metrum delectationem habere, quoniam spirit[illegible] ad sui mensuram mouet, non quia imitatur, res exteriores, nisi per accidens: sed quia ipsius spiritus mensuram imitatur & seruat. Simile enim à simili seruatur. Sub hac voluptate tanquam sub esca asconDit poëta sapientiam, quasi hamum, quo capit renitentes virtutibus animos.

Si finis Poëtæ esset delectatio, & non vtilitas, rectè fecerunt qui carmina docta, & indocta ex nefandis amoribus condiderunt. At voluptas non est finis artis. Neque amor nefarius nec melodia artem poëtæ commendant: quoniam per se, & ab extrinseco delectant. Voluptas autem, poëticæ effectus, alia est, ex qua laudem meretur poëta ab intrinseco.

Art. III.

REctè diximus in præcedenti libro, bonum aliud esse simpliciter, vt ens, & Deus primum ens: aliud rei vnicuique bonum simpliciter, vt suum esse conseruatioque illius; aliud secundum nos, vnde deduximus, quidquid nos conseruat esse bonum nobis, & dici vtile, & honestum, prout diuerso conseruat modo conseruationis. Neque inueniri in natura bonum iucundum separatum, ab his. Quapropter qui delectare volunt, indigent omnium bonorum notitia. Diximus & in pulcro esse delectationem, quatenus est boni indicium. Nunc hoc declarare oportet, quoniam poëtæ Aristotelis sequaces propter delectationem solam suam Artem exercent, vnde consequens est, vt ex quacunque re, quæ voluptatem habet, poësim constituant. Sic Martialis & Catullus, qui doctus cognominari meruit, ex nefand[illegible]ribus, per carmina dulcissima propinant voluptatem. [illegible]oratius & Ouidius similiter. Nec poëma vllum absque amore nefando apud hos saporem habet. Sic Virgilius priapeiam fecit: in qua Aretinus ipsũ exuperauit. Et Molza Fichcã. Seculũ scatuit iam talibus poëmatis, & dialogis, vt apud Calam, & Francũ, Berniam & Ariostũ, aliosque huius farinæ scriptores inuenies. Et quidem si voluptas esset poëticæ finis rectè facerent. Nam & antiqui Philosophiam fabulosam confecerunt, ex Amoribus nefandis confertam, parabolicè sermonem transfigurantem. Itaque dum voluptatis car-

men pangunt, ſcientiam docent. Habemus in Ouidij Transformationibus Amores Apollinis, & Dafnidis, & Clitiæ; Myrrhæ, & patris; Biblis & fratris. Contentiones Palladis, Iunonis, & Veneris, id eſt, Sapientiæ, Potentiæ, & Amoris. Ægyptij quoque figuras hieroglificas eiuſmodi fecerunt. Nam ſtatua pudendum contrectans diffuſiuam vim Numinis eis pręſentabat. Hinc ſacra Priapo; quæ etiam Hebreis idolatris non defuerunt. Mater enim Regis Abiæ ſacerdos in illis erat. Hinc Adonis adoratio defuncti in Libano monte in veneris complexu: quam Cyprij, & Iudæi, teſte Ezechiele, venerati ſunt, plangentes Adonidem. Quod renouat laſciuus Marinus in ſeculo noſtro. Homerus autem abſque his loqui neſcit voluptatibus. Et deorum adulteria nefandos coitus placiturus canit.

At quidem has voluptates introducere non eſt artis Munus. Perſe enim venereæ res delectant. Nec poëta meretur laudem, quoniam abhis delectat, ſicuti neque quoniam à cantu, & Melodia, quæ aliunde mutuatur, non ex Artis penu educit. Præterea finis poëtæ eſt delectare, delectatione vera vtilique: at in nefandorum amorum Metris eſt pernicies, & Reip. & morum: igitur præter artem operantur, non ſecus ac Medicus, quando propinat ægrotis quidquid ipſi cupiunt, non quod Medicina præſcribit. Quod potius coquinarię artis eſt: Coquus enim non vt proſit, epulum hero parat, ſed vt delectet ac benè ſapiat. Tantum ergo diſtat poëta bonus à prauo, quantum Medicus à Coquo. Et Magiſter pueri à Mancipio. Ille docet, & prodeſt. Iſte adulatur & obeſt. Fingat ergò poëta te delectare, vt poſſit iuuare. Quapropter de voluptate penitius inquiramus oportet.

Voluptatem in vltimo fine tantum propter se esse, in mediis verò, & in cunctis rebus humanis, alterius boni gratia prælibari, omniaque bona esse conseruationis caussas, aut dispositiones, aut indicia, ideo sensum eorum esse voluptatem. Errare autem homines, qui ipsam præripiunt, non prælibant: in mediis ponunt finem, ideóque ad finem non peruenire. Nec vtilia, nec honesta propter se expeti. Probaturque vniuersaliter in cunctis. Iterúmque quid sit voluptas.

Art. IV.

Voluptatem per se bonam equidem dico, vbi pura est, vti in Deo: ac propter se expetendam similiter probem: vbi verò est impura, hoc est cõmista malis & bonis secundum nos, nequaquam est propter se expetenda, licet per se sit bona: hoc nos natura docet. Nam nulla in re posuit voluptatem, voluptatis gratia, sed propter alium finem. Voluptas est in coitu venereo: attamen natura non instituit coitum propter voluptatem, sed propter propagationem prolis, & conseruationem speciei. Si enim propter se esset voluptas, non in coïtu, sed in alia rei cuius non sit alius finis nisi ipsamet, posita esset. Similiter magna voluptas in cibo, & potu, quæ saturis nobis abest. Ergò non propter se inest: sed vt cibo & potu haustis reficiatur quod à corpore calor educit, & augeatur corpus ad sui mensuram. Voluptas est in lucrando, non propter se, sed quatenus lucrum, vtile bonum conseruationi præstat. In honoribus quoque voluptas, quoniam honore cònseruamur. Turpes enim scelestique viuere cum cæteris non possunt. Conseruat quoque honor hominem infama. Quapropter vbicumque inuenitur voluptas, alterius boni gratia inuenitur. Tota autem ad conseruationem spectat. Quidquid enim aliquo pacto

pacto conseruat, voluptuosum est. Quoniam enim Deus semper est: & quæcunque sunt, ab illo sunt: & quæ nos in se seruant ab illo habent, vt seruare possint; idcircò voluptas sensus est beatitudinis. Doctissimè igitur sanctus Ambrosius in prologo super psalmos delectationem incentiuum esse beatitudinis docet, sed à diabolo factam esse calcar erroris: dum propter se non propter finem vltimum appetitur. Quasi si quis cibo, & venere vtatur, vt delectetur, non autem vt seruetur in se, & in filiis. Sic enim homo præipit finem, non prælibat. Deus autem & Natura vt prælibemus, non vt præcipiamus, voluptatem laboribus instillauit. Neque enim homo tot labores pro pane acquirendo in mercatura, agricultura, pastorali, militia, aliisque in artibus, subiret; nec in vxore nutrienda; & custodienda, & allicienda: nec in ciuibus, & patria tuendis per militiam, & artes, & scientiarum studia, nisi præfatis in rebus voluptas esset, quæ sensus est conseruationis in se, in filiis, in fama: & in Deo tandem: quoniam aliæ deficiunt, hæc sola æterna est. Voluptatem ergo in Deo expectamus post huiusmodi labores, in quibus ipsam præsagimus tantum. Posteà verò, teste Dauid, *voluptatis torrente potabimur*, *vbi est fons vitæ.* Sensus enim vitæ veræ est vera voluptas.

Dum autem sumus in via vbi mala bonis sunt mista, nequaquam omnis voluptas est eligenda, nisi quæ plus boni, quam mali habet: nec propter se, sed gratia finis vltimi, à quo media mutuantur voluptatem, vt possint ad illum nos allicere, perducereque. In hoc ergo stat poëtæ industria, vt voluptate alliciat nos, sicuti natura facit, non ad voluptatem, sed ad bonum verum, & ad media quibus verum bonum consequamur inquantum media, non inquantum finis, qui enim in medio ponit finem suum, ad finem non peruenit. Sicuti qui in potu ponit finem, & non in sanitate quæ ex potu quæritur, is ebriosus fit, & podagris & chiragris, & aliis morbis, quæ sanitatem tollunt, abundabit. Hoc autem sciendum, quod in mediis præcedit voluptas, in fine subsequitur.

Sed ibi ficta quasi; hic vera.

Voluptas enim est affectio sensus boni coniuncti potētiæ appetitiuæ illius. Desiderium verò, & spes, & amor, & memoria, est boni absentis. Cum igitur iucundamur de bonis absentibus, propterea iucundamur, quod aliquo pacto coniuncta sunt nobis per imaginem præcognitam in memoria, vel in simili præhabitam in notitiis absentium. Ex his tamen patet, quòd nulla voluptas reperitur, quæ in apprehensione alicuius boni non consistat; siue vtilis siue honesti. Neque tamen est aliud vtile ab honesto. Omne quippe verè vtile, honestum est, & omne honestum vtile; dicitur tamen vtile ab vsu, quoniam non per se expetitur, sed ad alterius rei vsum, vt cibus, rastrū, scriptura, predium: honestum verò ab honore, quoniam honore dignum est, quod multa bona in se habet, fini nos proximat. Vnde virtus est Maximè honorabilis, non quia propter se appetitur, vt dicit Arist. & Stoïci, sed quoniam vicinior est summo bono, & conseruat magis, & vtilia bona parat. Conseruatio autem propter se expetitur, nec tamen honesta aut vtilis dicitur, sed bona tantum. Immo homines honorant, quod maximè prodest hominibus, non quod maximè bonum, nisi etiam prosit. Liberalitas, & beneficentia magis honorantur quam sapientia; & diuitiæ magis quam heroïca gesta: cum vtrumque sit vtile, illud ad conseruationem in se, hoc in fama. Et tamen hoc honestum, illud vtile. Honoratur & gladius, & ligo ab vtentibus, non tamen eo honore, quo animatæ res & virtutes, quibus omnia bona acquirimus. Sed potius laudatur & seruatur. In omnibus tamen bonis est voluptas, & sine illis non reperitur.

Probatur vniuersaliter, quod omnis iucunditas sit à bono, vel propter bonum vtile honestumvè, & de iucundis.

Art. V.

QVapropter omnia iucunda, quæ Arist. in Rhet. enumerat, iucunda sunt, quia vtilia vel honesta, vel ipsorum indicia, aut causæ, aut dispositiones, aut effectus, aut concomitantiæ. Ait primo: *Omne naturale nobis iucundum esse, similiter & consuetum, quia consuetudo est altera natura.* Sed quare naturale sit iucundum non docet ipse nos autem idcircò dicimus, quia conseruat nos in nobis, aut in filiis, aut in fama, aut in Deo. At si nos in Deo non seruat, profectò in iucundum idcircò efficitur. Quapropter & virginitatem matrimonio anteponimus, quatenus illa magis quam istud, nos in Deo seruat. Et aliquando iucundum est abstinere à cibo desiderato, vt filius aut amicus famelicus illo vescatur: quoniam in illis nos seruari credimus: & minus bonum nostrum maiori ipsorum bono post ponimus. Diximus quoque in moralibus, eligendam esse nobis amissionem vnius in bonis fortunæ, vbi amicus lucratur tria, non autem vbi duo quoniam in illis tribus est vnum nostrum, & duo insuper amici. Si autem non nisi vnum nostrum, & vnum amici, nil lucri accedit. In bonis verò corporis eligenda est amissio vnius, vbi quintuplex est socij lucrum: in animi vnius, vbi vndecim ipse lucratur. Quoniam nos in amicis seruamur, ideoque iucundum est pati pro illis. Item & lacrymari, & dolere. Maximè pro amasia, in qua speramus voluptatem; & pro Principe, in quo honorem & diuitias. Fallitur tamẽ homo quandocunque voluptatem solam habet pro fine. Est etiam in plãctu voluptas, quoniam recordamur boni amissi, & per planctum præsens illud nobis facimus: & S. Aug. lacrymari pro Deo suauissimum experiebatur: quoniam se per lacrymas illum amare, & promereri quasi sentie-

bat; suaue ocium, & desidiam & somnum, dixit Arist. quoniam sunt secundum naturam. Ego verò, dico, quoniam conseruant, aut quoniam laboris, destructiui, sunt expertia: at considerantes mala ex somno, & ocio nascentia, odimus somnum & ocium, & suauitatem fallacem: non quià suauitas, sed quià sub ipsa latet Virus, vt anguis inter flores. Vlcisci iucundum dicit Arist. & iram dulcem, vt Homerus, & Dantes cecinerunt, non quia aliena mala delectant, sed quia nostra mala extinguunt. Et quod Arist. dicit, quoniam irascimur contra quos possumus vincere, & ira est signum nostræ fortitudinis, verum est. Sed hæc voluptas est ab indicio, illa verò ab obiecto. Victoria res iucundissima, quoniam coniungit nobis dominatum, quod bonum est honestum: & repræsentat nostram virtutem, qua seruamur in nobis & in fama. Victoria per insidias est turpis & in iocunda, quatenus index est fraudulentæ timiditatis non si prudentiæ.

Honorari & admirari, & adulari ab aliis iucundum est, quoniam indicia sunt in nobis inesse virtutes, quæ talia merentur obsequia. Sed qui sapit, & conscius est suæ vitiositatis, abominatur honorem, nisi fingat. Maximè autem qui meliora bona volunt per hanc fugam promereri. Vt Dauid cum non vult vlcisci conuitia Semei, vt à Deo misericordiam propter illa extorqueret: Beneficientia, & omnis virtus, & dominatio, reprehendere alios, iucunda sunt, quoniam signa, aut causæ bonorum, nobis coniunctæ, aut nostro generi.

Tandem suaue est meminisse malorum vt ait Virgilius, quoniam carentia mali, est bonum, coniunctum, ait Arist. Nos verò addimus, quoniam signum est virtutis nostræ vel auxilij diuini in nobis, quibus mala superauimus. Item Lucretius ait. *Suaue mari magno, turbantibus æquore ventis.*

E terra magnum alterius spectare laborem.
Suaue etiam belli certamina magna tueri, &c.
Non quia vexari quemquam est iucunda voluptas:
Sed quibus ipse malis careas, quia cernere suaue est, &c.

Nos verò addimus, quoniam virtutem hominum, nostræque naturæ ſpectamus, quibus mala vincunt tanta; & in nobis illam eſſe aliquo pacto cogitamus. Præterea addiſcimus abſque noſtro periculo ex aliorum malis mala vitare. Præterea auxilia cæleſtia intelligimus, aliaque multa cogitantes Philoſophamur. Hoc autem bonum eſt conſeruans nos valdè. Item ſicut cum videmus languidos noſtræ imbecillitatis admonemur, ſic cum videmus fortes ſtrenuè agentes, noſtræ indicia poteſtatis, gaudemus. Et quamuis dum in poëmate iſta repræſentantur, ſciamus eſſe ficta, tamen gaudemus, ſicut imaginem amaſiæ ſpectans fictam. Ego quando Orlandi virtutes, & beneficientias, & magnanimos actus, lego, & ignauorum deteſtationem in Arioſto, afficior quaſi præſentibus, ſæpéque ploro. Maximepropter veritatē tamen cū Iſaïam lego, & Dei promiſſa intelligo tanquam præſentia. Tandem ait Ariſt. *Imitari iucundum, quoniam addiſcimus. Non enim illo lætamur quod imitamur, ſed quoniam ratiocinationem facimus quod hoc pictum eſt illud quod prius verum videbamus; quare aliquid accidit addiſcere.* Quibus in verbis Ariſtoteles confirmat errorem memoratum in poëtica. Quid enim addiſcimus videndo Cæſarem pictum, quem videramus viuum? quod ſc. iſte ſit ille. Sed ſi ſic, ergò & quando viuū iterum video magis oblectabor quoniā re addiſco, quod iſte hodiernus ſit ille heſternus. Nō eſt iſta oblectatio imitationis, ſed in indicio artis, qua ſeruatur humanum genus, ſicuti antea dicebamus. Nam ſi prauè pingat quis, licet dicamus, iſte eſt ille, & ratiocinio difficiliori, quià minus benè aſſimilauit, non tamen iucundamur, ſed iraſcimur, aut irridemus. Voluptas ergo omnis eſt ſenſus boni affectio, & acceſſitur à conſeruatione, & conſeruatiuis. Dolor è contra mali &c. Caueat poëta ne voluptate fallaci alliciat, ſed vera, multorum bonorum comite.

Cur videatur esse aliquando Iucundum separatum ab vtili, & honesto, cum noscit.

Art. VI.

VTrum autem sit aliqua res iucunda, quæ solam voluptatem præstet absque vllo alio bono, nondum vidi. Et enim & si sæpè cibi noxij, & potus, & venus, solam voluptatem habeant, & vnà perniciem, & dolores, vnde nec vtilia nec honesta dicimus, sed iucunda: nihilominus voluptas illa est conseruationis gratia, quæ ex cibo, & venere habetur. Sed quia eligitur sola voluptas per se, erramus. Sicuti timor datus est, vt à malis caueamus: at si solum timemus & non caueמus; nec fugimus, abutimur naturæ dono. Omnis enim passio vtilis est, si bene vtimur, & noxia, si malè. Fit enim vitium. Iam de Musica diximus quomodo seruet spiritum ventilando, & amplificando, & ideò iucunda. At illud nosse oportet, hominem non vnam esse rem simplicem: sed mentē spiritū, corpus: & hoc carnem, ossa, neruos, sanguinem, caput, pedes, ventrem, &c. idcircò fit vt quod vni membro, aut parti est iucundum & vtile, alteri sit nociuum, & dolorificum. Aqua frigida linguæ iucunda febricitantis, ventriculo forte etiam sed quia spiritus contra morbum pugnantes impedit aut debilitat, noxia est. Sic quæ corpori placent, obsunt animæ. Idcircò distinguat vtilitates, & damna qui poëticam rectè exercet: & meliora bona in melioribus vasculis propinet meliori quo potest modo.

Poëtas vt plurimum voluptate allicere: quæ est in signo boni, non in bono. Signumque boni esse Pulcritudinem: ideoque de pulcro multi iuga doctrina, poëtæ necessaria.

Art. VII.

QVoniā verò poëta non allicit tantum voluptate, quæ est in bono, quantum ea, quæ est in pulcro: non enim res, sed signa rerum in Fabulis, & Metaphoris tradit: signa autem boni rationem habent pulcri: mali verò, Turpis: ideò quid sit pulcrum optimè calleat est opus. Pulcritudinem igitur dicimus apparentiam boni. Bona autem sunt prinncipalia, & per se, Potentia, Sapientia, & Amor. hæ namque primalitates dant esse, ac seruant: horum igitur indicia sunt Pulcritudines: Oppositorum, Turpitudines. Ergò omnia virtutum indicia, & Artium, sunt pulcra. Item rerum, quæ conseruant sunt pulcra in quacunque quatuor conseruationum. Adeò quod ipsa mala penæ quando à virtute considerantur effecta, pulcra sunt. Vt Mandricardus pulcra vulnera in corporibus Maurorum sibi amicorum, esse dixit, quoniam erant magna, indicabantque vires Orlandi vulneratoris magnas: & S. August. pulcras exossationes, & decorticationes in corpore sancti Vincentij vocat, quoniam indicia sunt eius tolerantiæ. Sed quatenus sunt signa crudelitatis Datiani tyranni, & carnificum, sunt turpia. Pulcrum mori in armis, dixit Virgilius, quoniam fortis animi signum. Pulcher Catellus amasiæ videtur amanti, quoniam amasiam indicat. & vrina, & excrementa, quando sanitatem indicant, pulcra appellantur Medicis. Quapropter nihil est, quod non sit pulcrū simul, & turpe. Pulcrum dum bona indicant conseruatiua, turpe dum mala destructiua: fæminæ sunt pulcræ quatenus conseruationem in filiis habent. Mares quatenus in se; senectus quatenus prudentiæ signum; Iuuentus, quatenus roboris. E contra turpis senectus & canities, quia imbecillitatem, & mor-

tem annunciat: Iuuentus, verò quià stultitiam. In his sagacissimum oportet esse poëtam. In omni autem pulcro voluptas est vt sic; vt turpe, dolor, & tristitia: vide nostram cantionem de pulcro. Et de composita & simplici pulcritudine. Et quomodo proportio membrorum, & color, & Motus agilis, & vox sunt indicia potētiæ & sapiētiæ formatricis nostræ rectè vel non recte, & vbi, & quando. In Metaph. de pulcro locupletissimè diximus. Et Caieta. noster elegātem edidit libellum. Peripatetici autem nondum quid sit pulcrum nosse aut considerasse videntur.

POETAM INDIGERE AD docendum facilè & Iucundè sermonis inuersione, vt abstrusum in claro, & in Iucundum in Iucundo aspiciamus & doceamur. Ideoque alias esse verborum transfigurationes, vt Metaphoras, antonomasias, periphrases: alias sensuum sermonis, vt ironiam, allegoriam, parabolam, ęnigma & fabulam. Quæ fiunt deficientibus veris exemplis, ad quasi ideationes exemplorum.

CAP. III.

ART. I.

POëta igitur vt suadeat, voluptatem, & pulcritudinem profitetur. At ista non in sunt rebus, quas vult dicere. Sæpè enim sunt abstrusæ vt physiologia; sæpè auditoribus displicent, vt suorum errorum accusationes. Sæpè tædio afficiunt, vt dum moralia exponimus, & quæ sensui non patent, propterea poëta non contentus carmine, addidit transfigurationem sermonis. In quo aliud dicit, & aliud significat: & per clara obscura patefacit.

Transfiguramus autem sermonem multipliciter. Nam vel solas voces, & fit tripliciter: vel mutuando vocabula à rebus similibus, & hæc vocatur Metaphora, sicut cum dico,

sagitta

sagittá volat: volatus enim est Auis, sed datur sagittæ qua-
tenus illi assimilatur per aera in motu. Et de omni gene-
re Metaphorarum diximus in libro antecedenti. Aut
transfiguramus vocabula à contrariis accipiendo, sicuti
cum cum dicimus *nemus lucum* quia nihil lucis habet. Et
hæc mutuatio non delectat, sed violentiam facit. De qua
in Rhet. Aut loco vocabuli ponimus eius descriptionem,
vt cum volumus dicere *horam tertiam*, dicimus *tempus
Missarum*. Et hæc est periphrasis, nedum Metaphora, ali-
quando est antonomasia. Transferimus à totò ad partes
& è contra per synedochen: & à toto in tegrali, & vni-
uersali, & essentiali: & numerali; quæ declarata sunt in
Logica & in Rhet. & aliæ plures.

Alia est transfiguratio sermonis. Et hæc quatruplex,
nam aliquando contrarium intelligimus, vt in *Ironia*. Ali-
quando simile. Et sic fit Allegoria, Enigma, & parabo-
la, & fabula.

Allegoria est, cum plures voces transferuntur, vna ta-
men remanet, vel plures in sua proprietate; quæ indicant
sensum in sermone comprehensum, vt, *pelagum Miseria-
rum 14. annis nauigauimus*, hoc est, tribulationibus ingen-
tibus affecti sumus. Si enim vocabulum *miseriarum* posi-
tum non esset, videretur fuisse vera nauigatio in mari.

Dicitur etiam allegoria in rebus, vt cum aliud geritur,
& aliud significatur, ait S. Amb. lib. de Abr. sicut *Duo libe-
ri alter de ancilla, alter de libera, duo testamenta* Aposto-
lo significant, duobus populis data. Sed hæc explicatu dif-
ficilis, vbi non relucet similitudo multa, & res rei corres-
pondens.

Ænigma verò est, cum omnes voces sunt translatæ
mutuatæque: nec sensum habent intelligibilem in pro-
prio significatu, sicut Ironia, & allegoria habent. His v-
titur Straparola, & alij exercitij gratia vt Sanson. *De co-
medente exiuit cibus, & de forti exiuit dulcedo, &c.* Vbi me-
taphora & sinechdoche, & metonymia, & antonomasia
vtitur.

Parabola autem fit cum voces significatæ aliud post

qui corrigibiles sunt, nec præcepta audiunt, per huiusmodi poëmata corrigimus. Item scientias occultas propalamus & æternamus. Carmina enim magis temporum iniuriam, & deprauationem scripturæ euadunt; quam prosa. Nihil enim addi, aut subtrahi potest, quin depræhendatur. Item laudes Dei, & sanctorum canimus, & animos exhilaramus, & ad pietatem dirigimus: & tædium orationis lenimus. Item qui sciunt, & possunt audire, sed piget, carminis suauitate alacres reddimus. Quis Lucretij philosophiam nisi museo lepore conditam ligeret? Vtrum autem carmina valeant ad Angelorum & dæmonum inuocationem, & ad lunam de cælo deducendam, vti Ouidius & alij fabulantur, non est præsentis negotij. Hoc quidem affirmo, carmen vt metricum, non habere vim nisi mulcendi spiritum animalem, vti supra diximus, ac per hoc Mentem afficere voluptate: vt verò sensus profert, habet etiam docere, & afficere eos, qui audiunt. Lunam verò neque Angelum de suo loco non mouebit, neque obscurabit, nisi Deus iubeat. Ordinem enim vniuersi solus Autor ordinis Deus mutare potest. Ex eclypsis euentibus fabulati sunt veteres potuisse carminibus lunam obscurari, & auxilium à nobis requirere: quod ex ignorantia causarum eclipsis ortum duxit, & ex superstitiosorum iactantia. Vt Amb. tempore suo factitatũ narrat; & nunc Borrus in Cochincina: Nec mouere possunt ea, quæ ipsa non percipiũt. Messem ergo alienam incantator non vi carminis, sed diaboli tabefacit, qui applicat noxias frugibus res. Neque enim iussu suo, sed naturalium causarum applicatione, mutare res potest. Inuocatio autem dæmonis & Angeli non in numero Carminis consistit, sed in sensu & affectu. Piis enim Angeli apparent inuocati: impiis diaboli. Valent tamen verba aliquando ex institutione Dei, non ex Verborum natura: vt in transubstãtiatione Eucharistiæ, & sacramentis. Similiter exorcismi ex Ecclesiæ pietate contra dæmones. De quibus nihil ad poëtam. Quomodo autem & affectus mutet dictum est prius.

IMITATIONEM NON ESSE poëtæ propriam, ſed communem omnibus artificibus: neque finem poëtæ: ſed ſuadendi boni ideas pangere: nequè functionem per ſe, aut medium ad finem, ſed per accidens, vbi vera deſunt exempla. Ergò fingere imitarique vt repreſentet; repreſentare, vt afficiat; & doceat; docere, vt ſuadeat. Pluráque eſſe poemata, quam Ariſt. ponit: nec omnia fabuloſa, vt ipſi placet.

CAP. IV.

Rrt. I.

QVoniam poëtæ finis eſt docere, ſuaderéque bonum, & vru m, quod conſequitur delectando: hoc autem facit repreſentando obiecta voluntati, & affectionibus, ſicuti dicebamus in Rhet. Obiecta autem, in quibus ſcientia, & probitas propinatur, non omnibus intelligibilia ſunt, aut grata; neceſſe fuit per exempla declarari clariora; & per gratiora, & quaſi altera, per ſimilitudinem tamen eadem, latenter ſuaderi: cum autem deſunt, fingendo, per fabulas, & parabolas. Quæ fictio eſt imitatio verorum. Itaque palam eſt, non per ſe requiri imitationem, & fabulam in poëmate, ſed per accidens, vbi deſunt exempla vera: quod etiam Philoſophicas res declarando fieri licet. Poëtæ igitur finis & ars non eſt imitari, & fingere; ſed imitatur vt repreſentet; repræſentat vt afficiat, & doceat: docet, & afficit, vt ſuadeat, legem, virtutes, & beatam vitam. Si enim pars Reip. eſt, & ciuis, vtique vt proſit, cooperatur, ſicuti omnia membra in corpore aliis omnibus, ſingula, & ſingulis propria functione proſunt. Quapropter non videtur Ariſt. ſuſtinendus, qui finem & munus poëtæ eſſe

fabulam docet: nec, qui non fabulatur, inter poëtas connumerat. Ergo species poëmatum Tragediam, comędiam, Ethopeam (& ditirambos, addit, qui nunc non reperiuntur,) quoniam solum in his est imitatio. Nos verò præter poëmata iam dicta, satyram recipimus elegyas, & Lyrica, & Philosophicum poëma, vt Empedoclis, & Lucretij: & Sacrum, vt hymnodia, & psalmodia, & cantica nos admonent. Ac prius extitisse ista poëmata, quam quæ Aristoteles numerat, comperimus: fabulasque introductas ab Homero, & aliis, postquam poëtis Veracibus. Sæculum deprauatum vale dicere cępit, vt restatur Isocrates, dicens etiam Phocylidē & Theognidem Morales poëtas ante fabulosos extitisse: & Plato ipsorum Carmina non semel citat, laudatque: Solon quoque leges Carmine tulit.

Quænam sint constitutiua essentialis poeticæ differentia? Rationes Arist. quibus probat imitationem, & fabulam esse finem, essentiam, & maximum poematis: quo differt ab historia; & scientiis omnibus.

ART. II.

1. ARist. igitur in Poët. c. 1. Elegorum fictores, poëtas esse secundum rem negat, sed tantum secundum nomen; quoniam non imitantur. Vnde & Empedoclem, qui totam Philosophiam carmine complexus est, à poëtarum numero reiicit. Similiter Cheremonem, qui Hippocentaurum omnimetrorum genere scripsit.

Et in 4. c. vocat *fabulam principium & animam Tragediæ.* Cui cum det tanquam partes, *Fabulam, Mores, Dictionem, Sententiam, Apparatum, & Melodiam*: Concludit tamen *Solam Fabulam essentiam*, esse poëmatis. Licet enim nec Mores imitetur, tamen si fabuletur, poëta est. Vnde asserit finem Tragedię esse actionem & fabulam. *Omnium autem maximum* (ait) *finis est: ergò fabula est maximum, quia finis tragediæ.*

3. Idem probat ab exemplo picturę. Nam si optimis coloribus quis tabulam illiniat, non delectat, sicuti si imaginem albo tantum distinxerit. Actionibus ergo imitatio est poësis omnis.

4 In 7. c. *Historia & poëma non per Carmen & prosam differunt* (inquit) sed *per imitationem. Nam si quis Herodoti Historiam carminibus pangat, nihilominus historia permanebit, non poëma, sicuti prius sine carmine. Sed hoc differunt, quod historicas res gestas, poëta vt geri potuerunt, exponit. Et ille circa singulare: hic circa vniuersale versatur. Nam circa possibile, & verò simile, ille circa factum, & verum, quod singulare est Ideò poëta potest & nomina fingere: non autem historicus. Poëta igitur non carmine, sed imitatione est poëta. Non qualibet, sed actionum. Fabula ergò actionum est imitatio, vel humilium, vt in comedia, vel prestantiorum, representatarum ab aliis, vt in Tragedia; vel narratorum à poëta, vt in Epopæa; quod tamen primo cap.* distinguit.

5. Potest à nomine idem probari, quoniam poëta grecè, fictor latinè dicitur.

6 Item videtur absurdum scholam Salernitanam, quæ medicinam carmine tradit, poëma vocare. Similiter si quis totas Titi liuij decades versibus describet, versificator, non poëta dicetur.

7 Omnes quoque scientiæ carmine expressæ, poëmata dici posse haud videntur.

8. Præterea Comediæ hodierno tempore absque versu fiunt à Porta. & aliis: ergò sola imitatio facit poetam.

Rationes ex diametro contra Arist. quòd fabula non constituat poësim.

ART. III.

1 ATè contra, si Arist. rationes valent, poëtas non habemus nisi mendaces, eritque poesis filia diaboli, qui est pater mendacij. Item Virgilius non erit poeta in Georgius, neque Hesiodus: Veras enim res canunt, non

fabulas. Item nec poëta erit Lucretius, quem poëtarum doctissimum solemus dicere, vt nec Empedocles, nec Parmenides, qui versibus sophiam expresserunt. Nec Lucanus qui veram belli ciuilis Historiam texit Carmine: neque Ennius qui bellum punicum: nec Petrarcha in poëmate Africa: nec in cantilenis, & canticis, suis, vbi veras amores canit. sed tantum in triumphis vbi fingit se vidisse mirifica. Item Catullus, Propertius, & Martialis, qui veros amores canunt, & qui veros dolores in elegiis, eximentur à Poëtarum choro. Ouidius quoque de Arte amandi, & de Amoribus, & de Tristibus, & in Faustis, non erit poëta: nec in epistolis, si verę fuerunt, sed, si falso? solum ergo in Metamorphosibus poëta habebitur, vbi omnes fabulas connectit. Prætérea Sannazarus de partu Virginis, & in Epigrammatis non est poëta: neque Theognides, & Phocylides qui Moralia cecinerunt: neque Aratus, & Manilius, & Pontanus, qui Astrologiam, nisi vbi fabulas intexuerunt. Tandem qui non mentitur poëta non est Aristoteli Præterea eius sententia contradicit Virgilio, qui Sylenum canentem vti immensum inane seminaterum peruolitent, iuxtà Philosophiam Democriti introducit. Et Propertius vbi Messallam canit, aliis poëtis relinquit munus canendi rerum naturam. Horatius Empedoclem in Ætnam iniectum, licet inconditum, poëtam vocat. Et receptus est apud omnes Lucretius pro poëta, & alij memorati. Orpheus poëtarum dignissimus, canit deorum laudes, & poëta est. Similiter Museus, quem omnibus Virgilius ante ponit, amorem Leandri, & Herus, verum depinxit, licet fabulosus potuerit esse. Dantes Lucanum inter poëtas cum Horatio enumerat, & Ouidio, & Virgilio, & Homero. Horatius autem nullo pacto est Aristoteli poëta. Nec Persius, nec Iuuenalis, qui satyras scripserunt, vitiaque insectati sunt. Quos tamen nemo prò poëtis non recipit, ac magisquam qui fabulas canunt. Vt Codrus Thesiadam, & Flaccus Amazonid.

E contra verò, si stat sententia Arist. poëta erit Bo-
caccius,

uacius, Masurius Æsopus, qui dialogos fingunt, & personas imitantur, & actiones, maximè sunt poëtæ. Plato quoque poëta erit dum personas loquentes imitatur, & Philosophiam discutientes præsertim in Symposio, & Timæo, & in Atlantico. Item parabolæ Euangelicæ poëmata erunt, non autem scripta Petrarchæ, & Horatij. Nec rectè Petrarcha Iuuencum, qui legem Euangelicam Carminibus expressit, & Aratorem qui actus Apostolorum, poëtas vacat. Nec Vida doctus qui Christeidam descripsit: nec qui Angeloidam. Omitto plurimos qui Carminibus S. scripturam condiderunt. Et qui hymnos, vt Amb. & Thomas, & Hilarius, Prudentius, & Sedulius & alij, tam doctè ac suauiter canunt. Quos omnes Maffeus Baberinus exuperauit. Quid dicemus ad hæc? erunt hi non poëmatum fictores, sed versificatores, recipiemusque pro poëmatis Amadis degallia, Amadis de Grecia, Spheramundo, Palmerin Doliua, li Real Defranza, la Tauola Rotunda, il Meschino, & consimiles Fabulationes nugis plenas, & Mendaciis, quæ tamen imitationes mirificæ videntur, adeóque Verisimiles vt à multis prò Veris habeantur, qui historias non nouerunt? Prætereà Alexander abs re querebatur, quod Homerum alterum qualem habuit Achilles, ipse non haberet, qui sua vera caneret gesta: quando quidem impossibile est Veracem inuenire poëtam. Item si facta Cæsaris & Pompeij conficta essent, non vera, Lucanus, vtique poëta foret: nunc autem quia vera sunt, poëta non est? Videtur, præterea ista fabulandi licentia, quæ pro arte habetur, adeò excreuisse, vt nemo poëtis vllam det fidem amplius. Immò ipse antequam legerem historias, dubitaui an Orlandus, & Carlus Magnus in mundo fuerint vnquam, tantæ de illis fabulæ circumferuntur. Itaque melius consultum videtur bonis viris, si nulla de ipsis poëmata fiant. Nam ipsorum gestis, & virtutibus per poëma fides detrahitur. Cumque poëma sit ad gloriam bonorum, & Reip. vtilitatem, iam in contrarium versum esse videtur. Proptereáque inuenit subtilis ille ociosusque

Monach. poëmata Maccarronea, & Chaos Ditreperuno, vt intelligeremus Ludibrium esse poësim, non artem Reip. vtilem. Vt quid ergò poëtæ vocantur vates, & Aratus à S. Paulo vocatur poëta, & Epimenides poëta Cretensis Propheta Vocatur, & poësis Prophetia passim dicitur à doctissimis viris, si locus est poëtica, & nugandi Ars? equidem vereor Dauid cum S. Hieronimo nuncupare poëtam, & lamentationes metricas Ieremiæ, elogias, si poëta est qui fingit, non qui vera canit. Multa poëmata de sacra scriptura fecit Apollinaris: & S. Gregorius Nazianzenus Tragediam de passione Christi, & alia Carmina multa, & Boëtius de consolatione Philosophica. Qui cum sint sapientissimi, & Veracissimi, anteponendi sunt Aristoteli. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, ait Dauid, *sed non vt lex tua.* Item historiam Iob, Tragicomediæ adeò respondentem, vt multi heretici, & Rabyni pro poëmate ficto Aristotelico ipsam habeant, descripsit Moyses summa cum veritate iuxtà patrum sententiam, & versibus, & personis decorauit, nec tamen non pro vate habetur, quia vera canit. Hæc omnia Arist. doctrinam euertunt, nunc verba ipsius examinemus.

Naturam esse Artem Dei participatam, idearum eius imitatricem: Artem esse naturam extrinsecam, eiusque imitationem: omnes artes esse imitationes; formasque naturales habere pro ideis. Ergò non esse propriam poëtæ differentiam essentialem, neque maximum in poëmate esse; & de quatruplici imitatione, quæ sunt vocalitas, æmulatio, Moralitas, exemplatio: quæ omnes ad poëtam spectant: sed vltimam solum ab Arist. agnosci; nec rectè poni differentiam propriam poematis; cum & dispositio illius, & Metrum adhuc desideretur.

ART. IV.

OMnis Ars imitatio est naturæ, Natura autem est Dei Ars rebus indita; palam est enim quanta arte Ficulnea folia emittat, vt tegat fructus à sole & gelu: ficos, vt in illis perpetuetur, vnde nascuntur aliæ ficulneæ: faciunt & spinas nonnullæ arbores quibus se se defendant. Et sicuti in Ficulnea est ars, ità in semine: idcircò sicuti vestiarius non nisi vestes, & ferrarius nonnisi ferramenta faciunt, quoniam in illo ars Vestiaria & non ferramentaria inest: in hoc verò ferramentaria, non vestiaria, aut lignaria; sic in natura est. Nam in castanea ars castanearum formandarum, gignendarum, & nutriendarum, non autem ficuum inest: & in Pyro pyrorum, non autem ficuum, nec castanearum. Sunt tamen in quantum artes, similes, in quantum hæ, dissimiles; quia à dissimilibus Idæis de Mente Dei prodierunt; quos in suis operibus imitantur. Sicut ergò Natura est imitatio Dei, sic ars nostra est extrinseca natura, & illius imitatio. Facimus enim naues instar pectoris & alarum & caudæ auium, quibus volitanus per aquas, sicuti illa nauigant per aëra. Et vestes instar corij, & serras instar dentium, &c. qua-

Imitationem fabulosam non esse Finem Quo, neque Gratia ius, ipsius poëtæ; sed tantum finem quo poëmatis aliquando, non semper: quoniam paramus poëma imitando: & quoniam forma instrumenti non est finis agentis causæ, inquirendum fuisse Aristoteli hunc finem. Neque poëtæ instrumenta parari ab artifice instrumentali, cuius vsum ignorat; vel à principali formam non accipiat. Ergo vlteriorem finem poëmatis à se, vel à legislatore Reip. præscribi; & à tali fine formam poematis accersendam: ergò poetę Aristotelici errane prorsus à scopo.

ART. V.

OMnis quidem Ars aliquem ob finem inuenta est. finis autem non reperitur in arte, neque in instrumento, sed per illud acquiritur. Vt finis nauifactiuæ est nauigatio, finis belli est victoria, quæ bellum subsequitur. Quapropter Aristoteles dum finem poëtæ imitationẽ esse docet, errat valde. Nam vel voluptas vel doctrina, quæ inde sequitur, aut aliquid aliud ponendum erat. Si verò finem ipsam formam, qua ad finem peruenimus, sicuti vocant finem nauifactoris ipsam formam nauis, quæ ad vlteriorem finem, qui est nauigatio, respicit, nam & animam Tragediæ fabulam vocat; vtique magis errat. Non enim Artifex considerat finem quo, nisi ob finem gratia cuius. Ergò imitatio non propter se expetenda est, sed propter aliud. Hoc autem aliud est maximum, & optimum, ad quod imitatio respicit. Igitur errat tripliciter, quoniam imitationem vocat maximum in Poësi. Et quoniam non considerauit finem vltimum, cuius gratia Poëta sic laborat, & fingat: & quoniam putat poëma repertum propter imitari: quod omnibus artibus est commune. Et finem communem ponit pro essentiali differentia,

qui propriam ponere deberet. Præterea dato quòd imitatio sit finis, & forma, non tamen est Artis sed instrumenti. Poëma enim est instrumentum poëtæ ad aliquod operandum, sicuti oratio est instrumentum Rhetoris ad persuadendum. Forma autem instrumenti non est finis agentis principalis, sicuti neque forma gladij est finis gladiatoris, sed præliatio: neque forma ligonis est finis fossoris, sed fossio, & cultus telluris; neque forma cytharæ est finis cytharæ. Sunt quidem aliæ artes quæ instrumenta parant, seruiles non architectonicæ; & hæ quidem non habent finem quo, nisi formam instrumenti, vt finis finis facientis frenum est forma freni, & Fabri cythararum est forma cytharæ. Quapropter posset quis Aristotelis excusationem dicere, quod poëta est fictor instrumentalis formas instrumenti tantum considerans, non finem qui est vsus. Verum si quis ità dicat, non feret poëta vllis iniuriam istam. Si enim oratoris finis non est orationis forma, sed vsus, & persuasio, & tamen ipsemet sibi formam sui instrumenti efficit, sicut & Medicus, præsertim Galeni tempore, formam medicinæ, non Pharmacopola, vti nunc, componebat, nec tamen illa forma erat finis; Multominus poëta, qui nobiliorem se præ illis iactat. Sunt quidem multæ artes, quæ instrumenta sibimet parant, vt ferraria, oratoria, scriptoria: præsertim proxima fini. Præterea si artifex instrumentalis esset poëta, nihilominus poëma parare debet suo fini idoneum. Ideò finem prænosse debet, alioquin parare nesciret. Sicuti Fictor specillorum oculis apta specilla facit, & frænifactiua equitantibus accommoda ad regendum equum: & vestiarius aptas vsui, & corpori vtenti, vestes consuit. Mirũ ergo quomodo Arist. poëta nescit cui vsui poëma pangit, quasi asinus, & bos ignorantes, cur aratro tellurẽ scindunt; aut sutor lignorum ignarus, ignine, an scamno, an lectulo materiam parat: quoniam nimis à longè finem respicit. Præterea & si poëta finem nescit, tamen faciet poëma iuxtà regulam alterius, finis finem curantis: sicuti frenifactor frenum facit ea forma, &

tia corporea facit: & hæc imitatio non fabula, sed allegoria. Sic Ariostus silentium, & discordiam depingit, & ipsorum domos, & actus. Ouidiúsque inuidiam Præterea cum pro fine fabulam statuat, fabulatores & mendaces dignificat: sicut qui pictores illos tantum putaret, qui imitantur figmenta, & chimeras, & centauros, & Briareos, non autem qui veras res, vt qui Cæsarem pingunt, & Petrum & Paulum. Et quidem ibi licentia maior, hic Ars melior. Prætereà cum fabula necessitate cogente sit inuenta, vbi desunt exempla vera, quæ magis mauent quàm ficta, vnde & Tragedia non nisi ex historia illi texenda videtur: ipse tamen ex electione fabulam introducit. Nihilominus vbi incidimus in res, quæ fabulis sunt similes optatis, poëta, ait, non discedit ab arte si illas conscribat, *quando quidem* (inquiens in fine cap. 7.) *ex his quæ gesta sunt aliqua quidem eiusmodi esse nihil prohibet, cuiusmodi vel extitisse verisimile sit, vel certè fieri potuerint: secundum quæ sanè horum poëta fuerit, &c.* Quibus in verbis res similes poeticis, hoc est fabulosis, concedit poësi. Nos autem conuenientes poësi acceptamus: conuenientes autem dicimus, quæ fini poëtico congruunt. Quapropter gesta Cæsaris canemus salubrius quā Achillis fabulosi; vel Alexandri veri: quoniam aptiora sunt ad suadendum virtutem mirificam, & ignauiam & vitia detestandum.

Responsio ad Aristotelicorum argumenta posita in cap. 2. art. 4. volentium absque fabula non esse poëma.

ART. IV.

AD 1. Arist. axioma Resp. elegorum fictores esse poëtas: & cum negat propterea quod non imitentur, dicimus quod & si non imitentur fabulosè, imitantur tamen vocali, & morali, & operaria imitatione. Sequè ipsos ponũt, vel id quod deflent loco fabulæ, id est, exempli iuxtà quod dicit Dauid, *factus sum illis in parabolam,*

Nam fabula est gratia exempli. Nil refert autem vtrum verum, an fictum sit exemplum. Vnde Xenophon Cyrum non factum posuit pro parabola, licet vbi opus fuit aliquid de illa finxit. Nos autem habemus veras sanctorum historias, quos imitari debemus moribus. Nec licet fingere, nec opus est, sicuti in Cyro & in Achille, virtutes & gesta magna, quæ historiæ defuerunt: nam sunt in nostris & virtutes & gesta magnifica: cuiusmodi Arator, & Iuuencus scribunt.

Ad 2. cum negat Empedoclem esse poëtam & Lucretium, negatur. Nam Horat. & alij contrarium sentiunt. Cum addit, non nisi Carmen habere de poëtico, & hoc negamus: nam & dispositionem habent, & imitationem vocalem & moralem, vt dicemus posteà, quamuis non sint in Emped. & Lucretio. Et licet hæ imitationes conueniant etiam oratori ex parte, tamen & fabula conuenit dialogistis & oratoribus, & parabola legislatoribus: & omni arti, quæ per exempla declarat artis arcana. Vnde ipsemet Arist. nil referre, ait, vtrum vera vel ficta sint exempla etiam in Physiologia, dummodo declarent. *Dantur enim non quod ita sint, sed vt addiscentes intelligant.*

Ad 3. de fine Poëtæ suprà respondimus.

Ad 4. quod vrget exemplo picturæ, dicimus quod non currit. Nam tabulam colorare non respondet ad historiam narrare, & ad moralem imitationem: sed tantum ad loqui sine significatione, vt cum dico buf. baf. &c. nil enim coloratio significat: distinctio autem figuræ significat: & sic omne poëma & omnis oratio morata. Sed cum veras res depingunt, similes sunt poëtis, res veras canentibus ipsi pictores: cum falsas, vti centaurum, & hydram, sunt similes poëtis fabulantibus. De fabula autem posteà dicemus.

Ad 5. Resp. quod historia Herodoti carmine expressa non est poëma dignum quoniam formam poëmatis super materiam non suam imprimit. cum enim poëma sit idæa excellens, vnde exemplum viuendi, & fortunæ & morum accipiamus, habet electionem materiæ non vagam.

Sicuti gladius instrumentum bellandi non ex ligno fit neque ex papiro, sed ex ferro. Si autem fiat ex ære, suo fini ægrè aptatur. Sic non omnis historia est materia poëmatis, sicut non omne metallum gladij, sed ea, quæ est excellentis exempli. Vbi autem deest excellentia, nos per fabulas ipsam confingimus, & inuenimus. Et quia exemplum indiget dispositione & mensura, non tota Liuij historia fiet poëma, nec Herodoti. Sed pars redacta in corpus exemplare Reip. militaris, vt in Epopæa, vel fortunæ alicuius vt in Tragedia. Ideóque poëma requirit vnitatem, & breuitatem, ne excedat exempli rationem: in quo tota doctrina breuiter, & clare ideatur. Et quia exemplum idea est, licet singularis, tamen in repræsentando, & monendo est vniuersalis: idcircò poëta versatur circa vniuersale. Nec differt ab historico vt putat Arist. propter hoc, quod historicus singulare tractat: nam illud idem singulare est vtriusque interdum materia: sed quia ab historico describitur, vt res, à poëta adaptatur vt exẽplum. Exemplum autem vnum est in essendo, vniuersaleque in repræsentando, sicut dictum est prius: idcircò historicis fingere vetitum, quoniam ipsorum munus est nos informare de factorum veritate: poëtis concessum etiam nomina, vt melius repræsentet.

Ad 6 dicimus scholam Salerni non esse poëma, quia caret dispositione; & formam non in sua materia vel non præparata sibi exprimit. Sicuti qui gladium ligneum fingeret: aut in ferri Scobibus impuris qui suo fini omni ex parte non deseruiat, sed aliquo pacto. Valet enim vt memoriæ mandetur medicina, & conseruetur. Sicuti & scientiæ carminibus expressæ, vt breuiter, & suauiter hauriantur, & memoria conseruentur. Inque his est sola imitatio vocalis, & operaria. Sciunt quoque Philosophi talia poëmata sic disponere & ornare, vt oleant voluptatem, animosque imbuant. At cum allegoricè traduntur, tunc maximè poëmata sunt qualia Pythagoricis sunt in vsu: de quibus posteà considerabimus.

Ad 7. dico Poëtam idem esse quod fictor latinè, sed

non quod mendax: vnde & qui vasa componit ex argilla figulus dicitur, id est, compositor, vt S. Gregorius exponit. Et qui pangunt carmina fingunt. Et qui exempla vera, aut simulata efformant parabolicè, vel historicè, poëtæ, sunt, si inspicias vnde nomen impositum est. Sic & orator & pictor est poëta. Sed si ad quod imponitur, qui carmine docet, suadetque, poëta erit.

Ad 8. nil probat Modærnorum auctoritas, qui comędias prosa describunt. Non enim poëtæ sed dialogistæ sunt. Sicuti neque Luciani dialogi nec Boccaccij Fabellæ sunt poëmata. Erunt poëmata in materia, non in forma, habent dispositionem poëmatis, quæ est forma partis, non tamen totius & vltima. Sicuti Embryo, & animal in ventre mulieris, non est homo; donec rationalis anima infundatur. Actio in scena adeò viua est, vt carmen parum attendatur. Oculus enim auribus præfertur. Sed in legendo, carmen requiritur. Sic in entitate hominis aliquando Ratio, aliquando sensus magis euidens est, dominaturque.

Fabulas admittendas tantum, quę historias non deprauant: & sensum alterum habent vtilem, vel quem promit in exemplo, vnde doceamur effugere mala, & bona consequi: & qui poëtæ acceptandi, & qui expellendi, sunt de Rep.

ART. X.

RAtiones nostræ quoque contra Arist. indigent correctione. Prima non valet, cum dixi, fabulam esse mendacium, alioquin nec nobis liceret fabulari. Mendacium est contra mentem ire, vt qui dicit, quod non habet pro vero in mente sua, sed vt fallat. Quando autem quis texit parabolam, aut fabulam, non vt credatur fabula sic esse, sed illud quod fabula deinde significat, nequaquam mentitur, sed figuratè loquitur; & cum dico, *ego in portu nauigo*: Volens significare non

quòd sin inportu, sed quod in tuto negotium meum posuerim. Quod doctè Origenes, & S. Thomas declarant: Nam cum Deus in forma ignis, aut columbę spiritum sanctum misit, non mentitur rebus his pro vocibus vtendo, quoniam non vt doceat spiritum esse ignem aut columbam, sic facit, sed vt igne & columba eius efficaciam & puritatem declaret. Hæc est parabola in oculis, sicuti quæ narratur est parabola in auribus. Fabula autem quæ exemplum est sine allegoria, acceptatur, si historiæ & moribus non obest sed prosit. Arist. tamen qui mendacia ad voluptatem concedit, nil ista considerat & fabulatores spurcissimos, & qui historias deprauant, introducit in Remp. vnde nil veritatis ex Græcorum historiis certum haberi potest. Quoniam non intellexerunt cuius rei gratia concessum est fabulari. Vide quantum mali faciat historiæ Centuriatorum in Ecclesia: & fabulatorum. Virgilius omni vituperio dignus, Didonem pudicissimam per fabulam facit meretricē. Quod si poëtis ista licent, bonos calumniari, prauos laudare, historias corrumpere, celebrare Deorum adulteria dulcissimo carmine, prosternetur virtus, & veritas, augebitur ignorantia, & scelera, & impietas. Et tandem Atheismus grassabitur vbiquè. Rectè Plato Homerum de sua Resp. expellit quanto magis de Christiana, quoniam mendacia, & Deorum improbitates magnificat. Eiiciemus & nos Tibullum, Catullum, Martialem, Ouidium, Berniam, Aretinum, Virgilium, non tamen Georgica. Et quicumque impietate & vitia introducunt. Nec pro poëtis habemus Boccac. & Masut. nisi in forma eos tamen è Rep. exulare vtillimum est: omnesque huius farinæ homines. Quod cū Papa facit, legem naturæ à Platone declaratam, & ab aliis, nec dum Christianam implet facit. Taceant hæretici, qui hoc sanctum decretum, vt impietas ipsorum foueatur, calumniantur. Terentius Choream ex stupro Danaes, per Iouem, in aurum conuersum, commisso, animatum ad stuprum introducit, & Dantes Fran. Ariminensem cum Leuiro ex lectione Lancillecti cum

Isotta? nos verò quod & ipsi poëtæ damnant, amplexabimur? Ex incestibus Deorum Biblis, & Myrrha in Ouidio sua crimina rectè excusant: imitari enim Deos sanctum est. Tanta est poëtarum potentia in æternando laudes & vituperia, quod Plato amicitiam eorum captandam censet. Cum enim (ait in libro de legum lat.) Minos esset virtuosissimus & honoratissimus, à poëtis Atticis infamia vxoris bestialiter Tauro subactæ, aliique vituperiis perpetuis cõspurcatur. Sed Ariostus introducit S. Iohan. dicentem, quod neque Augustus fuit ità bonus, vt Virg. canit; nec Nero malus, quantũ scriptores dicunt: nec Græcos victores & Troianos victos, nec Penelopem castam, vt Hom. canit. Sed è contra. Vnde Dion Chrysostomus contra Homerum scribit, Græcos victos, Troianos victores: prævalet tamen suaue eloquium Homeri Ergò si tanta est poëtæ potestas, coercenda est. Græcorũ mendaciis fit, vt historias & chronologias falsas habeamus. Sunt quidem poëtæ doctores populorum, non Architectonici, vt legislator, & Rex, sed instrumentales, si excrementa Reip. meritóque releganda, esse nolint. Nec modò linguam politam docent, vt Plato ait, Homerum Græciam loqui docuisse; sed leges, veritates abstrusas, artem viuendi, declinandi tyrannos, sublimandi principes bonos, & virtuosos, laudandi Deum, lætificandi conscientiam, eleuandi animum ad superos, detestandi vitia, timere inferos, amare consortium angelorum. Non quidem potest sic doctus populus sustinere tyrannidem, nec in captiuitatem redigi, nec impietati assentire. Qui autem sécus populum informant, exponunt illum prædæ exterorum, & diabolorum, redduntque ignorantem. Neque enim potest per nares trahi quis quocunque velis, nisi prius ipsum efficias bubalum. Cumque populus scientiis vocare non possit, indigat doctoribus vulgaribus, & dulciter instruentibus. Rectè queritur Isaï. *In captiuitatem ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* & Hier. *verè mendacium operatus est Stylus mendax mendax scribarum, &c.* & conqueritur sæpè con-

tra Pseudoprophetas, quod populo pacem & bona, quamuis prauo, polliceantur, & blanditiis decipiant. *Qui te beatificant Ierusalem, seducunt te.* Quales autem verè erant Prophetæ apud Hebræos, tales proportionaliter poëtæ in Gentilismo: qui & suam religionem à poëtis: probant: & quales ibi Pseudoprophetæ, tales hic Pseudopoëtæ: quibus Arist. patrocinatur. Quapropter de inuentione poëticæ nunc restat sermo.

MVSICAM ET METRVM SESE consequi, & à mensura operationis spiritus animalis inuenta esse in ipso Mundi exordio. Attamen poëma non haberi ante Moysem à nobis. Gentilesque poëtas esse quasi degeneres prophetas. Et qua ratione & causis, & occasionibus, carmina pangere, institutum est.

CAP. V.

ART. I.

ARbitror metrum vnà cum humano genere natum esse, sicuti & cantus. Naturale est auibus nedum homini se ipsum cantu mulcere, sonos edere, qui spiritum ad sui operationem inuitant, vti prius dicebamus. Cumque loquentes quandam mensuram, quæ spiritum suauiter afficit, perciperent, ex illa metrum facere didicerunt, sicuti ex sonis cantum musicum. Prætereà cum vellent aliquid memorabile posteris mandare, numeroso sermone dicendum putarunt, antequam scribendi Ars inueniretur. Etenim & nunc in villis, & pagis, vbi scriptores non sunt, ipsi rustici quando noui aliquid accidit in cantione ponunt, & alter alteri concinunt, pueri addiscunt, & posteris successione commendatur. Videmus prætereà quòd cum aliquid mirum, aut necessarium dicimus, illud in pro-

in prouerbio ponimus, & cadentibus consimiliter membris orationis enunciamus. Et Rusticis hoc familiare est; quoniam melius imprimitur animo musicè dictum, faciliusque retinetur, diutiusque; simile enim similis excitat memoriam, vbi præsertim concurrunt cumque delectationem haberet metrum, & vim æternandi sermonem, vsi sunt illo prisci sacerdotes in laudibus Dei, & in gratiarum actionibus, & in commendatione beneficiorum eius, & operum mirabilium. Credo equidem ante diluuium inuentum esse vt testatur Moyses de inuentore musicæ. Sed post, memoria nulla prior extat cantico Moysis, vel Mariæ sororis eius. Postquam enim tam miraculose mare rubrum sicco pede populus Hebraicus transiuit, insequentibus Pharaone & Ægyptiis, necatisque in eodem vado recedentibus aquis, exhilaratus est populus, & in laudem Dei pro tanto beneficio exclamare cæpit, compositumque metricum est canticum; quod Maria cum mulieribus ducentes choros, & tympana pulsantes, cecinerunt. Relictumque est posteris ad tātæ rei memoriā decantandū in ore puerorū. solent quippè homines quidquid mirificum accidit cantione commēdare. Extat & canticum Moysis mirificum, quod totam legem commendat, & beneficia De, & populum docet, ne diis alienis vnquam adhæreat, protestturque mala ex hoc nascitura. Quapropter ipsi legislatores primi vsi sunt carmine, vt legem commendarent, & breuiarent, & memoriam excitarent. Idcircò & Solon carminibus leges expressit Athenis. Et Arist. sect. 19. probl. 28. quærens cur leges cantilenas vocamus, respondet, quià antequam scirent homines scribere, leges cantabant, ne obliuiscerentur. De schola Moysis predierunt prophetæ, qui mirifica carminibus describebant. Vtebantur omnibus figuris poëticis, maximè autem metaphora, & prosopopæia, & allegoria, & periphrasi, numquam tamen fabula. Immò Baruch detestatur fabulas, & in domo sapientiæ Dei solam veritatem admittit, decoratam tamen eloquiis: dulcibus, & figuratis. Dauid verò nullum poëmatis genus sua in psalmodia non docuit, sicuti de ipsis agentes docebi-

mus. Quapropter errat Arist. qui nouellis Græculis originem poësis, & carminum adscribit: cum sit verè prophetarum quædam degeneratio poëtica gentilium. Nec Plato illi consentit: qui amplioris & altioris semper considerationis extitit. Gentiles verò carmen, siue ab Hebreis, siuè à Chaldeis, siuè ab Ægypto antiquissimum habent. Et in America reperta est aliis licet mensuris ex spirituum varietate; sicut apud nos alij hexametris, alij Iambicis, alij saphicis, alij aliis delectantur metris.

Fabulam à parabola: parabolam ab allegoria: allegoriam à metaphora, metaphoram à rerum similitudine, necessitate vocabulorum propriorum, aut honestorum, aut perceptibilium magis, ortum duxisse in primordiis Mundi. Nec fabulam à Siculis, & Græcis, vt Arist. putat, inuentam esse, sed prius & legislatoribus fuisse in vsu: & quare.

ART. II.

INuentionem fabulæ arbitror ab allegoria ortam esse: Allegoriam verò à metaphora. Metaphoram à similitudine rerum. Vbi enim deficit nomen proprium nobis, vel auditoribus illud non placet, aut non est perceptibile, mutuamur à simili. Sic dicimus prata rident, quia qui ridet aperit labia, & ostendit hilaritatem, sic florens pratum aperitur, & suas delitias patefacit. Cum verò processerunt vt omnes voces in vna oratione mutuatas ponerent per metaphoram non interruptam, fecerunt Allegoriam. Mox didicerunt & sermonem mutuari, ne dum voces, & sic fecerunt parabolam, quæ per se patet alterius gratia fingi. Mox ità finxerunt, vt nec fingere, sed vera proferre viderentur, & sic fabula orta est. Puto fabulas ante Moysen fuisse. Siquidem Ægyptij seruiebant idolis, & per fabulas in Deitatis honorem intrusis. Omnéque mendacium, quod non agnoscitur, fabula est. Quamuis nos fabulam in-

telligamus in poëmate, quæ alterum ſenſum habet, ſed in Virgilio fabula de Didone non habet alium ſenſum, ſed in mendaci narratione tantummodo amorem laſciuum repręſentat, & cauſas fictas odij inter Romam & Chartaginem, & cum Fabula vtilis ſit. Ens rationis, fabula inutilis vel noxia, eſt ens irrationalitatis vel deceptionis actiuæ vel, paſſiua, vel vtriuſque vt docuimus in primo logicorum. Ariſt. fabulas inuentas fuiſſe in Sicilia ab Æpicharmo, & Athenis à Crate ſcribit: ſed hi recentes ſunt. Nec eſt veriſimile, cum antiquiſſimi Hebræi vtantur allegoriis, & Ægyptiorum fabulas damnent, prius non extitiſſe. Præterea Baruch filios Agar quęrentes prudentiā quæ de terra eſt propheticè fabulatores introducit: vnde Macomet. fabulis & metro leges ſuas deſcripſit Agarenus prudẽtia de terra ſemper. ferè in ſacra ſcriptura pro politica ratione, quam vocant *de ſtatu*, accipitur: maximè ab Apoſt. Paulo: Quapropter videtur à legiſlatoribus prodiiſſe. Et licet Iſocrates Homerum laudet, quod cum videret populum veris poëtis aurem minimè dare, fabulas & perſonas introduxerit poſt Phocilidem, & Theognidem, qui abſque fabulis perſimiles Horatio extiterunt, & verſiculi ipſorum à Platone ſæpè citantur, ſunt enim diſpoſitæ inſtar prouerbiorum Salomonis: nihilominus nec ab Homero, nec à prædictis recentioribus fabulas inuentas affirmat, ſed in vſu poſitas. Sicuti nec muſicā à Pythagora ex ictibus malleorum excogitatam dicemus, quæ à filiis Cain ante diluuium, & cum ipſa natura incepit. Putat Varro vtiliter introductas eſſe fabulas, vt legiſlatores pro Diis haberentur, & populus leges obſeruaret reuerentius. Sic Pythagoras cum Diis inferis duos latens annos locutum ſe finxit, dans leges noſtratibus. Seque fuiſſe Euforbium, & Thaïdam, vt tranſmigrationem animorum ſuaderet. Enniuſque ſe Homerum fuiſſe iam recordari fabulatur. Sic Zamolxis Scythis ferens leges in antro cum Diis ſe negotiari mentiebatur Et Minos duodecim annis cum Ioue, ſe loqui ſimulauit in antro, & leges ab eo accipere, quas Radamantus pro-

mulgabat. Credo equidem illos sic simulasse, quoniam putabant Moysen, & Aaron in ferendis legibus ante se similiter fixisse quod & Plinius & Quintilianus opinantur, nescientes aurum ab auricalco secernere. Similiter patres Romani Romulum à diis translatum, cum occidissent, prædicauerunt, & Numa Pompilius leges ferebat cum Ægeria Deas, in nemore fingens cũ Diis se tractare. Possunt & à diabolis delusi esse, qui sibi cultum diuinum procurabant, vnde sacrificia diis complurimis instituerunt; *omnes enim dij gentium dæmonia*, teste Dauid. Nam & Mahomettus. (Agarenus iuxtà proph. Bar.) videtur mihi non potuisse fingere tam fabulosissima mendacia, & ingentia, cunctisque quæstionibus per fabellas tàm subitò satisfacere, nisi in antro, vbi cum Gabriele se loqui putabat, à diabolo deceptus fuisset, qui & linguæ eius semper adhærebat. Nam quasi arreptitius loquitur, si quis eius examinet scripturas. Et Dionysius Chartusianus hoc idem olfecit. De quo in Metap. plura disputauimus. Sunt autem plurima experimenta Commercij diabolorum cum hominibus, vt in Antimacchiauellismo diximus. Fingunt se Deos, & quærunt honores diuinos sibi præstari. Porphyrius & Platonici, & innumeræ experientiæ contestantur. Quas obres fabulas mẽdaces perniciosásque à diabolo introductas agnosco quasi entia rationis actiuæ, at deceptionis passiuæ, vt leges idolatriæ stabiliret. Vnde Petrus Apostolus cum suæ fidei rationem reddit, *Non doctas* (inquit sicut illi) *fabulas secuti notam fecimus vobis Christi præscientiam, & virtutem: sed speculatores magnitudinis eius effecti, &c. & audiuimus cum illo in monte sancto vocem de cælo, &c. & firmiorem habemus propheticũ sermonem, &c.* quod videlicet minimè decepti fuerimus. Nam & ante hoc prophetatum fuerat. Et Dauid, *narrauerunt mihi* (ait) *iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Rectissimè Pontifex Rom. fingentes miracula sanctorum & Christi, ignibus adiudicat, ne videamur fabulis sicuti & aliæ nationes inniti. Quapropter quoniam omnis poëtica siuè vera, siue falsa, à legislatoribus originem

habet: & hi à natura sic sibi parare instrumenta didicerunt; quæ ad poëtam, quæ ad auditores, & quæ ad poëma spectant, declarare nunc oportet.

DE HIS QVÆ AD POETAM PERTINENT.

Poëtam non modò animos, obiecta affectuum proponendo, & affectus suos communicando, & rationibus ligando figuratis, vt Rhetor: sed etiam exemplatis & iucundo metro propinatis; idcircò dicendum esse de his, quæ ad poetam, & ad instrumentum poëticum, & auditores spectant, vt perficiatur Magia poëtica.

CAP. VI.

ART. I.

QVoniam perfectissima pars vocalis magiæ est Poëtica, animos ea ratione, sed longe potentiori quam Rhetorica, sicuti in præcedenti libro dictum est, immutans, proponendo affectibus obiecta, & proprias affectiones communicando, & insuper rationibus ligando, non quidem simplicibus, vti Logicus, neque solùm figuratis, vti Rhetor, sed etiam exemplatis in re, quæ ante oculos ponat, & maximè afficiat auditores, & metro insuper ideóque propinatis; consequens est, vt quæ ad poëtam pertinent, quæ ad poëma, quod instrumentum est magicum, tum quæ ad auditores, quibus propinatur pharmacum, consideremus. Nam de modo, quo immutant, satis in superiori sermone, & in præcedenti libro iuxtà doctrinam traditam in commentariis nostris de Sensu Rerum, pertractatum est.

Ad poëtæ præstantiam requiri Potentiam & Sapientiam & Probitatem; & de eius naturali potentia, & aptitudine argumentum.

ART. II.

AD poëtam iuxta tres Metaph. Primalitates tria ſpectant, Potentia, Sapientia, & Amor, ſiuè eius obiectum, quod eſt Bonitas. Potentia alia eſt naturalis, ſecundum quam dicitur quis aptus ad poëmata, ſicuti alius ad currendum, alius ad pingendum. Vbi enim naturalis ingenij vis, & aptitudo ad aliquam defecerit artem, (nam alij ad alios Dei iuſſu nati ſumus, ſicuti partes corporis ad ſua quæque officia, vt mutuis colligati officiis Remp. vnam formemus) nequaquam excellet in arte, nec aliquando addiſcere poterit. Videmus quidem aliquos ſic naturà fictos, vt non niſi canere, & carmina pangere quærant. *Quidquid tentabam dicere, verſus erat*, ait Ouidius de ſe ipſo. Alios verò nec vnum epigramma in vno anno, quamuis artem calleant, probè componere poſſe, cum tamen de carminibus non indoctè iudicent. Imitari autem perſonas, & affectus exprimere, verſatilis ingenij eſſe videtur, ſpiritus nimirum flexibilis, ſubtilis, lucidi, Iocoſique, cum propria luce ſeſe oblectantis, faciléque mobilis. Spiritus autem Menti ſubminiſtrat.

Sidera & Naturam dispositiuè, intelligentias persuasiuè, & Suggestiuè, Deum etiam Physicè aliquando appellare poëtas. Et de triplici genere vatum bonorum & prauorum. Artem verò eos perpolire tantum & Arist. & Gentiles, Montanistas in hoc errasse.

ART. III.

SEcundum Astrologiam nascuntur poëtæ, quibus Dominus morum est Mercurius, configuratus vel commutans dignitatem cum venere in bono situ ad solem & ad mundum: maximè autem in signis humanis, & bicorporeis. Adde & in nodis. Fiunt enim versatiles ingenio valde, sicut in Astrologicis docuimus. Maximè autem si horum alter est dominus opificij, & à maleficis non impeditus. Quoniam verò poëta vates est diciturque Nam poëtæ gentium quasi simij Prophetarnm diuinabant, & oracula dabant, æmulando Prophetas, putat Ptolomeus, quod si luna à solis congressu properat ad mercurium, dummodò medio cæli dominetur, vel loco significatoris opificiorum, facit homines furore percitos, coniectatores, in Libra, Ariete, & Leone: in Virgine verò & Scorpione, futurorum consultos, & præscita edoctos. Item vbi Mars de die, & Saturnus de nocte afficiunt, vel alter, Mercurium, & Lunam, dominos morum in loco veneris, furorem diuinatorium, & poëticum efficiunt. Vtrum autem hæc ità se habeant dubitamus adhuc. D. Thom. sc, Pol. lect. 13. inclinationes morales & affectus naturales à stellis scire nos posse docet: videmus melancholia poëtas affici, & solitudinem appetere: & quasi morbo percitos nonnunquam ad carmina exsurgere. Nec tamen ista constellatio est improbanda. Rationes alibi attulimus. Nunc satis est nosse, quod stel-

læ habent indicationem super mores & animam dispositiuè, quia bilem, atram, flauamque, flegma, & sanguinem vàriis disponunt modis, vnde varia temperies, & spiritus à sanguine geniti affectiones trahunt, seu propensiones à temperamento. Vnde Gal. docet mores animi sectari corporis temperamentum. Sed falsum est omni ex parte. Potest enim anima assentire, & dissentire passionibus ex temperamento excitatis. A calore ira æstuat. Videmus tamen iram moderari, qui religioni se se dedunt, aliisque oppositis effectibus. Vbi non sunt vehementes, qui spiritum ad insaniam rapiant, cui anima frenum imponere non possit. Tunc enim nulla est culpa animæ, quoniam ad impossibile non tenetur. Stellas igitur per accidens, disponendo videlicet corpus, mores, & potentias naturales largiri clarum est. Quod etiam S. Thom. in 3. cont. Gent. probat. laudatque illam Ptolomei, potius autem Hermetis, propositionem, videlicet. *Mercurius in domo Saturni in bono esse, dat intelligentiam rerum medullitus;* Et declarat, dispositiuè. Angelos verò persuasiuè in animam posse, & dispositiuè dum applicant res mutantes temperiem, quod faciunt demones, dum phantasias immutant, & furorem inducunt. Deum verò physicè & motiuè.

Plato verò poëtas, & sybillas, furore diuino afflatos putat, quoniam suprà vires elementorum est diuinatio, & carminum compositio. Quod & sybillarum, & Pythiarum respondentium in oraculis, clarum facit. Hæ namque mirifica loquuntur carmine, diuinantque dum furore illo tenentur, cuiusmodi & Cumana apud Virgilium: abeunte verò furore, nesciunt quid dixerunt, nec quomodo; igitur externa vi afficinatur. Quod etiam Sanctus Iustinus in quæst. contra Gen. ostendit ex sybillarum carminibus & oraculis sic esse. Arist. quoque in poëticæ c. 14. asserit versatilis ingenij vel furore perciti, poëticam esse. At quoniam demones & Angelos extare negat, Deumque primo orbi includit, nil inferiora curantem, putat intemperie naturali furorem,

poëticum

poëticum, & diuinum accidere, ficuti ex vino alij furores, vt patet in fect. 30. Probl. vbi quærens, cur præstantissimis viri atræbili morbis infestati fuerunt. Ait. *Maracus Syracusanus poeta præstantior erat, dum mente alienaretur, & ait. Quibus permulta & calida inest atrabilis, ij perciti, & ingeniosi, amasij, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. Multi etiam propterea quod ille calor sedi Mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inferuescunt, ex quo sibillæ efficiuntur, & Bacchæ, qui diuino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.* Deinde docet calorem eundem remissum in atrabiliosis efficere prudentiores, non tamen in memoratis excedentes. Gal. similiter de morbis non vulgaribus loquens, consimilia docet. Hipp. in lib. de Carn. Calorem vi sentiendi, intelligendi & prognosticandi donat, nedum poëtandi. Nos autem experti, ac ratione ducti, non posse elementa Arist. & Galeni insensata, diuinationem dare, nisi fortè dispositiuè præsertim atrabiliosis, quorum fuligines impediunt discursum, & calor auget vim exhalandi, non diuinandi, quamuis diuinus esset naturâ, vt Hipocrates in periarchon scribebat: Dicimus ab exterioribus intelligentiis siuè bonis siuè malis fieri carmina, & diuinationes in nobis, dum vtuntur spiritu nostro tanquam instrumento, auferuntque animæ augurandi functionem. Et propterea non meminisse Pythias, & Sybillas. Quod Virg. & Plato rectè considerarunt. Vbi autem naturaliter factibilia quædam in eis appareant, putamus exhalante spiritu illo loquaci, nec relinquente suam affectionem successori spiritui ex sanguine genito continuè, præ vehementia, & tenuitate velociter, dum elabitur, fieri, ne recordentur. At vbi illa mirifica canunt, non nisi ab exteriori potestate fieri credimus. Vt multorum experientiæ testantur: Qui carmina fundunt, cum sint idiotæ, & pollicitationes accipiunt varias. Experimentum dedi in Antachit, de eo, qui metricè responsa accipiebat, cum esset idiota

vt Mahometes. Apparet & multis Demon in habitu corporali. Idem S. Hieronim. docet contra Montanum, qui prophetiam Maximillæ & Quintillæ furiosam celebrans, non meminisse Prophetas nec sui compotes esse docebat. Hoc falsissimum est. Quoniam Deus menti Prophetarum primo illabitur, eamque illustrat, non impedit à sui operatione: spiritus autem malus in animales spiritus grassatur, & humores, quibus infestat animum. Vnde in pleniluniis, quando magis commouentur sympathia cæli, & in atrabiliosis, demon affligit magis, quoniam humoribus vtitur sic agitatis, vt docet Origen. & S. Thom. & experientia. Vel vt se ipsum occultet, tribuatúrque malignitas lunæ & naturæ, non autem sibi. Sic latro, cum aliis potest culpa tribui, latrocinatur libentius. Apollo igitur ille Virgilianus, diabolus erat. Sed quis suadebit Atheistis nostri temporis, qui artem & rationem omittunt, & experientias, vt propriam opinionem sectentur? Vide Metap. & lib. de Sensu Rerum.

Quapropter alios dicimus poëtas diuinos, alios diabolicos, alios humanos. Primi intelligunt quæ dicunt, seque à Deo doceri: proferuntque sobriè oracula: secundi non intelligunt, & furiosè pronunciant: nisi vbi exterius docentur. Tertij naturâ habiles sunt ad mensuras metrorum, & mores imitandos: accedentéque studio, excellentes euadunt ea ratione, qua Horatius, & Ouidius, & Catullus. Et hi ex præmeditatione loquuntur.

Naturalis potentia ad pronunciandum, & imitandum mores, quando ipsi sua recitant carmina, & memoria item requiritur. De his locuti sumus in anteriori libro, quoniam & oratori sunt communia. Sed poëta non recitat, nisi vbi naturâ aptus est: vel a Deo sublimatus, sicut Dauid psalmos canebat cythara & psalterio. Indigent & voce & arte canendi poëtæ peritiores. Quoniam carmen à musica ortum habuit, sicuti diximus: & non nisi canendo antiquitus pronunciabantur. Deinde cum poëmata grandiuscula facta essent, vt Epopæia, & Tragædia, & Comedia, recitari cæperunt, solùm imitando

mores. Virgilius tamen dum ſua recitabat carmina, quandam hypocriſim in dicendo habebat, & venuſtatem, ita vt gratiora viderentur in ſuo quam alieno ore, vel ſcripto. Recitauit & Arator acta Apoſtolica carminibus à ſe deſcripta coram Senatu Cardinalium, & Populi Romani, ſumma cum laude bis. Sed hoc tempore ſatis videtur ſi poëta poëmata rectè pangat, aliis decantanda.

Non modò ſcientiis Rhetori neceſſariis, poëtam ornatum eſſe oportere, ſed & aliis multis, & quibus. Nec ſolum extrinſecus, vt Plato putat, ſed intrinſecus, & qua ratione.

ART. IV.

QVoniam poëſis eſt flos ſcientiarum. Qui enim docet modis tam miris res vtiles, & abſtruſas, callere debet optimè artes, de quibus loquitur. Maximè autem phyſiologiam, & Ethicam, & polyticam: vt morum rationem noſcat, & qualiter quibus ſuadere poteſt. Omnia quæ de Rhetoris diximus ſcientia, poëtæ ſunt neceſſaria; & quia de paſſionibus animi, & quando moueantur ibi dictum, inſuper de bono iucundo in hoc libro, quod deerat, addidimus, nil opus eſt repetere. Sed præterea addimus, oportere poëtam peritum eſſe Theologiæ præſertim ſymbolicæ, myſticorum ſenſuum, moralium, allegoricorum, anagogicorum. Item hiſtorias callere, & coſmographiam, præſertim qui Hæroïca canit facta. Tandem poëtarum libris aſſueſcere debet, & quid benè, quid male fati ſunt, iudicare. Præſertim verò qui ſcientias callent. Sunt enim hi ſicuti pictores, qui naturam imitari neſciunt, ſed M. Angeli figuras; iſte verò naturæ. Propterea nunquam meliores veteribus, vel rariſſimi ſunt moderni. Dantes videtur omnes exceſſiſſe, quoniam naturam ſecutus, non poëtas, & poëtas ſuperauit. Qui autem ſcientias, & res, & hominum ſtatus, & mores cal-

let, & præmia, penasque, vitiis, virtutibusque debitas, & euentus rerum, hi facilè verba, & carmina mirificè pangant. Vnusquisque autem suæ artis scientias scire debet. Vt Comicus mores populi & senum & Iuuenum, fæminarum, seruorum, cauponum, & artificum, & rationem viuendi in Rep. Tragicus principum historias, fortunas, mores, & affectus. Elegorum fictor in miseriarum schola docetur: Alias nil dicet excellenter. Heroïcus poëta omnia scire tenetur prædicta, & insuper quæ. Lyricus, & quilibet alius poëta: Remp. militarem tractat. Et de variis negotiis omnium ferè personarum, & bella & situs vrbium, & Mundi descriptionem. Plato tamen iudicat, sicut pictor nescit hominis naturam, nec fræni, & tamen depingit frenum, & hominem extrinsecus, sic poëtam artes exterius scire oportere tantummodo. Nec Homerũ in equestri, & militari, & nauali edoctũ, quamuis de istis canat quam multa Hoc verum dico de poëtis vulgaribus, esse, non autem de excellentissimis. Nam licet hi artes has non tractant, tamen scire qua ratione tractentur, & cui vsui sunt in Rep. nosse habet. Sed Politicam, moralem, physicam, & symbolicam si nesciat, nequaquam poëta dici præclarus vnquam poterit. Propterèaque Virgilius longè exuperauit Homerum, quia in scientiis versatus fuit magis. Vnusquisque tamen finem suæ artis scire debet, vt rectè ad finem incedat: alioquin aliorsum trahet populum & scientiam.

Ad poëtæ probitatem requiri, vt plus Totum quàm partem amet: hinc fit, vt religionem, legem, & bonos mores, & viros, amabilia faciat: prauos autem & vitia, impietatem, execrabilia populo reddat: sit speculum & dux populorum: Et quid Christiani poëtę plus iam peccent quam gentiles in functione sua.

ART. V.

QVo ad tertiam Primilitatem, oportet poëtam esse virum optimum: cum enim sit magister & dux populorum, salutem ipsorum sitiat, admoneat, & armet contra vitia, & contra tyrannos; aperiat latentes veritates, & fraudes hominum, vituperet scelestos, laudet bonos. Non mentiatur, nisi officiosè vti in Rhetorica dicebamus: neque mentiendi mente, sed docendi. Fabula enim est vera, quando non in suo sensu, sed alieno figuratur. Leges suadeat, religionem amplificet, animos ad sydera tollat ab imis: Amores nefandos detestetur, pudicos canat. Amet denique plus totum, quam partem ergo plus genus humanum, quam regnum vnum, plus regnum quam ciuitatem: & plus Patriam, quam se ipsum, qui est particula illius. Qui aliter est affectus, non poëta, sed corruptor hominum existimari debet, & historiarum & morum. Licentia poëtarum corrupit orbem Christianum: ex cantilenis incepit hæresis Germanica, & Gallicana: & Comediis & Tragediis nutritur. Poësis est calix Babilonis, in quo propinatur impietas, teste Origene. Est & calix Ierusalem, in quo pietas, si quis recte vtatur. Ipse Horatius agnouit, quod nemo poëta potest afficere alios nisi prout ipse est affectus. Affectiones piæ virtutis plenæ Dauidis in psalmodia adhuc viuidæ sunt, afficiuntque auditores, qui medullam penetrant, amore Dei, virtutum, & hominum, exhilarant, speciebus bonis implent, demunt tristitiam: Maiorum ge-

sta memorant, legem amabilem faciunt. Hæc sic nostrorum poëtarum probitas. Exulet Homerus Cor fictor & Arca mendaciorum, adulteriorum, impietatis & prauitatis. Sit Iuliani apostatæ Propheta, cum cæteris eiusdem farinæ. Et tamen Homerus minus vituperandus videtur, quam poëtæ Christiani, qui veritatem edocti, ad fabulas & Deos Græcorum confugiunt: & cum fingunt, non quales debent esse personæ, sed quales contingit, more Homerico, qui Achillem auarum, & implacabilem, Agamemnonem, & alios impios, stultos, & erroneos vndique pingit. Deos adulteros, scelestos rixantes facit. Quo nil peius. Nam non quales esse possunt, & solent, vt Arist. & Hom. volunt, sed quales debent, vt sint nobis exemplo ad imitandum, fingendi sunt: secus verò, qui ad cauendum, auersandúmque, nos instruunt.

DE POEMATE, INSTRVMENTO POETICÆ MAGIÆ.

Poëma oportere esse admirabile, Iucundum, & à natura, & ab arte, & ex materia, & ex forma. Et quia dictum est de Iucundo, de Admirabili iam dicendum esse.

CAP. VII.

Art. I.

POëma instrumentum magicum duo requirit Admirabilitatem, & Iucunditatem, vt trahat ad se auditores, propinetque vel inuitis, & inaduertentibus, vtilitatem. Hoc autem ex parte materiæ, & ex parte formæ sortiri potest, de vtrisque igitur dicamus.

Materia poëmatis siue sit actio siue res, siue euentus, mirifica essé debet, vel fieri per fabulam. Neque enim

bonus est poëta, qui formam poesis in materiam non suam introducit, quamuis versus elegantissimos faceret, & admirabilis esset ingenij. Recte dicit Horatius ser. 1. sat. 4. etiam contra se.

------ Neque enim concludere versus,
Dixeris esse satis: neque si quis scribat, vti nos
Sermoni propriora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui Mens diuinior; atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem, &c.

Quapropter & carminis vena docta facilisque, & ingenium diuinum, & os magna & mirabilia sonans, poëtæ conueniunt: propterea̓que dubitat, num comœdia sit poëma, quando quidem nil mirabile dicit: & quasi excludit ipsam à poëmatum honore, cum humilia imitetur. Verum enim verò potest in vilibus Admiratio, & iucunditas inueniri ex nostro ingenio, non ex rei natura, vt in mirifica peripetia, & agnitione: vnde & Plautus deos introducit, vt comedias mirificet suas, & euentus inexpectatos, & actiones inexcogitabiles, quales *in Menechmis*, & in *Captiuis*: & consilia industriæ audacissimæ plena. Vnde idem Horat. in epist. ad August. tantò plus oneris, quantò minus veniæ Comicis tribuit.

De Admirabili multiiugo ex parte materiæ secundum naturam, & secundum nos: Hominesque Iam eleuandos esse ad veram admirationem.

ART. II.

ET quoniam diximus de Iucunda, de admirabilibus dicendum est. Admirabile est omne magnum secundum naturam, vel secundum nos, primo sol, dij, stellæ, monstra, lestrigones, Cyceopes, Gigantes: secundo artificia noua, vt inuentio noui orbis, bombardarum, noui cæli, & planetarum per Galileum amicum: constructio Mundi Copernica, & Timei, & Philolai: & quidquid

vulgare non est. Item miracula sanctorum, & Prophetarum, ex quibus Ouidius Metamorphoses pangeret. Item, vt ait S. August. *Illud mirantur homines, non quod magnum est, sed quod rarum. Nam maior est gubernatio Mundi, & ex paucis granis plures segetes creare, quam saturare ex quinque panibus, & duobus piscibus, quinque millia hominum: non tamen illa, sed hoc mirantur homines.* Iterum & quæ rarò contingunt, vt transitus maris rubri sicco pede, victoria fęminæ Iudith contra Holofernem. Idcircò facta sunt poëmata vtroque: sicut & de victoria Debboræ contrà Sisaram. Item Actiones hominum rarissimæ, & quæ imperium nouum aut seculum nouum pariunt in Mundo, vel in aliqua regione in qua canendum est poëma: Sicut in Italia aduentus Æneæ initium Monarchiæ Romanorum, in Palestina Iosue introitus & bella: in America ingressus Hispanorum. Superat omnia humana Columbi facinus. Admirabilia simpliciter sunt gesta Moysis & Iesu Dei nostri; quæ Iuuencus & Vida, cecinere. Item Prophetarum & Sanctorum mirifica gesta, quæ cecinit Dauid, imitatur Prudentius & Sedulius, Ambrosius, sicut Orpheus suos Deos laudauit, & Natio quælibet sui legislatoris canit originem gestáque. Vbi autem non insunt res miræ, finguntur. Nam bellum Troianum fuit quasi nihil ad bella Romanorum, & Assyriorum, quorum imperij particula erat Troia teste Plat. in Dialog. de legibus: Nihilominus Homerus tot mendaciis magnificauit illud, & pugnis deorum nedum hominum, vt videatur exemplar totius generis humani continere, & plus roboet Achilles fictus, quam Alexander verus, aut Cæsar, in ore hominum. Non tamen canemus impossibilia vt quod Scardaflus heremitam proiecit impetu tanto rotantem, vt de interioribus Galliæ in mare Ligusticum per aëra caderet. Possunt hæc diis & miraculose tribui, non autem hominibus iuxtà fidem auditorum. Sic fingunt Papassi Macomettani, quod Haly gladius vno impetu viginti Christianos simul trucidabat. Et Ariostus quod lancea Argaliæ aurea, quoscumque tangeret, prosternebat,

quoniam

quoniam incantatione temperata fuerat. Hæc licent, vbi & aliquid significant, & fidem habent, non vbi veritatem côculcant, & sunt incredibilia. Mirabilia sunt secundum artem astutiæ, inuentiones rerum raræ; secundum fortunam casus fortuiti, & qui Dei nutu euenire creduntur, vt quando statua Mityi in agro cadens interficit Mityi interfectorem, sicut Arist. testatur. Simile est, quod Valerius narrat de eo, qui inimicum pugione inuadens, apostema aperuit & pro morte salutem attulit. Mirificus est amor Herus & Leandri: Pyrami & Tysbæ, Sansonis capillatura, Gedeonis pugna, &c. Tandem à natura, à fortuna, & ab arte, quæcunque rarissima, & grandia pro mirificis canemus: peregrina quoque & noua, vt Iaponensium, & Chinarum mores, & gesta & ritus. Nam bonus poëta præsertim Epicus totum Mundum introducet. In hoc Ariostus excedit Virgilium, & Homerum in Astolfi, & Rogerij itineribus, & Regum orientalium mentione, nisi fabulosissimus esse ex Boiardo didicisset.

Rursus autem iucunda sunt omnia mirifica; nam docent nouitates: doctrina autem conseruatiua est maximè generis humani. Præterea repræsentant generis nostri robur, & dignitatem, si humana sunt: si diuina, societatem cum superis, qua nil suauius; & vitæ immortalis promissionem. Si fortuita, sapientiam & vires in superando, vel fragilitatem in patiendo. Hac docemur cauere, illa lætamur exsuperare. Maximè autem iucunda sunt virtutis officia ingentia rarissimáque, vt amicitia Thesei Pyritoïque. Item quid sancta Pelagia, & Mater & sorores in Antiochia pro virginitate fecerint tuenda, quam poëticè exornat historiam S. Ambrosius ità eleganter, vt metrum non desideres, sicuti & amorem duorum martyrum, quos præfert Pythagoricis duobus à Dionysio interficiendis: & Sixti Charitatem cum laurentio certante de martyrio: quos Pyladi, & Oresti anteponit. Hac in re Ariostus est mirabilis, dum fidelitatis, & magnanimitatis, & euentus varij, canit exempla in Orlando in

Zerbimo, in Bradamante, &c. Mortes pro virtute, & amore & fide, ſunt mirabiles, quoniam raræ, & animos diuinos declarant; Ideóque iucundè, quoniam virtute ſeruamur, & Deificamur. Miramur & lætamur cum ſceleſti per prudentes propriis capiuntur dolis. Qui etiam naturæ opera mira canunt, vt Empedocles & Lucretius ſunt ex materia mirabiles: ſed iucundiores quam qui canunt amores: quoniam dum doctrina bibitur in animo, dulcedo mira ſentitur, & conſeruationis modela. Vtinam in plateis Philoſophiam, & ſidera caneret crinitus Iopas Virgilianus, & non fabellas cæcus Homericus. Videres enim populos fieri doctos & admiratiuos veritatis, non figmentorum. Mirabiliora ſunt opera naturæ, quam fabulæ poëtarum, ſed non admiratur qui eas non intuetur: non intuetur cui non aperiuntur: non aperiuntur non potenti videre: demus ergo illis virtutem videndi per carmen ſuaue, clarum, lepidúmque: & per exempla mirifica, delectabiliáque. Ex his igitur patet quænam ſit materia poëtarum: omnis 5. res actioque mirabilis. Nec rectè Ariſt. excludere phyſiologiam: licet vulgò non ſatis placeat; ſed aſſuefaciendi ſunt populi ad altiora. Nam vt Plato ait, ſi in platea apparerent mimi, qui effigies homunculorum loqui fingunt, & paces & rixas inter eos celebrant: & Comici, qui euentus popularis vitæ repræſentant: & Tragedi qui fortunas Regum diras: & alter qui Heroüm canat facta: alter qui pſalmodia laudes Dei & ſublimia, occultáque ſuperum pendat dulcè canendo: videres quidem pueros omnes ad circulatores, homunculorum fictores, accedere; Iuuenes comœdiam coronare: viros Tragediam. Nam (teſte Salom.) *Melius eſt ire ad domum luctus quam conuiuij*: Viri dicti heroïca canentem libentius audirent. At ſeniores doctiſſimi pſalmodiam, quaſi illa omnia iam norint eſſe nihil, vel parui momenti: quæ verò de Deo dicuntur, non dum percepta eſſe nobis; & quia nobis debentur, & ad illa properamus ex memoratis, vtique ſuaue eſt de illis audire: ſicuti S. Nicolaus Tolentinas muſi-

cam cæleſtem propè tempus mortis prægustare ex deſiderio videbatur. Et S. Bern. & S. Thom. & Io. Gerſon. in expoſitione cantici diuini, mortui ſunt; quod de Socrate Plato etiam quid ſimile affirmat. Sic eſt populus totus. Nunc quidem puer eſt, mimis & circulatoribus intentus: quorum vanitates cum depræhenderit, ad comicos ſe transfert, inde ad Tragicos, tandem ad Heroas, tandem ad diuinas auditiones. Clamat ſapientia apud Salomonem contra nos. *Quouſque paruuli diligitis infantiam?* Poëtæ vſque modo fabulatores fuerunt, homerici; quos admirati ſumus. Æquum eſſet ad veraces & diuinos Mundum aſcendere. Incepit Dantes Comediam eleuare in ſtylum diuiniorem, ſed iam ad imas feces cum gentilibus reuerſi ſumus.

Ex forma poimatis admirationem, & voluptatem trahi dupliciter, videlicet ex diſpoſitione dicendorum in poëmate, & ex forma elocutionis, S. Metro de quo poſteà dicendum. Vt rectè formetur poëma requirere vnitatem, magnitudinem, ordinem, & ornatum.

Art. III.

MAteria pertinet ad inuentionem poëtæ, forma verò ad diſpoſitionem, vt cum Rhetore concurrat. Admirabilitatem, & Iucunditatem ex forma poëmatis habemus dupliciter; alteram ex forma elocutionis, quæ eſt metrum, alteram ex diſpoſitione dicendorum. Plurimum enim refert quid prius, & quid poſterius dicas, & quomodo contexas, nodes & enodes poëma. Forma dictionis per ſe mirabilis eſt, dulciſque quoniam artem multam continet in locatione ſyllabarum & pedum, & temporum breuium, & longorum, ex quibus cauſatur menſura blandè mouens ſpiritum humanum, afficienſque inſtar muſici cantus. Quomodo debeat eſſe elocutio

clara, ſuauis, grauis, morataque, & figuris variegata, dicemus poſterius: non tamen æquè vbique, vt Taſſus ſolet, ſed pro perſonarum & rerum conuenientia.

In forma dicendorum in poëmate faciunt admirationem, & Iucunditatem, Artificium poëtæ, & quæ extrinſecus adhibentur, vt melodia, & apparatus: ſed hæc non ſpectant protinus ad poëtam. Requiritur ad formam ſecundum artem, vnitas magnitudo, & ordo, & ornatus mirificus, Iucunduſque. Hæc autem omnia à functione, & fine poëtæ accipiemus.

Vnitatem, magnitudinem, & qualitatem ex fine poematis haberi.

ART. IV.

QVoniam enim poëma exemplar veritatis & vitæ poſitum eſt: docens ab exemplo, quod ratione vix capimus: exempla autem oportet eſſe clariora exemplatis, & breuiora, & tanta taliáque quanta qualiáque benè percipi queant. Tunc enim iucundus eſt, & mirabilius, cum facilius, breuius, & fugacius animo adhibetur.

De Vnitate.

ART. V.

VNitas igitur eſt vbi tractatur res vna, vel plures ad vnum finem; vel actio vna, ſi vnam ideam complectantur. Arbitror rem eſſe vnam tota Georgica Virgilij, quoniam non niſi de cultu terræ agit: at de ſtellis quatenus ad illam conferunt; ſimiliter de animalibus eiuſdem ratione. Si autem ſimul bellum Troianum miſceat, aut epiſodia & digreſſiones, quæ ad terræ cultum nil ſpectant interponeret, diſſolueret vnitatem. Similiter dum Pontanus canit ſidera, ſi de heroïbus, aut de cauponibus intermiſceret, Solueret. Quæcunque pars

poteſt abſtrahi, remanente perfecta narratione, illa non fuit pars. Requiritur vnitas metri, vbi perſonæ per ſe non loquuntur, quarum varietas aliud metrum poſcit, vt in comœdia. Omnes igitur partes, & epiſodiæ ſint inuicē membra, ſicut in animali perfecto, & non ſicut in monſtro, quod deſcribit Horatius, cuius caput ſit humanum, ceruix equina, dorſum alatum, &c. Idem dicimus de poëmate Philoſophico, & ſatyrico Et quia aliorum alia eſt vnitas, de ipſis ſeorſum conſiderabimus.

De Magnitudine.

Art. VI.

MAgnitudo poëmatis à materia decernitur. Oda enim breuior Satyra, & hanc excedit Elegia. Maledicentia enim irati eſt, breuiter loquentis, & pungenter. Deploratio longa & exaggeratiua. Has Comedia & Tragedia ſuperat, quæ actionem repræſentant, quanta in vnius diei ſpectaculo Theatrali agi poſſit. Quod ſi in plures dies, actiones ſe conſequentes plures erunt, vt Tragedia paſſionis Chriſti, quę tribus in diebus agitur. Alia poëmata phyſica, & Moralia & heroïca, longiora ſunt, pluribus recitanda diebus. Non tamen in hiſtorię magnitudinem excreſcent. Cum enim ſint pręcipua exempla doctrinæ, & vitę humanę: exemplaris virtutem non breuiabunt, aut truncabunt paucitate: neque diſpergent granditate. Sicuti neque Iucunda eſt pulcritudo pigmei, neque gigantis, ſed mediocris hominis, ità & poëmatis. Nos enim omnia nobis menſuramus. Vnde nec numeros vltra decem porrigimus, quoniam nobis notæ manus noſtræ ad hos ſolũ ramificãtur. Puto melius diſponi poëmata doctrinalia, ſi in viro docto ea formamus, vt heroïcum in viro ſtrenuo, quam ſi doceamus more phyſicorum non in exemplo & ſpeculo ſed in exemplatur verſamur. Habeat principium poëma, medium & finem, ità coherentia, vt vere ex principio cætera ſequantur, & medium

copulet ipsum fini. Finis verò est vltrà quem non extenditur actio, vel doctrina. Si enim canam Iosue victorias, in Regum deuictorum morte finem faciam, nec de agrorum diuisione tractabo, quæ subsequitur. Hoc enim ad historiam spectat nationis, non ad exemplum heroicæ virtutis. Quare nec vbi Physiologiam vsque ad hominis conditionem & partes, & vitam, cantabo, ad moralia transgrediar, vitia, & virtutes, nisi nouo poëmate. Sed in his quæ recitantur magnitudo breuior, in legendis profusior non inconuenit.

De Ordine.

Art. VII.

ORdo autem videtur mihi non naturæ sed doctrinæ amplectendus, vnde melius addiscant auditores, presertim in poëmatis doctrinalibus. In actionibus verò propè mutationem actionis, ità quod quæ præcesserunt, referantur quasi episodia ab aliqua persona. Et quia alia secantur in actus, alia in libros, alia in pausas, vt hymni: idcirco de ordine seorsum agemus. Quæ autem sequuntur post actionem tanquam præuisa in aliquo Episodio canemus, non tanquam historiæ partem.

De Ornatu multipliciter.

Art. VIII.

ORnatus erit non modo ex elocutione, sed ex omnibus viuificationibus sermonis, quas schemata vocant, de quibus in præcedenti libro cum dixerimus, non opus est repetere. Figuræ quoque elocutionis nulli magis quam poëtæ deseruiunt. De quibus etiam ibidem dictum est.

Vocabulorum mutuationes, quas tropos alij dicunt, ibidem diximus, nil opus est repetere; sed quod conueniant magis poëtæ, quam aliis scriptoribus, hoc palā est,

De vocibus autem latius in fine tractabimus. Hæc omnia ornatum mirificum, & iucundum reddunt. Maximè autem si Oratio sit morata, ità vt quælibet persona imitetur res, de quibus loquitur, & mores loquentis, vt bonus boni, improbus improbi, coquus coqui miles militis. Item & præsentes passiones, iratus iram, miser miseri ante oculos affectum & afflictionem ponat, non quasi fingens, sed quasi verè affectus. De affectibus diximus in 4. lib. huius voluminis. Gestus quoque interdum describes, quod Epopeus melius facit quam comicus. Iste enim aliis imitandum committit, & exprimendum: ille de se introducit.

Conueniens est scire quod iratus pauca loquitur, & ironicè, & per prosopopęiam interdum, & sine ornatu. Et hic est imitantis ornatus. Deprecator plura, & humiliter, nisi temporis angustia premat Turnum iugulandum iam dicere in vno uersu: *Per te, perque tuos, qui te genuere parentes.* Laudator eleganter, Accusator mordaciter. Hęc autem omnia ex lib. præcedenti, qui Philosophatus est, vel ex hominum obseruatione cognoscet. Neque decebit Regem sordidè loquentem introducere, nisi fortè Sardanapalum; neque militem humiliter. Neque mulierem physiologicè: neque seruum senatoriè. Similiter aliter iuuenes, ac senes, & pueri, aliter loquentur. Vt morata oratio sit verè ornata. Sicut enim non decent Gabrinam vestes masculi, neque iuuentulæ, ità nec elocutio, nec pronunciatio.

Dantes videtur omnes poëtas in hac ornamenti proprietate superasse; Ariostus est ei proximus inter vulgares. Inter latinos ad viuum Catullas vocibus aptissimis prę oculis ponit quidquid dicit, præsertim amores. Virgilius autem grauius omnia tractat: nec gestilationes, sed gestus in re, & sermone imitantur.

DE POEMATVM SPECIEBVS.

GENERA AC FORMAS POEMATVM esse plurima, sed præcipuè duodecim: & de ipsorum ratione, & inuentione. Et in psalmodia Dauid omnia reperiri, ac plura quàm vsus habet. Nec poetas gentium quid nouum inuenisse.

CAP. VIII.

ART. I.

QVoniam poëma populi, non philosophorum, gratia conditum est. Hi enim veritatem purè hauriunt. Ille non nisi mistam illecebris, exemplisque sensibilibus: quidquid ad populi salutem,& informationem facit, subiectum est poëmati, dum mirificum sit, prout dicebamus, & vtile. Igitur quoniam Resp. habet pro fine Deum,& pro conseruatore, & creatore, primum poëma erit nobis sacrum: quemadmodum psalmodia, & hymnodia. Non modo enim Dauid sed Orpheus, & Homerus laudes (Dei ille Deorum isti) cecinerunt. Est horum proprium beneficia Dei erga genus humanum canere, gratias agere: homines inuitare ad sui creatoris laudem, vitia corrigere, vt ante Deum possint comparere; virtutes tanquam vias ad Deum extollere: aduersa & prospera quæ sint secundum Deum docere, miseros consolari, diuites superbos, auarosque terrere: tyraonis & sceleratis gehomnam minari; fortiter pro virtute certantibus peremnes delitias ostendere, necessitatem ab eius virtute deriuare: rerum harmoniam eius ample constantem ostendere:sanctos quoque laudabit, vt Dei ministros, & in miraculis, & sanctitate illorum diuinam virtutem relucere docebit. Omniaque ad Deum referet: & leges diuinas & Prophetias declarabit.

Secundo quoniam lex est communitatis virtus, potest poëma

poëma legale fieri, vt Solon. At melius leges claris strictisque verbis canendæ videntur. Moralis autem doctrina exemplis satyricæ, & elegorum comprahendetur.

Tertiò indigent populi naturas rerum nosse, propterea que philosophicum poëma inuentum est. cuius est latentes naturæ veritates dulciter promere, vti Lucretius, & Parmenides, & Empedocles. Immo Medicinam & Astronomiam alij cecinerunt: quoniam carminibus compræhēsæ facilius memoria tenētur, & temporū iniurias vitāt.

Quartò Quoniam Resp. duabus artibus maximè indiget, Pastorali, & Agricultura: idcircò de his factum est vt canerent poëtæ, vt Virgilius Buccolicam cum Theocrito, & Georgicam cum Hesiodo. Posset & poëma Nauale fieri, quoniam hæc ars plurimum prodest, sed non vbique. Attamen Sannazarius piscatorias eclogas inuenit magna cum laude. Patres enim & Reges olim pastores fuere, ideò Bucolica propria illis erat. Nunc autem piscatores sunt Ecclesiæ patres, vt ista Ars celebritate sit modò dignior.

Quintò quoniam scelero si insignes aliquando sunt in mundo, quorum vituperatio Reipub. prodest valdè; propterea Satyra inuenta est vitiorum execratiua.

Sextò quoniam laude digni alij insigniter ob beneficia populo præstita, & virtutis ostensionem in morte, vel actione præclara, sicuti sancti & Heroës: propterea que inuenti sunt hymni, & odæ, & quæ lyra canimus carmina, aut in choro organis resonamus.

Septimo Scire antiquorum gesta miranda, vtile est. viuimus enim alios imitando, qui benè vixerunt, & eorum exemplis animati, & impragnati bonas actiones parturimus: sicuti ex malis malas. propterea que inuentum est poëma heroïcum. Historia enim longa est, & exemplum ab illa non nisi studiosi, & ociosi ad omnes actiones inueniunt. Mirifica autem exempla plus mouent & quæ facile & iucundè addiscuntur: propterea que inuentum est poëma heroïcum. In quo maiorum gesta compilantur omnia, & aliunde accersuntur in exemplum. Heroüm

laudes canuntur, & omnis hominum generis exempla contexuntur. Nam & ſacerdos, & miles, & conſiliarius, & latro, & Tibicen, & Nauta, & dux; & ipſorum ex virtute, non ex fortuna, geſta conſiderantur, in vna actione & Reſp. militaris, & pacifica conſcribitur. Et quoniam fortitudo heroïca eſt duplex alia, in agẽdo, qualis in Achille, alia in tolerando, qualis in Vlyſſe, propterea duplex poëma heroïcum fecit Homerus, iliad. & Odyſſ. At Virgil. & Arioſtus coniunxere vtrumque.

Octauò Quæ ex fortuna accidunt etiam noſſe prodeſt, non tantum quæ ex nobis. Fortuna autem eſt occulta Dei prouidentia. Et ex hoc duo poëmata nata ſunt. Nam vel principum & regum fortuna repræſentatur, & ſic fit Tragedia. Qua Tyramnos admonemus, ne dominatui & fortunæ præſenti confidant; Reges verò nec propriæ virtuti: quoniam iuxtà Dei ordinem res geruntur, & voluntatem. Pulcrumque oſtendimus pro Deo, & virtutibus pati. Turpè verò pro vitiis. Et quid diſtet bonorum finis à malorum fine ſpectamus.

Nonò Sunt alij euentus populares, qui circà vilium, aut mediocrium vitam implicantur; maximéque in matrimoniis, in re familiari, in carceribus, in rixis conſiderantur. Et de his facta eſt comedia, vnde mores plebis, fœminarum, & ſeruorum, & ſenum, & aliorum artificum docemur, & euentus varios, qui accidunt præter ſpem ex lætis, vel ex turbulentis negotiis, addiſcimus. Et qua ratione & fiducia viuendum ritè intelligimus.

Decimò Elogia dum quis miſerias proprias, aut amicorum neces deplorat, Sicuti Dauid Saul, & Ionathan. quæ non niſi in mirificis, digniſque ploratu communi fieri debet, vt ſi Iepte filiam plores, aut Ieruſalem deſolationem cum Ieremia.

Vndecimò Sunt & Epithalamia in nuptiis ad hilaritatem carmina, & imprecationes fælices apud Catullum.

Fiunt alia in feſtiuitatibus. Et quidquid memorabile accidit, poëmate dignum eſt. Alemanus canit Tybris, inundationem, Fracaſtorius morbi venerei originem, & alij aliud. Nec ratione vacant, nec autoritate. Etenim

memorabilia metro canere, naturale est rusticis, bubulcis, & pastoribus, & pueris: Seque ipsos ita exhilarare vel monere. Autoritas Dauid maxima est, quæ de cunctis euenientibus psalmodiam fecit: & quæcumque nunc poëmata enumerauimus in lib. psalmorum & prophetarum comperimus.

Poëma sacrum habes in psalmo. 8. & 88. & in 102. & in cunctis ferè, vbi Dei laudem tangit, & gratias agit.

Poëma legale in Psal. 118 vbi legem laudat, & ad illam nos animat, virtutesque eius docet. Neque est versiculus in quo lex aut mandatum, aut testimonium, aut iustificatio, aut verbum Dei non nominetur, in gloriam Dei, variè semper loquens de eadem re, vt non satietatem, sed affectionem iucundam generet & iuxtà alphabeti literas distinctus est, sicuti Homeri odyssea.

Morale poëma habes in primo psalmo, & in 111. & in 36. & aliis in multis.

Physiologum verò in Psal. 103. vbi disputat de cælo & terra, mari, de montibus, fontibus, angelis, animalibus, hærbis, & stellis, & de singulis creaturis, quomodo ad vsum hominum creata sunt, & describit ea suauissimè absque physica duritie, solum causas finales, & agentem indicans, interdum & materialem propinquam. Nos in canticis nostris talem psalmodiam imitati sumus subtilius, non suauius, nec affectuosius. Quis enim diuinum vatem humanus æquet? in Psal. 148. habes naturas rerum inuitatas ad creatoris laudem, sicuti & in Daniele à tribus pueris. Et hæc propriè est Physiologia vtilis, facilis, & popularis ad cognitionem, & amorem primæ causæ nos conuertens, cuius gratia physiologizare debemus, si finis coram, & non mediorum primam habemus. Sunt alij psalmi non pauci qui physiologiæ particulas tractant, vt 147. & 146. & 134. & Astronomiam, vt prædicti, & 18. vt videas de cunctis poëmatis factam esse ideam in psalmodia.

De Buccolica & Georgica exempla particularia non video; attamen sæpè Dauid vtramque artem celebrat in memoratis psalmis. Et vbi se ad regnum de pastorali arte assumptum reminiscitur.

X ij

Satyras in Dauid contrà peccatores diras inuenies, præsertim in Psal. 108. & in 52. 68. & in 34. & 9. & contra falsidicos poëtas in 11.

Hymnodia verò plenus est liber psalmorum. Sed in 14. habes exemplum commune & in 13. & in 71. & in 131.

Epopeæ, in qua gesta maiorum narrantur, habes exempla in cantico Debboræ, & Iudith, vbi etiam fabula Titanum interseritur in exemplum. Similiter in Exod. 15 de transitu maris rubri. De quo Dauid in psal. 113. magnificum poëma texit, plenum coloribus poëticis, maximè prosopopeia, & Apostrophe, & metaphoris, cum insultatione contra Deos Gentium, glorificatione Dei sui. Non legi in Mundo tam suaue, ac mirificum carmen; Vtinam in tua lingua & metro audire ipsum possem, vt magis exhilararer in domino. Item habes consimile exemplum epopeiæ in Psal. 77. vbi epilogat omnia miracula Dei facta in Ægypto pro populi Israëlitici liberatione: & gesta patrum in deserto, & antequam in terram sanctam intrarent, labores, errores, remedia. vt nihil desideres. Idem & Iactantius facit in Psalm. 104. & 105 tanta cum eloquentia & figuris, ponens magnalia patrum, erroresque & Dei auxilia ante oculos, vt quasi videns ea non legens sibi videaris. Repetit historias has in 106. sed alia figura loquendi longe suauiore, post quotlibet septem versus illud repetendo; *clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos*, sicuti in Psal. 135 semper repetit hoc *Quoniam in seculum misericordia eius*. Ex his accepit Virgilius fortasse eas repetitiones in Egloca *Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnim*. Et quidem videtur mihi hoc prius fuisse poëma heroïcum, historias texere breuissimis & elegantissimis, & affectuosis verbis, ne ad legendum totam patrum historiam populus insufficiens, remaneret absque exemplis, sed haberet omnia in epilogum redactas. Poterantque sic plures actiones coordinari ad vnum finem pandendi mirabilia Dei, vt poëma haberet vnitatem. Nunc autem Græci extenderunt exemplum historicum vnum per episodia, & varias narrationes, feceruntque poëmata nescio an sic

vtilia. Nam licet plus afficiant ob moras, quibus leguntur, & varietates, non tamen plura in vno habes acta, exempláque. Horatius videtur in laudibus Cæsaris & Drusi, & Mecænatis, aliorúmque sic compilasse historias. Et Petrarcha in triumphis mirificè oblectat huiusmodi ratione vitas Philòsophorum, & Heroüm, & Pudicorum, & Amantium commemorans. Exemplar Tragediæ non habeo in Dauid, sed elegiæ, quæ est abbreuiata Tragedia, vt in 3. Psal. & in 87. habes & Tragicomœdiam in Psal. 101. & in Iob à Moyse descripto versibus, & personis, & linguarum imitatione ex parte, non penitus, sicuti Plautus Mercatorem punicum punicè loquentem introducit, vt admonet S. Hieron. Historia Tobiæ, Esther licet sine metro, exemplar præbent huius poëseos. Extat elegia & Tragedia in Psal. 78. & 79. & in 136. 43.

Epithalamium extat in Psal. 44. mirificũ, in Salomone, & vxore, dicunt Iudei, sed falsò: quoniam sponsus ibi sæpè Deus vocatur à Deo vnctus in Regem, vt agnoscas Deum filium incarnatum accipientem vxorem Ecclesiam, à patre Deo vnctum, spiritu Dei, Deo..

Sunt & canticum graduale cum de Babylone in Ierusalem Iudei reuertentes præuidentur. Sunt & in cunctis festiuitatibus varia carmina. Nec poteris inuenire nouum, quod non in Dauide præcesserit. Rectè Ambrosius docet, quidquid poëtæ Gentium mirificè dixerunt, & allegoricè, prudenter, ab hebreis accepisse. Nam & fluuios butyri, & mellis, & cocytum, aliáque huiusmodi habet in Iob. Item figuras cælestes Arcturum, Oriona, pleiades, & alia huiusmodi, quæ fabulosi mendaciter non salubriter Græci suis nouellis heroïbus fictisque tribuerunt; ridiculi etiam Platoni, qui ab Ægyptiis longe ante omnia hæc inuenta tradidit, testimonio Solonis illuc peregrinati. Ægyptij autem ab Abraham, & à filiis Noë, vt Philo & Iosephus testantur, & historiarum cursus admonet. Quamobrem neque à Doriensibus neque à Megarensibus manauit Comœdia, Tragediáque vt Arist. putat. Habes enim in Iob vtramque: Comœdiã verò maxime in cantico Salomonis, vbi sponsus, & sponsa, &c.

Adolescentulæ Dramatice introducuntur. Neque enim antiquitus plures personas capiebat comædia Grecorum sub Tespide & Eschilo. De dithirambis nil inuenio in psalmodia secundum formam exteriorem sed secundum sensum, nil, deest. Sunt enim versus ex vocabulis duobus integri: græcis enim fingere voces connectereque dabatur. Adest tamen exemplum in illo versu *conturbabantur constantinopolitani, &c.* & in Ariosto *Inauueduta mente manifesto, &c.* Et in Dante *Misericordiosissima mente, &c.* ex vna voce carmen vnum.

Fiunt varij generis epigrammata, quando aliquid lepidi, vel mirificè iuxta nostram affectionem occurrit: Quibus respondent vulgares Sonetti, & Madrigales, & Ballatæ, variis pedibus effincti, sicuti in latina lingua Phaleucij versus, Asclepiadei, & Sapphici. In quibus licentia restringitur, & Ars limatur valdè: & sententiæ graues, aut lepidæ concluduntur, vt poëticum salem sapiant. De quibus suo loco. In psalmis verò hæc omnia habes, sed tamen ad Dei laudem directa. De quibus satis. Nunc ad poëmatum formas particulares sermo vertatur.

De Poëmate sacro Praxis.

ART. II.

POëma sacrum aut afflatu spiritus fit, aut deuotione humani. Illud non subiicitur regulis humanis, sed poëtæ spiritu Dei in dicendo reguntur, sicut Dauid, *Audiam* (inquit) *quid loquatur in me spiritus Dei.* Sunt ergo sicuti Organa. Mouentur tamen à spiritu secundum attemperationem humanam. Nam Amos armentarius loquitur exemplis sumptis de carro onusto, de vncino pomorum, de trulla cimentarij. Isaias vir nobilis de templo, fumo, vinea electa, de dromadariis, equitibus: spiritus enim Dei species in anima ex sensibilibus acceptas ordinat ad significandum, vt S. Thom. cum Hier. aduer-

xime in cantico Salomonis, vbi sponsus, & sponsa, & tunt. Cernere est in his omnes vitalitates sermonis, & Mutuationes, & Affigurationes, de quibus in lib. præcedenti: nec vllam fabulam fabulosè introductam, sed aliquando exemplariter, si Theodoreto credas, vbi Dauid ait, *sicut Aspidis surdæ, obturantis aures suas, quæ non exaudiat vocem incantantis, &c.* putat enim secundum literam fabulosum esse, quod Aspis sic faciat. Allegatur fabula Titanum in cantico Iudith. Vnde S. Ambr. probat posse vti Theologum fabulis tanquam sermonibus vulgatis ad exemplum. De allegoriis & Methaphoris ità palam est, vt nihil magis. Non enim possunt diuina exprimi nisi humanorum similitudine, vel analogica, vel Metaphorica, vel mista. Dauid autem fatetur se poëtarum more loqui. Dum ait, *inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam, &c.* Et alibi dum gesta parentum introducit. *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.* Sunt enim similitudines futurorum omnia præterita: & humana diuinorum: idcircò quatruplex est sensus huius poëmatis, & parabolarum; literalis, Moralis, Allegoricus, & Anagogicus. Primus est communis historicis. Secundus etiam poëtis: vt mores exemplo informent. Tertius est per figuras rerum præteritarum futuris similium, & est proprius prophetis in prophetia imaginaria. Neque enim Allegoria verborum nuda, sed rerum est. Quartus est proprius sublimioris prophetiæ, qua ex præsentibus futura in alio sæculo post mortem figurantur. Ad hæc non transcendit poëta humanus, nisi furando dicta diuinorum.

Poëma verò sacrum ex deuotione imitatur Propheticum. Sicuti enim magnes per se trahit ferrum: ferrum verò affricatum illi, trahit aliud ferrum: vt Plato in Ione admonet; sic poëta deuotus prophetis, eorum imitatione diuina canit. Sic Diuus Thomas de Eucharistia hymnos mirificos fecit, in quibus se ipsum exuperauit. Et S. Ambrosius multiplices scripsit, & Sedulius elegantissimè. Sed insuper imitantes ex parte humanos ex parte diuinos, Tragedias spirituales fecerunt, vt Gregorius Nazianze-

mis; & Epopeas, vt Hier. vida Christeidam. Et Iuuencus Euangelicam historiam cecinit. Et Arator acta Apostolorum. Alij alios libros. Vt Petrus Riga totam S. scripturam carmine descripsit. Apollinaris autem ex parte. Verum enim verò formam materiæ non suæ introduxerunt. Exemplum est poëma non historia, & scientia. Cantica Salomonis rectè cani possunt: Iob & Tobiæ historia vtiliter repræsentari possunt vt mos est Hispanorum. His neque certas de regulas: quoniam si Tragediam pangunt, regulis Tragediæ vtentur; si hymnos hymnodiæ. Quo in negotio bonus est Horatius. Non tamen omnia dicemus, nisi mirificentiora gesta, & transcurremus alia. Nec excusationes longas nostri adducemus, vt Eneas syluitus in hymnis S. Catherinæ. Si enim spiritu bono non viges, & doctrina, noli te immiscere. Imitare psalmographum, & prophetas: qui tibi regula sunto. Nec tam metri curanda est regula, quam sonus auribus gratus, & doctrina recondita, benè restricta & destillata. Si S. Thomas mensuras inspexisset, non sic altè locutus esset, mirabili lepore doctrinam profundissimam exprimendo. Nec mirum: imitatus enim est cantorem hymnorum de passione Domini: in quibus historia tam doctè, & eleganter, & affectuosè canitur, figuris elocutionis, & affectionum consperfa, vt nihil melius. Affectuosè Bernardus canit, non tamen artificiosè. Artificiosè Ambrosius, & affectuosè. Boëtus mediocriter. Poëta autem nisi excellat, haud satis probatur. In cæteris artibus acceptatur mediocritas. In poëtica non nisi excellentia. Quid enim te cogit esse poëtam? Nouissime Maffeus Barb. ad antiquā Dauid, Mosis, Lini, Orphei, Musæi, Poëticam condit reuocatque Poëmata, spretis regulis Arist. & Pedagogorum egenis.

De Poemate legali.

Art. III.

POëmata legalia jam cessarũt, qualia fecit Solon & Arabũ legifer, & Amph. & Orph. si Horatio credimus. Attamẽ Iuuencus legem euangelicam versibus expressit, ipsique legum glossatores, vt memoria tenax sit multarum & abstrusarum conditionum, & legum, versiculos pangunt. Sic logici modos syllogizandi metricè ponunt. Et omnis Artifex. Validissimum enim carmen memoriæ adiumentum, & æternitatis custos. Leges quidem omnes carmine comprehendere esset formam vagæ materiæ imprimere. Potes in vno viro sancto totius legis obseruatore exemplum legis facere; & hoc minimè poëticum est. Quod ex parte facit Dauid in psalm. 14. & aliquis in vita S. Basilij.. Totam quoque legis summam cantico comprehendere, sicut fecit Moyses incipiens, *Audite cæli, quæ loquor, &c.* laudabile est. Ipsam legem, & vtilitatem narrabis. Et Dei latoris gloriam, & voluntatem docebis: pænas temporales & æternas transgressoribus minaberis: præmia & laudes obseruantium docebis. Protestaberis. Introdoces Deum mortales alloquentem, & prouidentiam ab origine rerum eousque patefacies. Victores vitiorum, & hostium, & diabolorum per legem ostendes: victos verò qui non auscultabunt. Et quamuis propheta non sis, hæc tamen prophetia semper vera est secundum naturæ & Dei institutionem. Huius carminis autor sapientia plenus, & amore generis humani esse debet. Sermo non erit longus, qui in hora vix vna recitari possit, & ab omnibus populis memoriter addisci. Conueniunt illi hexametra grandiaque carmina. Semimetra Moralibus doctrinis conueniunt, prouerbiisque: quæ similiter cadant, vel finis anterioris, medio sequentis congruat, vt memoria teneatur. Qualis cantilena Petrarchæ, Iò non vò più cantar, come soleua.

De Poemate philoſophico, multipliciter formabili.

Art. IV.

POëma philoſophicum triplex eſſe poteſt. Aliud enim ad laudem primæ rerum Cauſæ fit, quem ex vtilitatibus noſtris amare incipimus. Et hoc fit principia rerum, gubernationes & Mundum & Mundi partes cæleſtes terrenaſque dicendo, ipſarumque vſus in ſe, ad nos, & ad Dei honorem, ſicuti Dauid in pſal. memoratis fecit: cauſas finales & agentem phyſiologiæ ſolum canendo. Vagum erit carmen, graue, oſtenſiuis affectibus plenum, animos ex rerum contemplatione mirificè ad Deum attollens. Nec excedet horā narratio illius; poſſit vt ab omnibus audiri, & memoria teneri: quoniam lex naturæ prior eſt quam ſcripta: & prius addiſci debet. Nos triplicem pſalmodiam ſcripſimus de rerum natura: in prima cæleſtia, & incolas, in ſecunda terreſtria, in tertia hominem cecinimus, & Dei laudes ex his, & gratiarum actiones expreſſimus. Fecimus & poemata metaphyſica, vnum de ſumma Potentia: vnum in tribus cantilenis de ſumma Sapientia: vnum de primo Amore. Duo de ſummo bono. vnum de pulchro: potius excitantes ingenia lepidiora, & quæ minus occupata ſunt inuentionibus grauiſſimis, ad poëſim vtilem, quam delectationem propinantes, niſi his ſortè, qui mirificæ ſapientiæ affectione tenentur. Aliud eſt poëma de rerum natura fabuloſum, quale in Metamorphoſibus Ouidij paſſim habes. Vt de Amore Apollinis, & ſyringæ, & cum Clitia & de Dearum cōtentionibus, quę ſunt virtutes: & de Phætōtis caſu. Et de ratione qua boreales à Meridionalibus ſuperari queunt, in fabula Iaſonis à nobis politicè expoſita. Sunt & transformationes, quæ affectionum noſtrarum vim indicant. Sed vbi de chaos diſtinctione loquitur, & vbi Pythagoram ſuam philoſophiam declarantem introducit, clarius philoſophari docet. Et eſſe melior modus. Ille allegoricus abſtruſuſ-

que parum vtilis. Qui autem totam philosophiam allegoriis dicat, non videbis, sed quædam arcana tamen. Sicuti Salomon amores sacros in canticis allegoricè expressit.

Aliud est poëma igitur clarum totam phisiologiam cõprehendens. Hoc vnitatem habebit ab ipsa natura cunctis rebus dicendis communi. Magnitudinem iuxta scientiam quam tradit. Nec de medicina dicet, nisi in alio volumine. In alio Astronomiam, in qua nominare sidera licebit, & fabulas facere, quoniã clarum est non verè affirmari, sed sensum alterum continere: nisi Græci ex prioribus sensibus ad sua deliria fictaque græcanica detorsissent narrationes. Distingues per libros, vt alius de principiis, alius de congressibus principorum, alius de elementatis primis, alius de secundis, alius de homine, & quę sequuntur contineat sermonem. Et in principiis refocilletur animus lectoris aliqua moralitate, & commendatione doctrinæ vt Lucretius facit. Ariostus licenter in his quæ per se suauia sunt, vel non grauia, his vtitur exordiis, quibus Homerus & Virgilius abstinent, nectentes libros alterum alteri, quoniam illos recitabant: nec cursum historiæ abrumpere debebant. Proprietate verborum gaudet physiologia, & vbi desunt vocabula, non vteris metaphora, sed finges noua, vel à proxima lingua mutuaberis. Italicus à latina: Latinus à Græca, Hispanus Ab arabica, & latina. vbi verò res ipsos non doces, licet vti metaphoris. Vellem in formam poëmatis redigi phisiologiam, meliorem ac Lucretius fecit, introducendo causam primam Deum, executores Angelos, & Ideatores, effluxum idearum, gubernationis ordinem. Hæc enim mirifica sunt ex Theologia accersita, vt poëma candiant. Sed cum Lucretius esset epicureus contra Religionem inuectus à sola dictione iucunditatem, & admirationem procurat, & sterilescit. Melius Plato Timeum loquentem introducit, & Philosophiam altius tractantẽ. & Ouidius Pythagoram. Hac ratione personis introductis dispositionem poëma propriorem habebit. Arbitror nostræ physiologiæ epilogismum aptissimè nil immutatum posse versibus cantari.

Heroïcum metrum graue huic poëmati conuenit latinè. Vulgariter potius quod dicimus *tertia rima*, vt in Dante. At hucusque versibus mensura latina compactis nemo ausus est vti, quod fecimus nos in canticis nostris, quo aliis præberemus ansam meliora faciendi.

De Bucolicis, siue poëmatis pastoralibus.

Art. V.

IN bucolica est imitatio actionum pastoralium, siue bubulcorum. Vbi duæ vel tres ad summum personæ loquentes introducuntur, vel de amore, vel de pecoris cura, vel rixantes, vel de cantu, aut regimine bestiarum, aut riualitate contendentes. Fiunt breues eclogæ, vt in quarta horæ parte recitari possint, vt apud Virgilium, & Theocritum, & Sannazarum exempla habemus. Omnes figuras sermonis miscebis, præsertim viuificationes. Accerses comparationes semper ex rebus rusticis, & quemadmodum pastores loqui solent. Habet egloca semper allegoriam: quoniam pastores populorum sunt principes, vt ait Homerus: vituperabis eos, qui se ipsos pascunt, & non gregem. Laudabis bonos: eorum affectus exprimes in amoribus, & curis pastoralibus. Planges meliorum mortes, vt Cæsaris sub Dafnis nomine: populorum auram, & mobilitatem notabis, vt Sannazarus, quando Carolus octauus Rex Gallorum Neapolim inuadit, & qui Regi Aragonensi adhærebant, ad Carolum deficientes notantur.

Vedi quei duai monton, ch'insieme correno, &c.
Vedi ch'al vincitor tutti soccorrono, &c.

Hic de canibus, de arboribus, de feris omnis generis, de pastoralibus munusculis, de ocio, de pace, de bono, & malo regimine, de bellis, de vitiorum colluuie, & pecoris scabie, ratiocinaberis multa prudenter, & eleganter. Non quidem affectata elegantia hîc quæritur, sed

imitatio personarum, quæ par se delectat. Cum de Deo loquuntur, non erunt Theologi, sed quod vulgò scitur dicent. Miracula addent, auguria pastoralia. Magiam contra lupos quæ notet remedia contra tyrannos: cautelam à mercenariis, qui sui gratia pascunt, nec vitam pro ouibus impendunt. Doctus poëta multa de ecclesiasticis pastoribus sic docebit, & contra hæreticos armabit. Sed videntur proprium finem poëtæ moderni nescire, & solùm græcos imitari, sicuti cæci à cæcis ducibus tracti. Melius canit Petrarcha in Bucolicis suis sacris, licet non politius quam Sannazares in piscatoriis.

De Georgicis poëmatio, seu Agricolarum multiplicibus.
ART. VI.

GEorgica de Terræ cultu nos instruit. Phisiologiam redolet, astronomiæ mistam. Hæc Terræ varietatem & cultum, tempora arandi, & serendi, & metendi, & colligendi, & seruandi modum, ventos, stellas, morbos, & vitia, & salutes segetum, & arborum docebit. Villam describet, & campos, & domos rusticas. Et armenta boues, vaccas, vitulos, Tauros, & qui domentur aratro. Præterea præsepia, paleas, fænum, quibus nutriuntur. Item de Apum Rep. & conseruatione, & victu, & moribus, cum hortus conscribetur. Et quæ herbæ quibuscum sideribus sympathiam habent. Et astronomiam rusticorum, vt ex floritione puleij solstitium hyemale: carduum, æstiuale. Multa de casu foliorum in occasu vergiliarum. De his quæ contingunt in ortu, & occasu herbarum & apiculæ & lusciniæ & cicindularum, & hyrund. vt rationem agriculturæ concernunt. De quibus Plinius in lib. 18. multa dicit. Fæcundandi terram modum dicet, & quæ vitibus, quæ frumentis, quæ sycomoris apta sit. Plures fient libri: poëta per se narrabit, vti virgilius. Melius autem erit si agricolas tractantes de his introducet, sicuti in bucolica. Et passim intermiscebit fabellas de amoribus animalium, &

plantarum ad inuicem, & sermonibus. Nam affectiones habent inter se mutuos, quod possunt tanquam colloquẽtes repręsentari, vt palma fæmina ad palmam masculum: & vitis ad vlmum. Credo hanc poesim nondum perfectam esse Virgilius enim secutus Hesiodum dilatauit solum poëma, non sublimauit.

Poterit poëta Remp. humanam docere ex Rep. apum, vel gruum, & militiam. Et multos sensus mysticos inserere. Abundantissima est hæc materia, multarum capax idearum, si quis peritius introspectet. Reprehensiones, & laudes ex rusticis rebus colliget in nostra Rep. Non quidquid physici docent, poëta de his canet: Sed quidquid mirabile, & reconditum, vt de sympathia, & antipathia arborum cum stellis, & ventis, & terris, & inter se. Similiter & de animalibus. Et incantamenta, & virtutes plantarũ, & arcana multa de eis pronunciabit. Cætera vel silebit, vel pertransennam loquetur. Nil tamen inutile canet. Mediocris erit stylus inter humile, & sublime, & inter physicum poëma & heroïcum. Omnibus potest vti metaphoris, vbi rei proprietates non docet; & prosopopeja, & synecdoche, & aliis eiusmodi figuris vtetur passim. Plantæ enim animalia sunt immobilia, animalia verò plantæ mobiles, quapropter translationes, & comparationes mirificæ inter ista fiunt. Et ex his ad homines adsurges. Ita & qui piscatorias scribunt, amplum habent campum de Apostolis loquendi, qui pisces homines, non pecunias piscabantur. Et de corruptela sæculi conqueri. Et longè melius ac in bucolica: quoniam nobis propria sunt. Petrarcha exemplar horum fecit non ineptũ; doleo quod poëtas ista mediantes nunc non video, sed nebulones, & bubalos per nasum à Gentilibus tractos ad dicendum quod ipsi volunt.

Vnitas huius poëmatis est à rustico negotio, de omnibus enim tractat, quatenus illi deseruiunt. Sic de sideribus, & ventis, & Rep. Est ergo vnitas analogiæ attributionis. Neque enim vnam actionem tantum, quæ esset metere, considerat. Quapropter Arist. non videtur pro-

nidisse cunctis poëtis, cum solum actionis vnitatem considerauit. Potest vindemiatoria poëtis confici ex vindemiantium rixis, loquacitatibus, & hilaritatibus, non inepta, sicut cæpit Dansillus. Item Messoria ex dictis messorum, & Pampinatoria in Calabria incipit ex dictis colligentium pampinos, vnde vermes sericum vomentes nutriuntur.

De poëmate Satyrico.

Art. VII.

SAtyra ex semi hominum impuritate ac vitiis, occasionem trahens, metro currit graui. Neque enim reprehendere est cuiuscunque, sed preceptoris doctissimi, & veracissimi, non hypocritæ, non immundi hominis, qualis Petrus Aretinus, aut Francus, ne ille audiat Iuuenalem exprobrantem.

Qui simulant Curios, & Bacchanalia viuunt, &c.
& isti,
Castigas turpia, cum sis
Inter Isocratos turpißima fossa cinedos.

Non vituperabit, bonos, neque malos laudabit. Sed facinorosum quemque insignem, cuius vituperatio cunctis placeat, insectabitur. Principes in communi notabit, quod ipsorum discordia Resp. in manus infidelium abit. Exprobrabit, quod Regna nostra possidet hostis, & sepulchra sanctorum. Puerileque eorum regimen deteget, sicuti, Dantes fecit, & petrarcha ex parte. Cæteri scelesti licet mira canant, & arguant, nil mouent. Habent enim statim ipsi repulsam, & vituperati mores excusationem à falso vituperante. Leget Bernardi, & Hieronymi & Chrys. lamentationes contra populum, & principes, & ex illis condet carmina, qui per se minus est aptus ad inueniendum. Execrabitur perniciosas ebrietates, niuales

potus, cenas opiparas luxuriȩ ministras, & auaritiȩ stimulos. Item venerem vilem, sordidāq; Mulierū dominatum, facies fucatas, & mollitiem, vnde proles imbecilla, & matrimoniorum labes: & quidquid insigniter peccatur. Accerset exemplum á nefandis execrandisque hominibus, & à laudabilibus amplificabit contra. Si timet viuentes principes scelestos notare, notet scelestos mortuos, vt in his illi sese inspectent. Ex imitatione incessus, habitus, vestitus, motus, risus, & actuum, propriis, nouisque vocibus, vel translatis, sales mordaces addet. Ex physionomia interdum: proponatque oculis auditorum damna, ex talibus vitiosis manantia in totam Remp. exclamabit, eiulabit; elegantia non vtetur nimia. Poëtas & artifices inutiles condemnabit. fraudes deteget lucerna Franci. A Religione abstinebit; falsos religiosos allegoricè non palam condemnabit tanquam exemplaria vitiorum, & occasiones hæresum. Vtetur fabellis, sensum continentibus verum mirumque. Vt Horatius duorum murium vrbani & rustici. Non excedet satyra dimidium horæ si recitetur. Nec lyræ conuenit, sed aspero sono.

De Hymnodia, & poëmate, ad laudem & hylaritatem.

Art. VIII.

Hymnus è contrà laudabit probitatem, eiusque vtilitates: & à contrario amplificabit. Viros bonos extollet, quos in exemplo ponit. Gesta mirificentiora dicet, non quælibet absque delectu. Virtutes numerabit in quibus excellit. Deum bonorum patrem, & remuneratorem sublimabit in operibus suis. Gratias aget. Et quidquid diximus in Rhet. de laudatione, hic valet; si tantum mirifica pones non omnia vt ibi. Versus erunt lyrici non hexametri, qui possint cani dulciter. Elocutio elegans, prudens, figurata, variegata, salita, breui complectens mira. Adde repetitiones quæ gaudium prȩstent. Et in melioribus finias, & ad Dei laudem. Eris breuior quam in satyra. Quoniam laus

canitur, & tempus requirit melodia. Affectus mouebis, iocunditates, prout in Rhet. diximus. Fiunt hymni in lætis euentibus: Nam Angeli in Christi natiuitate cecinerunt, *Gloria in excelsis, &c.* In his admiratio & lætitia te admonebunt. Nec historicè loquaris, sed poëticè, figuris sermonis quantum potes inherens. Quod rectè facies si probè affectus fueris, Horatius, Pindarus, Petrarcha, & Maffæus, Barber. in his mirabiles sunt.

De Poëmate Heroïco, siuè Epopeia.

ART. IX.

De duplici Epopeia, & primò de prima.

EPopeia duplex. Alia compilat historias, & facta maiorũ texit: at ea tantum, in quibus maximè excelluerunt. Estque pro epilogo historiarum, & exemplo. Citantur enim pauca verba, quæ totam ferè vnius hominis historiã continent. Sic Dauid facit in plurib. psal. Et Petrarcha in triumphis, vt dictum est superius, & Ecclesiasticus incipiens, *laudemus viros gloriosos.* Vbi de Patriarchis, & Moyse, & Iesu, & Helia, & Dauid, & de omnibus Regibus & Prophetis paucissima dicit, sed quæ maxima sunt, & ob oculos ponunt gesta, & virtutes eorum, confirmatque exemplo totam moralem doctrinam, quam ecclesiasticus eo in libro tradiderat. Dantes quoque in illo cantu, qui incipit.

Poscia che Costantin l'aquila volse, &c.

Introducit Iustinianum Imperatorem canentem omnes historias Romanas ab Ænea vsque ad se ipsum; & gesta mirabilia, & heroes, summa breuitate, mirificis exemplis compilatas. Vnde Petrarcha sic canere didicit. conuenit heroicum carmen his. Nec deest vnitas cum ad vnum finem & consimilia exemplariter conglobentur, nec magnitudo. Quapropter Arist. non satis intellexit quo

pacto & Herodoti historia possit cani in forma poëticæ. Ipse enim non Naturam, sed Homerum consulit in sua poëtica. Nam & qui vnius generis sunt, & ad vnius Reip. conditionem fortunamque dicendam spectant, faciunt vnitatem: similiter & qui tanquam exemplaria vnius virtutis, quamuis ex diuersis notionibus accersuntur, faciunt vnitatem. Vt in triumpho pudicitiæ omnes pudici, & in Dante, Hugo, Ciappetta per omnes insigniter liberales de liberalitate canit, &c. & per omnes auaros insignes auaritiam execratur.

De secunda, Epopeia, & de Actionis vnitate, & episodiis.

ALia Epopeia non compilat actiones, & heroas, sed vnum tantum canit. Vbi poëta loquitur, & personas loquentes introducit, sicut Dialogus Platonis de Rep. & ipse est qui totam recitat historiam. Arist. reprehendit eos, qui vnitatem huic poëmati dant ab vna persona, vt qui Theseidam, aut Heraclidam conscripserunt, & nunc qui Christeidam: & qui Scanderbec. Non enim est vera vnitas, nisi vnius actionis. Vt cum Theseus ad inferos pro Proserpina descendit. Et cum Scanderbec Croiam contra Baiazet defendit. Et quidem verum dicit. Nam nec in compilatione omnia gesta canimus, sed maxima. Sic neque in hac Epopeia omnis actio vitæ Alexandri, aut Scanderbeci erit poëmatis materia. Possumus alias actiones tanquam episodias interserere, introducendo personam ex aliqua occasione ipsas narrentem, vti Æneas Didoni gesta apud Troiam. Actionem dicimus vnam, quæ habet principium, medium, & finem sibi correspondentia. correspondent autem quando alterum sine altero intelligi non potest, nec existere perfecta historia. Igitur ludi celebrati in sepulchro Archises non sunt neque principium, neque medium, neque finis Æneados Virgilianæ: nec pars istarum partium: sine ipsis enim stat historia. Pars autem est historia Pallantis, & Euandri, quoniam

necessaria est in bellico apparatu circà finem actionis. Quæ autem Ariostus canit de Rogerio parum faciunt ad Orlandum furiosum, cui poëma inscribitur. Et quamuis pulcrum sit poëma in suis partibus tamen non est vnum. Ipse quoque in sua propositione nescit, an Orlandum, an Rogerium canat, an mulieres, & amores, & eorum gesta illius temporis, quo Mauri in Galliam traiecere. Non quidem à tempore vnitatem habet poëma. Sic enim gesta Papirij Romani cōtra Capuanos, & Alexandri Macedonis contra Persas essent actio vna. Nec à persona vna vt dictum est; sed ab expeditione vna, vnoque bello, vel euentu. Eritque nobis non quælibet actio canenda, sed mirificentissima. Et quidquid addemus, episodia erunt, ad ipsam tamen historiam decorandam, vel illustrandam. Vt ludi siculi pietatem Æneæ: Didonis hospitium causa seminalis punicorum bellorum in nepotibus Æneæ: & refocillatio virium ad Italiam inuadendam. Pestilentia in exercitu Græcorum indicat Religionis vim, eloquentiam vlyssis, iram Achillis, prouidentiam Ducum. Hoc autem nil facit Amor Sacripantis ad Ariosti finem. Est ergo actio Æneæ apud Virgiliū principalis, Discessus à Troia, oraculis ducentibus in Italiam, in cuius possessione bella mota ab incolis tractantur, & principium seminale Romani imperij paratur. Totum hoc facit actio vna profectio Æneæ à Troia in Italiam. Semper autem poëtæ in principio totam actionem, quatuor, aut decem versibus depingunt, vt *Arma virumque cano* vsque ad illud, *Altæ mœnia Romæ*. Sic Tassus in vnica octaua proponit Ariostus vix in tribus: quoniam varias texit historias. Magnitudo poëmatis Heroici excrescere potest adeò vt in vna hebdomada recitari possit. Recitat enim poeta in theatro, vel in principum aulis: nec plectro, & lyra, sed grauitate pronunciationis moratæ. Paucissima verba ipse ponet à se loquens, sed semper personas varias introducet. Quarum mores imitabitur, vt Rex regiè, seruus seruiliter loquatur. Similiter ætates considerabit, vt aliter iuuenis, aliter senex, aliter fæmina. Item professiones, vt

philoſophus philoſophicè, agricola ruſticè, Vlyſſes orator eleganter, ſacerdos piè dicat. Conſiderabit & affectus, vt precator prolixè, & humiliter; iratus pauca, & mordaciter; ſomnolentus ſtupidè.

Porro vtraque Epopea partitur in exemplũ heroïci Facinoris, vel heroicę Tolerantię, vt in Iliad. Odyſſ. errant autẽ recentiores poëtæ quoniam ſolum actiones bellicas cõmunes & ſingulares hoc Poëmate celebrãt. Et qui Columbum Heroum maximum canunt, relictis quæ propria ſunt eius prudentiæ & Tolerantiæ factis, fingunt Monomachias Arioſti in eo. Cum potius naufragia, monſtra Polyphemos, Circes, Syrenas, ventrem Cæti, incantamenta nemoris, & conſimilia mutuari deberent: & in vnum virtutis exemplar referre: vti Maffeus Barberinus mirificè conſiderauit.

De Qualitate Heroïcæ Actionis.

NOn omnis actio eſt canenda, ſed admirabilis. Et quamuis Ariſt. antiquiſſimas & recentiſſimas vetet: tamen ſi mirificæ ſunt & quæ proſunt, non ſunt fugiendæ. Solon in Athlantico Platonis, hiſtoriam canere cogitabat Athlanticæ inſulæ poſt nouem millia annorum (vt ipſi putabant falſi) nec perperã, cum admirabilis eſſet. Igitur eas ſeligemus quæ nouitatem ſæculi pariunt, vt Æneæ aduentum in Italiam, Ioſue in Paleſtinam, Columbi in Americam, multo mirificentiorem, quam Argonauta illa puerilis Græcorum; & Troianorum excidium. Item Magellanes primi audax facinus in circundando vnà cum ſole totum orbem. Aduentum Francorum in Galliam, Anglorum in Britanniam. Sed cuilibet regno origo ſua eſt dulcis, & mirabilis. Quæ verò ad totum genus, & gentes vna Religione comprehenſos, attinent, ſunt maximè poëmatis materiæ, vt Hieroſolymorum expugnatio per Gotfredum, & principes Chriſtianos. Non tamen videntur illæ canendæ, quæ nobis malè ceſſerunt, vel victoriam non æternarunt, ſicuti pu-

gna Iohannis Auſtriaci, & Principum Chriſtianorum cõtra Turcas apud Naupactum: nec bellum Caroli Quinti apud Tunetum. Hæc enim ſæcula non mutant. Nec quæ ſequuntur illis arrident. Nec rectè Italus expugnationem Romæ à Gothis canet hexametris, ſed elegia deplorabit: canet tamen Gothus: magis autem ſi victoria hucuſque perduraſſet. Matildis facinus pro Italia & eccleſia contra Imperat. poëma metetur.

Actio principalis ſemper erit vera: alioquin parum mouet non enim credibilia ſunt affectuoſa. Item ipſa debet dare ſimilitudinem fabulis adiunctis. Si enim fundamentum ſcimus falſum, nil eſt quod credamus amplius. Epiſodia erunt fabuloſa ex toto vel ex parte.

De Fabulis inſertis Heroico.

FAbula nulla ponetur, quæ hiſtoriam falſificet, vt Didonis epiſodium in Virgilio: nec quæ tempora confundat: vti Numæ cum Pythagora congreſſus in Ouidio. Nec quæ vituperet bonos, vt pudicitiam Didonis, & Minois virtutem: nec quæ ſceleſtos laudet, & tyrannos, & hæreticos, vt centuriæ Madenburgenſes. Nec quæ impoſſibilia promat, vt quod Orlandus pede ligatum iumentum currens trahebat. Quando autem factæ ſunt ad ſignificandum alias res, & in ſuo ſenſu pro impoſſibilibus ponuntur, decoræ ſunt, & potius parabolæ. Sicut apud Horatium duo mures Ruſticus & Vrbanus negociari introducuntur. Et in Æſopo omnes beſtuæ, & arbores mutuò loquentes interdum. Et in Ouidio vox barbitonſoris, quod Mida Rex aſini aures haberet, in foſſa fuerit ſemen harundinum, quæ dum ad ſonum inflarentur, dicebant: *Mida habet aſininas aures.* Scimus enim quid ſignificent. Et poëta quidem non niſi moralem ſenſum continentes ponere debet; & quæ res occultas moneant & grandes. Inter Homericas perplacet Vlyſſis, & Syrenum fabula. Et quomodo ipſe ligno ligari voluit, ne voluptatibus detineretur: quibus nec carere voluit, nec prædæ eſſe: ſocij verò ſurdiores etiam arcendi ſunt. & obtu-

randi ſenſus, voluptatem ne guſtent: quoniam rapi ſe ſinunt. Fabula Circis mirifica eſt, maximè mores inſtruens, quam Gellius Florentinus illuſtrauit. In Arioſt verò doctiſſima eſt Aſtolfi in lunarem globum introitus ad Orlandi intellectum recuperãdum: Nam Pythagorica dogmata pandit: & quæ de paradiſo terreſtri patres ſuſpicantur, & mirificos ſenſus concludit. Illa quoque de Rogerio, intra cete in naufragio incluſo, vbi omnia, quæ ſunt in mundo inuenit, & templa, & ſcaphas, & ignem, &c. mirifica eſt: quoniam nos admonet in ventre mundi animati homines viuere, & cadere in natiuitate, quaſi in mare magnum, & eſſe nos ſicut vermes intra corpus noſtrum, qui neſciunt nos & animam noſtram, & vbi ipſi ſunt. Neſcio an hoc cogitarit Arioſtus. Sed tamen attigit ſcopum veritatis. Fabulã de matrimonio Bradamantis, & pugna cum Rogerio ſub armis Leonis Græci Imperatoris, iſtorúmque de beneficentia & humanitate certamen, vtiliſſimè & ſolertiſſimè cogitauit Arioſtus, laudo equidem mirificè bellum Ranarum, & Murium in Homero, & muſcarum & formicarũ in Merlino Coccaio. Quoniam oſtendit nobis nos eſſe ad totum mundum, & Angelos, ſicuti ranæ & mures ad nos. Litigiaque noſtra vana & puerilia. Et cum fabuloſiſſimè loquantur, placent, ob pulchram ſignificationem vim, non ea ratione, qua vulgus ridere ſolet, nec cauſam riſus intelligit. In Virgilio neſcio quam laudem fabulam: quandoquidem nullam finxit non acceptam ab Homero. Conuerſio autem nauium in nimphas, ridicula eſt, haud tanto digna vate. Nemo Arioſtum & Boiardum in fabulis adæquauit. Taſſus in eis frigidus eſt. Præterea quando euentus mirabiles habemus, fabulis haud indigemus. Omnes autem canere deberent, quæ ad religionem maximè Spectant, vbi nec vera deſunt miracula, nec ſenſus myſtici. Fabulãs græcas omittendas cenſeo, & de his, quę in Chriſtianiſmo acciderunt, loquendum. Vtendum & prophetiis & anagogia. Taſſus cum Ieruſalem expugnatam, vel liberatam; caneret, miras habebat hiſtorias pręteritas pro-

phetarum, & Patriarcharum pro episodiis, si vti sciuisset: Item anagogiam cælestis Ierusalem. De qua melius cecinisset. Obligatus tamen græcismo, & gentilismo, non nisi Homerica & Virgiliana interponit. Simius non homo. Et vtinam meliores reddidisset quas furatur fabulas & digressiones, sicuti Virgilius superauit Homerum: nam fortè licuisset. Nunc autem eadem mutata lingua canit, non meliori modo. Pauperes sunt Hispani poëtæ nil noui dicere scientes, quod ab Italis non transtulerint. cumque canant Americæ pugnas, & nouitates, & fabulosæ antiquitates ibi sint, & monstruosę, nostris auribus mirificè arridentes: nec illas nobis patefacere sciunt, nec furta relinquere, nec Vlysseam imitari sciuerunt. Discipuli Ariosti sunt Erzilla, & qui Mexicanam cecinit. Sententias quoque & Phrases suffurantur, & stylum, & sępè indocte. Stilianus versibus incomptis rem mirificentissimam canit, furans Episodia minus conuenientia, & minus mirifica quã historia ipsa; & quasi de Odyss. facit Iliadem, vel Ariosteam.

De Poëmatis terminatione.

QVoniam bellica actio representatur in huius generis poëmate: bellum autem perficitur in morte principalis hostis: & Tragediam hostibus: nostris, quibus fauet poëta, Comœdiam parit: non vltra progredi licebit poëtæ, sed historico. Idcirco rectè Homerus in morte Hectoris, virgilius in Turni, Ariostus in Rodomontis, Tassus in Argantis capta vrbe finiunt: quos Priscus Maffeus libros Virgilio addit, & Ariostus sibi cantus quinque, (nisi pro alio poëmate) & Camillus Tasso, superflui sunt. Nil ad rem poëticam. Potuisset Homerus Troiæ in excidio finem facere, sed longa videbatur actio nimis. Ariostus omnes exsuperauit quoniam nuptias Francis in morte Rodomontis Mauri mirificauit.

De Iustitia bellicæ actionis à poëta canendæ: & quotupliciter dicatur Iusta.

NOn omnebellum poëta canet, nisi Iustum, & iustis hominibus victoriam tribuet: alioquin exemplum contrà prouidentiam, & contra virtutis amorem depinget, & epicureos homines faciet. Iustum autem est suum Ius & possessionem repetere, vt Christiani Ierusalem à Turcis occupatam. Item Sociis & amicis auxilio esse, vt Romani Saguntinis contra Annibalem. Item illis, qui te vocant contra tyrannos & iniustos vexatores suæ prouinciæ: vt Romani Iudeis, contra Antiochos. Item eis, qui eiusdem nobiscum sunt religionis, vt Itali Græcis contra Turcas hoc tempore. Item contra violantes ius naturæ Antropophagia idolatria nefanda venere & barbarie, vt Americani contra quos Hispani mittuntur à Papa. Alexander hoc iure se tuebatur. Item quò te fata & oraculum vocant, vt Æneas ad Italiam, vbi exordium Romanorum fieret. Item quò Iubet Deus, vt Iosue contra Cananços puniendos ob impietates. Item ad vltionem Auorum, vt Saul contra Amalechitas. Item contra eos qui nos infestant, vt Hispani contra Anglos hoc tempore. Item qui nostris illuserunt, aut nostra asportarunt, vt Græci contra Troianos pro raptu Helenæ. Item pro Religione, & patria & filijs, & vxoribus, vbi necessitas cogit, quamuis iustè patiamur, putant aliqui iustum esse arma capere. Et Liuius *Iustum*, ait *bellum*, *quibus necessarium*, *& pia arma*, *quibus non nisi in armis est salus*. Sunt tamen semper horrentia arma, vt Virg. ait, quamuis patrem & Deos liberent penates. Causa tamen vrgente in multo affectu positis vocabuntur pia, ab *Ænea*, non à Virgilio, nec à Tasso, quo errat exordiendo; nisi effectus excuset.

De

De descriptione duplicis Reip. militaris in epopeia, & de personis describendis.

REmpublicam militarem duplicem describet poëta Heroïcus, alteram ex hostibus, alteram ex nostris instar humani corporis partes. Personas quæ in historia desunt, ipsi fingent, si bellum Nauale erit, aut in campo procul ab vrbe. Nam & Remp. Vrbanam describet intra mœnia Troiæ, & intrà Ierusalem. Ex nostris si expeditio communis est, electione Nationis fiat dux, vt Agamemnon à Græcis, Gotfredus à Christianis, vel dictator à Romanis. Non enim in bello potest alia forma quam Monarchiæ teneri. Nec nisi optimæ, quæ per electionem optimi. Dux fortis sit, sapiens rei familiaris, & politicæ, scientiarum peritus, vti Cæsar, & Annibal. Vigilans sit, pius, sobrius, strenuus, optimus homo, non modo Dux. Sique illi desunt aliquæ conditiones, fingi possunt, vt in Ænea Virgilius, qui & Vlysse, & Agamemnone melior describitur. Religione & virtute se tuebitur. Rex verò contrarius potentia & pecunia. Dabit senatum plurimorum ducum, quorum consilio, vbi tempus est consulendi, omnia tractet. Vt Agamemnon Phenicis Vlyssis, Aiacum, & Nestoris, & aliorum ducum consilio vtebatur. Ex ducibus alius erit senex plurimis negotiis & bellis expertus, vt Nestor, & Raymundus, & Anchises. Alius eloquens, & facundus, & astutus, & industris, vt Vlysses, & Ilioneus, & Sobrinus. Etenim ille mens Regis est, iste lingua. Alius erit strenuus super omnes iracundus, iuuenis, acer, nil non arrogans armis, qualis Achilles, & Orlandus, & Rodomontes, & Ricardus. hic enim est irascibilis vis corporis militaris. Dabũtur & alij duces strenui, quidam quasi furiosi, tales enim facit bilis, vti Aiaces, & Mandricardus, & Brandimartes: alij strenui, & moderati, vti Diomedes, Rinaldus, Balduinus. Prout spiritus corporis ad sensum, & rationem magis minusque sese habent. Addentur duces ani-

Aa

mo viles, qui timorem repreſentent corporis: neque enim ſine timore homo ſpoteſt ſe tueri. Adde alios auaros ſpoliarum auidos, omnia facientes vbi lucrum, & præda vocat. Sic cõcupiſcentiam corporis repreſentabis. Addes ſacerdotes, quorũ nutu princeps arma mouet ſumptis de cælo auſpiciis: qui religionis partes tenent, & contẽplatiuæ mẽtis. Horum namque credulitate armati milites, omnia ſperant & audent. Sic Calchantes in exercitu græco, Petrus heremita in chriſtiano ſub Gotfredo, Turpinus cum Carolo magno, & alij introducuntur. Deſcribes medicos, & omnes artis proceres. Item nuncios, vt Taltibium; ſeditioſos maledicos, vti Therſitem, & Tibicines exhilarantes laſſos: & Architectos, quamuis ſit Cæſaris munus; & Mathematicum, & Aſtrologum, & poëtam. Quotque ſunt affectiones humanæ totidem deſcribes viros famoſos, vt alius ſpem, alius mæſtitiam, alius iucunditatem, alius cupiditatem repreſentent. Item & quot ſunt actus, vt alius eloquentiam, alius maledicentiam, alius curſum velocem, alius tarditatem, alius miſerationem, &c. Item & quot ſcientiæ, alius ſit phyſicus, alius Theologus, Mathematicus, &c. ſic enim ex varietate optimam & iucundam Remp. depinges. Et abundabis epiſodiis ad omne propoſitum. nam & virtutem repreſentabis. Iuſtitiam in Rifeo, magnanimitatem in Hectore: amicitiam in Eurialo & Niro. Et ſic de cęteris. Non dum tam clarum vidimus poëma. Quoniam non naturam, ſed caſum poetæ imitantur, & ſuos anteceſſores.

Ex parte aduerſa idem facies, ſed potius paſſionibus quam rationi, & religioni obedientes. Repreſentabunt partes corporis, vt caput princeps. Oculus explorator, aures iudex, linguam orator, pedes & manus milites, &c. vti in politica diximus. At Paris non obediat conſilio Priami, neque Anthenoris: & preualeat: & ſit ruina. Nec ſacerdoti obediat Priamus, & perdatur. Vbi enim religio primò non principatur, & mox Ratio, & mox affectiones illi ſubiectæ, neceſſe eſt perditum iri. Dabis duci fidum ſapientem cuius conſilio regatur, vti Anchi-

ſem, non vti Sejanum, aut Albarum de luna. Hos in malum finem trahes, vti Aman Suſiſis. Ganus Manguntinus, quia ſæpè decipit Carolum. Hæc repreſentabis, vt doceas Reges, & duces, & milites, ex quibus hominibus & actibus quæ fortuna eos manet. Dabis duci, & comitem fidum vt Achatem Æneæ, Ioſephum Pharaoni, Minoi Rhadamantum, Moyſi Aron: neque enim poteſt aliter fiducialiter quidquid vult agere. Horum autem mores, & veſtes, & geſtus imitari optimè norit, & elocutionem, ipſe poëta. Ciuitates quoque expugnandas Mathematicè deſcribes, & rationem pugnandi intus & extra, & campum, & mare, & genealogiam ducum, & regionum; & in his nil fingere poteſt. Cum deſcribet equos, & curſus, & notas Equorum bonorum, non erret, ſed à peritis hæc diſcat prius. Similiter cum pedites, & equites per notas roboris, ſicuti ſolebat Cæſar. Et ferrum & inuentiones rerum. Etenim & ad minima deſcendet poëta, & veriſimile faciat poëma, nec in hoc grauitatem amittet. Hector puellum Aſtianactem dum egreditur in prelium in gremio matris oſculatur, cuius amore alacrior fiat ad pugnam. Nec poëtis quid deperdit. Nec tamen vbique affectandi ſunt hi actus. Deſcribere mulieres fortes in exercitu pulcrum eſt, & admirabile, qualis Pantaſilea, & Camilla, & Bradamantes, & Marfiſa, Clorinda apud Taſſum. Animant enim cæteros amore, & æmulatione, ne mulieribus imbecilliores appareant, ſicut & Plato docet. Amor autem fortiſſimum facit præliatorem coram amata. Amores puerorum non rectè introducuntur, niſi fortè in parte barbarorum. Potius autem in noſtris fiat amicorum æmulatio, & ſocialis amor, qualis in Clorindano, & Medoro. Reprehendendus eſt quidem Homerus, quoniam non quales eſſe debent, ſed quales ſolent introducit. Hæc imitatio nil prodeſt auditoribus. Agamemnona vitioſum facit, contemptibilem, luxurioſum in multis. Achillem qui princeps eſt virtutis, ne dum crudelem qui ſæuiat in corpore iam mortuo deſcribit, ſed auarum, qui non niſi pro pecunia reddat illud

patri. Magnanimitas non stat cum auaritia. Neque tale exemplum nobilitatis erat ponendum. Hectorem fortissimum ter à facie Achillis fugientem circumdare mænia Troiæ introducit: & à dijs decipi sub specie Deiphebi auxiliaturi: hæc ridiculosè ponuntur. Longè melius omnia imitatur Ariostus. Virgilium accusant, quod roganti Turno vitam negauerit. Sed Baltheus pallantis, & Euandro obligatio, ipsum excusat.

De Ludorum, actionumque particularium interpositione.

SEpè occurret in morte magnorum ducum exequias celebrari, & ludos. Hæc fient eleganter, & mysticis modis, & mirificis: alioquin tace. Quæ notissima sunt ne tractes, nisi excellentius quid affers. Hic artium experimenta ostendes.

De epithaphiis, & inscriptionibus.

IN sepulcris epitaphia inscribere, & in tropheorũ erectione post victorias, sagacis est poetæ. Quoniam enim lapis loquitur, & mortuus, pauca sint verba, clara, (obscurè enim & figuratè nescit lapis,) sed sensum grandem continentia. Ariostus in hoc excedit omnes poetas: vti in tropheo armorum Orlandi per Zerbinum posito. Et in antro Medori, Et Angelicæ.

De insignibus gentilitiis ex bello originem nactis. Et de ipsorum representatione.

ARma quoque figurari solent, & gesta ducum ostentare. Vnde insignia gentilitia ortum habent. Parma alba ad bellum ibant: reuertebantur autem depicta clarioribus factis, teste Virgilio. Hispani tot maurorum capita, quot occidissent, pingebant in Granatensi bello; sed hoc nimis vulgare. Orlandus arma victi quatripartita gestat Almontis. Viscontes Mediolanen-

ſis viparam puerum edentem ab Arabe hoſte tulit. Aliquid iſta dicunt. Quoniam à victis ornantur victores. Attamen ars iſta ſignificandi hodierno tempore ventilatur magis. Ponitur corpus vnum aut duo, non humana, rem geſtam repreſentantia, aut gerendam, vel animi affectum. Additur Anima, quæ vno vel medio carmine, vel tribus, aut quatuor verbis indicat ſenſum corporum. Probant carmen ab aliquo poëta inſigni deſumptum. Vt bos inter iugum, & altare poſitum cum verſiculi parte. *in vtrumque paratus*, indicat hominem labori, & ſacrificio obedientem. Sed cum res vna pluribus corporibus explicari habet, illa plura ad vnum rediguntur, vt ſi eclipſem repreſentas ponendo ſolem, tellurem, & lunam in diametro. Oportet rerum proprietates callere, qui ſapere iſta cupit. Nec ponetur Anima, vbi corpus aliud vix poteſt ſignificare. Arioſtus mirificè Bradamantis mortiferam deſperationem introducit, depictam in clamide militari. Sic.

Era la Sopra veſta del colore,
In cui riman la foglia che s' imbianca
Quando dal ramo è tolta, o che l' humore,
Che facea viuo l' arbore, li manca.
Ricamata à tronconi era di fuore
Di cipreſſo: che mai non ſi rinfranca
Quando hà ſentito la dura bipenne.
L' habito al ſuo dolor molto conuenne.

Animaduerſiones in heroïco poemate quædam.

CAueat poëta maximè, ne aliqua ponat haud veriſimilia, neque, ſecundum naturam, neque ſecundum credulitatem religioſam. Veluti Homerus introducit Heroes in feruore belli, dum congrediuntur, prius iactare nobilitatem ſuam, quam armis decernere; quod ſi

duobus faceret verbis, rectè esset, sed Diomedes propriam genealogiam narrat Æneæ, & Æneas suam, seque iactant longa narratione: Sic & alij duces. Quæ narratio potius poetæ tunc, vel alibi ipsis ducibus, haud in pugna, conueniret. Similiter Tassus in sua reformata Ierusalem Argantem, & Alethem legentes in auleis gesta christianorũm in sex annis præcedentibus, introducit, dum intrant ad colloquium Gotfredi, missi à Sulthano Ægyptiorum. Quod nullo pacto conuenit. Melius dixisset, si postquam legatione functi exeuntes ista scrutarentur. Nec Virgilius Æneam patitur totam Dedali picturam legere, vbi conuenientius erat; quanto minus passus fuisset Argãtem his spectaculis longis aliud accinctum detineri?

Nec videtur decorum, quod Homerus solet eadem verba ponere in oratore, quæ Rex legans ipsum, dicit jisdem verbis prorsus: sed sententiam tantum. Ista Religiositas ignorantiam oratori, & fastidium lectori conciliat, vbi non sunt oracula Dei.

De Numinum, Bonorum & malorum introductione in heroicis.

CVm aliquid magni interuenit presertim in modo historiæ, introduci potest numen, vt Deus aut Angelus, non tamen vbique, neque leui de causa. Et cum decoro, conditionibus numinis. Superflua semper vitanda sunt, vt natura iubet. Immo numen vbi natura sufficit sed ignoratur, ad naturam nos ducat, vt Dei virtus multipliciter addiscatur. Nam & Moyses: ligno dulces reddit aquas: quod poterat sine ligno: & Isaias ficorum cataplasmate Ezechiam sanat, Raphael felle piscis Tobiam: Hoc imitatus Virgilius, dictamo per Venerem sanat Æneam. Sciendum est ex S. Augustino quod creatura corporalis à spirituali administratur: ideoque & bello & paci pręsunt Angeli, & rerum generationibus, & regnis, & prouincijs, & Magistratibus. Adsunt & demones semper iniustam causam defendentibus, nisi a-

lud exequi à Deo cogantur. Nec eſt malum quod ipſorum miniſterio non fiat Nam vt Chryſoſt. in Mat. & Auguſt. in pſal. 77. docent, æquum eſt, vt Deus diſpenſet bona per Angelos bonos, mala per malos. Rectè quidem Homerus & Virgilius Deorum ſtudia contraria in adiuuandis Græcis & Troianis, & Rutulis, introducunt: quoniam notum eſt iſta fieri. Sed ipſi inter Angelos, & Demones perperam non diſtingunt. Vnde Plato diſputat, num Sanctum ſit quod placet Deo, an natura. Videturque illud non poſſe aſtrui, cum dij contraria velint, nec cuius voluntate ſanctitas conſtet, notum ſit. Nos autem, quibus reuelatum eſt; Deum vnum ſanctum ſanctorum fatemur, Angelos & diabolos executores prouidentiæ. Hoſque illis aduerſari: non autem inter ſe Angelos, niſi vbi voluntas Dei vtrumque latet in aliquo indiuiduo negotio, vt apud Danielem legimus de Angelo Perſarum Angelo Iudæorum reluctāti. Quapropter ſciat poeta iſta introducere, nec diabolos Deos vocare, & hominum nominibus, vt Gentiles factitarunt. Nec Deos vel Angelos ab hominibus vulneratos canat, vt Venerē à Diomede Homerus. Hoc enim impoſſibile, & profanum, inducēs religionis contemptum. Poteſt tamen Demones à viro ſancto vulneratos in aſſumpto corpore, & relegatos facere, non propria ſed Dei virtute, & à necromantis inuocatos: & terrifica in his canere, ſicuti Seneca in Tragedijs, & Lucanus de Erictone. Hæc autem non fabulosè, ſed ſecundum Theologiam deſcribat: vt homines admirentur, terreantur, diſcant. Virgilius haud laudatur, quod naues Æneæ in nimphas conuerterit, cum minimè opus eſſet miraculo: potuerintque exuri, aut ſubmergi.

De Partibus poematis heroici.

PArtes poematis ſunt Inuocatio, Propoſitio, Narratio, & Epiſodia.

DE INVOCATIONE.

INuocatio eſt numinis auxilium petere ad poema deſcribendum: & memoriam reuocandam, vt poſſis dignè dicere. Puto autem in principio faciendam eſſe, vti Homerus, & Muſeus, & Ennius, & Lucretius inuocant. Virgilius autem & ſequaces poſt propoſitionem id faciunt. Sed parum refert. Secundum tamen rei veritatem melius illi faciunt: quoniam Numinum afflatu poetę loqui profitentur, vt Plato, & Ouidius docent idcirco à Numinis imploratione incipere debent. Sicut ille dixit.

Chiben' comincia, hà la metà del' opra;
Nè ſi comincia ben, ſe non da Dio.

Inuocabis non quodlibet, ſed quod pręſidet negotio, quod tractas. Vt Calliopem Muſam in heroïcis, Polyhymniam in lyricis inuocat Horatius. Palem Deam frugum in Georgicis Virgilius. At Chriſtianus poëta non inuocet numina falſa Gentilium. In quo bis errat Fracaſtorius caniturus de morbo venereo inuocans muſam caſtam, & inſuper Gentilem ditatem ipſe Chriſti anus. Potius Sanctum Rocchum inuocare debuiſſet, qui contagionibus pręſidet. Etenim, vt dicit D. Thomas, ſanctis datæ ſunt à Deo prerogatiuæ ſpeciales, vt S. Antonio ſuper ignem, Apollomiæ ſuper dentes, &c. Dantes inuocat Muſas & Ingenium; ſed pro muſis ſcientias intelligit, ſicuti pro Ioue Ieoua Deum verum. Vbi ait,

O' ſommo Gioue,
Che foſti in terra pro noi crocifiſſo.

Allegoricè quoque Apollinem aliquando inuocat, ſed licentiosè. Intelligit enim vim & afflatum poetarum vt Seneca exponit & Varro. Poteſt inuocare vbicunque res

res magni momenti canenda offertur, vt Virgilius in sexto. *Dii quibus imperium est animarum, &c.* vbi de inferis parat exordium. Sic solet & Dantes.

Inuocatio erit cum proprijs titulis Numini. Vnde Tassus taxatur; quod dum vel sapientiam, vt aliqui ajunt, vel beatam Virginem, vt potius videtur, inuocat, ponit ipsam in cælo infra beatos choros: cum vtraque sit suprà.

Debet esse breuis oratiuncula, sicuti solet Ecclesia in ferialibus: quoniam in protectione Dei positus confidens loqui aggreditur sermonem. Nemo enim crederet quod tūc plueret carmina impremeditata. Deus quoque subitò audit. *Cum orauerit is, nolite multum loqui*, dicit dominus. Prætereà non persuadeat per exemplum Numini, vt adspiret. Potest tamen comparare, sicut exaudisti Patrum, ità me: exempla enim rudibus proponuntur sic Tassus errat dum exemplo pueri ludificati à Medico, suadet Musæ vt parcat sibi, si veritati addat ficta ornamenta, idest mendacia fabulosa. In quo iterum peccat detegens artem. Et contra illud Chrysostomi. *Vidisti euntem ad furtum signare se cruce vt benè prosperetur in furto?* quod si non errat, cur veniam petit, & artem detegit, & nobis illudere se paratum ostendit, quo minus audiamus? Hos errores iam correxit ex parte. Nos autem exempli gratia posuimus. Lucretius, à quo furatur Tassus hanc ludificationem, non in principio, vbi detegatur Ars: nec ad suadendum Numini; nec in canenda historia facili, vt Tassus: sed in medio poëmatis, & ad Memmium, & in canenda ardua Philosophia populis: illum accersire ausus est rationabiliter.

De Propositione, exordioque, & dedicatione, & laude posterorum.

PRopositio est summa dicendorum ante oculos posita vt sciat lector de qua re, & quam idealem historiam, & quousque sit prosecuturus poeta. Vt *Arma virumque*

cano, &c. vſque ad *Altæ mœnia Romæ.* Et in hac vnitas poëmatis dignoſcitur. Licet à titulo prius. Eſt enim titulus abbreuiatio propoſitionis. Propoſitio eſt titulus expanſus. Sibique correſpondent de iure. Vbi autem non correſpondent poëma non eſt vnum. Vt *Orlandus furioſus*, eſt titulus Arioſti. Attamē non de Orlando, ſed de rebus geſtis quando Mauri in Galliam tranſiuerunt, & deinde de Orlando, & mox de Rogerio proponit ſe dicturum. Et contexit varias narrationes, quas intermittere crebrò cogitur cum lectoris contriſtatione, licet ad iucunditatem inuitetur inuitus. Idem facit Ouidius: attamen non reuertitur ad narrationem procedentem in Metamorphoſibus, ſed terminata vna in alteram tranſit. Nec poëma eſt vnum, licet titulus vnus, niſi ab vnitate conditionis, & rationis formalis, ſub qua de cunctis tantiſque tractat rebus, quatenus transformatis, aut transformabilibus.

Solent poetæ addere Dedicationem propoſitioni, colloquentes, & quaſi narrantes cui volunt ſuum conſecratum eſſe poëma, vt Virgilius ad Mæcenatem in Georgicis. Quod tamen pauciſſimis verbis fieri debet, & abſque laudibus in principio, ne videatur poeta adulator. Sed laudes ab hiſtoria deinde eliciet. Sicuti in VI. Æneadum laudes Auguſti recenſentur & poſt medium primi. Sic Lucretius Memmium celebrat longè à principio. Pulcrum eſt autem introducere à progenitoribus originem, & oracula quædam de his, quos in preſenti laudas. Sic enim quaſi aliundè trahis, & mirabiliorem facis poëſim; vt Virgilius Anchiſem futuros nepotes recenſentem introducit, vt Cæſares eius ore collaudet: & Arioſtus in foſſa Merlini Bradamentem de ſuis Eſtenſibus informat Oraculo. Taſſus infæliciter hoc agit per ſomnium dum pluit in Goffredo, tam breue & indecens pro tempore & loco (neque enim eſt Principis tali hora dormire) & tamen prolixas multaſque videt hiſtorias futurorum Heroum. Quod veriſimile non eſt. Nec videntur laudandi niſi principes boni, & perilluſtriſſimi, qui maxima contulerunt beneficia generi humano. Obſcuriores autem

poëmate digni non ſunt: multominus improbi, tyrannique, ocioſique: & ij, quos Taſſus in ſecunda editione extra propoſitum memorat.

De Narratione, eiuſque principio, medio, & fine, vbi de exercitus ornatu, instructione, preliis, mortibus, &c.

NArratio autem totum poema ſubſequenter complectitur. Et diuiditur in principium, medium, & finem, Principium non erit iuxtà hiſtoriæ ſeriem, ſed exempli Exordiemur ergo, ab Actionis maximè propinquis partibus. Quæ autem preceſſerunt narrabuntur tanquam epiſodia non ab ipſo poëta, ſed ab aliqua perſona graui. Sic Virgilius hiſtoriam Æneæ non à bello Troiano, neque ex diſceſſu ex Troia orditur, ſed à naufragio propè ſiciliam, quando iam Italiæ appropinquabat. Priora verò narrat Ænæas Didoni. Odyſſea quoque non à Trojæ excidio, ſed ab Vlyſſis errore incipit. Illud verò narrat Cæcus canens in Pheacum conuiuio. Nec Ilias ab ouo Helenæ principio, ſed ab his, quæ apud Ilium fieri contigerunt. In hoc mira poetę ſagacitas requiritur, vt veriſimiliter & grauiter iſta tractentur.

In medio apparatus ad bellum extremum, & rixę, & diſcordiæ ducum, & conſilia & confederationes cum exteris, auxiliariorum, & Mercenariorum acceſſus declarabuntur; inſignientur duces, exercitus, nationes, & in his Epiſodia alia interſerentur vera vel fabuloſa. Item amores & iræ, & alij affectus humani, quibus negocium extremum ſolet pręueniri, impediri, accelerari. Vt addiſcat lector fortunæ ludos ex hominum affectibus varios præire quamcumque negotiationem eminentiſſimam. Sic qui Columbi deſcribet poema, quæ contigerunt à ſocijs in via, & à mari, & à cælo, & à monſtris, & ab incolis nouæ terræ, conſiderabit: & quidquid remorari, aut feſtinare occupationem noui orbis potuerit. Sic ſæpè neces, duella. Amores, & origines nationum, & familiarum concinentur, & monſtrorum portenta. Et

philoſophica principia, & Aſtronomica, & recondita multa. Item inferorum & paradiſi viſitatio per ducem expeditionis. Neque enim niſi contemplatiuus & prudens res arduas aggreditur. Quæ autem contemplamur, canet poeta tanquam exterioribus ſenſibus actitata. Ponet cælum in terram, & terra, in cælo. Et ex his deducet expeditionis fortunam, & prçcognitionem, ſicut ex Erictione Lucanus, & Saul ex pythone, Ænæas ab inferis, Goffredus à cæleſti viſione. Sed Taſſus in his infælix eſt: Arioſtus autem fælix: ſed non ritè applicat, adſcribitque. Omnia epiſodia circa medium contexuntur ferè.

In fine vltimus belli tractatur euentus; & victoriæ forma: aut in mari, aut in aperto campo, aut in ciuitatis regiæ expugnatione. In hoc tota poetæ eloquentia verſatur. Nam leuia prælia aliquando tractat, vel narrat aliena; hic proprium & maximum, quod imperij & ſæculi noui exordium continet. Idcircò quæ ad expugnationem & defenſionem pertinent, noſcat, dicatque. Nec ſicuti fuerunt, ſed ſicuti eſſe debuerunt. Rarò enim fit vt ex arte ſingula gerantur, preterquam in campò chartaginenſi inter Annibalem & Scipionem, vbi ſumma ſummorum ducum ſapientia in exercitu inſtruendo, ordinando, & pugnando, & ſubueniendo, teſte Liuio, & Ænnio, affuit. Sciat igitur vbi pedites, vbi equites, vbi bombardæ, vbi fundibularij, vbi auxiliares, vbi mercenarij, ponendi ſunt. Hi ne diſſiliant, aut inſidientur; illi vbi benè pugnent, & quibus artibus dux hortetur. Nec dapum memoria eos animet, vt Agamĕnon viliſſimè; & quibus prelietur artibus: quouè in loco illi ſemper aſſiſtendum, & variandum eſt, exercitus formā mutando in cuneos, in orbes, in longum, in quatrum. vbi preſidia, & inſidiæ locari debent, & robur & debilitas exercitus: cornua & medium, lunationes, & aliæ configurationes. Item quibus machinis preualere vtrinque poſſint, & applicationes illarum, & effectus canet. Maximè autem poetæ videtur dicere mortes vtrinque contingentes, &

quos ille heros, quos iste perimit, & quibus vulneribus. Nec omnia vulnera dicet, sed mirifica. Vt quod in risus sedem pupugit, & ridentem mori coegit: quod dum manus capiti admouet, sagitta manum capiti affigit. Alios validos cadere, alios cadentes surgere finget. Alios mordere terram quia vindicari secus nequeant; alios insultare; alios pro amico tuendo feriri, aut occumbere. Nec sit mortis imago, quam non depinget. Fortissimos à fortissimis occidi faciat, interdum & à flaccissimis, vt fortunæ vis admirabilis predicetur, sic Achilles ab imbecilli Paride moritur, Orlandus sitiens lancea à Vascone percutitur non à Carpio, vt ridiculè fingitur, qui centum post annis ab illo fuit. Ille tamen qui Imperium contrarium tuetur, non nisi à principe optimo interimatur, vt virtus contra vitium non fortuna, perpotentissima predicetur. Sic Æneas Turnum obtruncat, Orlandus Gradassum, & Agramantem, Vlysses procos, Achilles Hectorem. Sæpè occidantur à nolentibus, & in agnitione dolor mirus subsequatur: vt discant homines quod summè appetunt, si nossent, summè auersandum. In morte itaque potentissimi aduersariorum, & in vrbis excidio tragedia finiatur: quoniam in illo victoriæ apex consistit. Cætera quæ sequuntur historicis conueniunt, non idæanti poetæ. De hoc autem dictum est prius. In duellis agitandis sapiens sit poeta, vt de electionibus armorum, & campi, & de obseruationibus benè canat; periutiosque pænis adiudicet, partesque probitatis defendat. Item gladiatoriam sciat vtrinque ciere. Est enim quasi pictor, qui omnibus indiget artibus, ne sutor decrepitis malè pictis, gladiator de gladiatura malè descripta, eques de equorum instructione, indoctè introducta, & alius de alia re, ipsum corrigat, vituperetque.

De Episodiis Epopeiæ.

EPisodia sunt digressiones ad narrationem pertinentes: quæ si illi non concatenantur, licet pulcra sint,

haud tamen pulcra apparebunt. Sicuti nec membrum in boue quod non ſit bouinum, ſed humanum. Erunt mirifica & quaſi veſtes, & Ornatus hiſtoriæ, aut fabuloſa, aut vera, quadrabuntque illi. Nec quaſi tela ex lana, & lino, quam Arioſtus texit, & Moyſes interdicit. aut enim ad genealogias, aut ad conſilia, aut ad fati vim, ad auxiliorum acceſſionem, aut ad impedimenta, vel facilitatem principalis actionis, pertinebunt. Nec apponentur ſed interponentur. Nec amores, qui ſemper Epiſodia ſunt, canentur impudicè. Sed actus illi cælentur, vt Virg. facit, *Speluncam Dido, &c.* ſed Arioſtus potius comicus in his dicendis videtur. Licuit tamen Danti ad obſcenitatem damnati Mahometis dicere.

Feſſo dal mento inſin doue ſi trulla, &c.

Et de altero impio.

Et egli havea del cul fatto trombetta.

Non eſt enim malum, quod malis referri nequeat in deteſtationem. Licet Virg. reprehendat ipſum iſta ridentem vel mirantem. Hæc pro epico poemate exemplari fortitudinis dicta ſint. De altero quod ſit pro idea Tolerantiæ, eadem dicimus, exceptis bellicis negotiis. Hic robur contra Monſtra contra Tyrannos, contra fortunam vincens canetur, ſicut in Odyſ. Exempla habes in martyribus & in dictis factiſque eorum, & Marci Poli, & Chriſtophori Columbi, & in Dantis poemate.

De Poemate elegiaco, & Tragico.

Art. X.

Tragedia duplex. Altera vocatur elegia, qua poeta, vel alius introducitur deflens amici, vel ſummi Principis, vel conſanguinei viri boni, mortem, aut quemcunque caſum: quales ſunt apud Ouidium de triſtibus. In hac requiritur metrum hexametrum, & penta-

metrum, in quo præcedentis finitur ſententia variatis lamentationum figuris, ex cauſa, ex effectu, & circumſtantiis, & ex ſimilibus exaggerando caſum. Non reperitur elegia in Mundo elegantior, grauior, & lamentabilior Trhenis Ieremiæ Prophetæ: in quibus excidium Ieroſolymitanum quatruplici plangit alphabeto, omnibus elocutionis vitalitatibus, affigurationibus, & tropis: de quibus in Rhet. diximus. Pręſertim exclamationes eapoſtrophæ, & proſopopeia. Mirificum carmen Dauid elegiacum cecinit in morte Saul, & Ionathæ. Omnis miſeria cuiuſcumque perſonæ hoc carmine eſt deplorabilis. Vbi autem cauſa plorandi non adeſt, vt putà ſi iuſte quis perijt, ex alijs locis venabimur, vt ex noſtrorum deſolatione, aliorum exemplo, & fragilitate, ac ludibrio humanæ fortunæ. Elogia extenſa eſt licenter ad querimonias Amantium, & ad ſermones & Epiſtolas etiam lætas apud Horat. Ouid. Tibul. Propert.

De Tragediæ materia, & exempli electione.

ALtera quæ verè Tragedia vocatur haudquaquam rectè definitur Ariſt. Quod *ſit actionis illuſtris imitatio, magnitudinem habentis, ſermone ſuaui, ſeparatim ſingulis generibus in partibus agentibus, non per enarrationem, per miſericordiam verò atque terrores huiuſmodi purgationem terminans, &c.* Etenim & paſſiones imitatur in Tragedia, quæ propter ſe magis quam actiones ſunt, licet ab actionibus. Neque enim quid egerit Nero, ſed quid paſſa ſit Octauia, vt ſit nobis exemplum, apud Senecam conquirimus. At poteſt actio à meliori dici, vel ab ipſo poeta illam tractante.

Præterea neque imitatio eſt finis, neque propter ſe requititur, vt dicebamus. Extrinſeco ergo modo definit Ariſt. Neque arbitror omnem actionem illuſtrem per miſericordiam reprehenſibilem, eſſe Tragediæ materiam: ſed quandam, vnde capiamus exemplum. Igitur *Tragedia ſit* nobis *exemplum fortunæ diræ virorum illuſtrium* (vel

dominatu & genere, vt Saul, vel virtute vt Socrates & Seneca) *à poeta personis agentibus patientibusque, moratè & metricè descriptum, quo docentur homines præsentis vitæ bonis innitendum non esse.* Quapropter & misericordiam & terrorem excitat. Vt inde misereri, hinc cauere discas propterea que in Illustribus ponitur exemplum, vt arguas, si de quo minus periculum erat, fuit, ergo quid de quo magis? Proptereaque historias Tragicas oportet esse veras non fictas, vt magis moueant. Fingentur tamen aliquæ personæ vt conuenienter agatur. Item nec fiet Tragedia eorum, qui pati debebant de iure tanquam scelesti. Nam nullam mouent misericordiam, nec exemplum singulare sunt. Hoc potius epopeiæ conuenit. Nec Turcarum Tragedia inter Christianos agatur. Nihil enim nos mouet: quod primogenitus Regis occidit fratres, ad pietatem, sed ad irrisiones legis Mahometicæ. In hoc Speron taxatur, quod Canacis & Macharei, iustè peremptorum, Tragediam scripserit. Putat Arist. neque prauos ex infælicibus fęlices factos in Tragedia poni debere, quoniam potius iram, quam misericordiam & terrorem excitat. Hoc puto verum in subiecto principali, cuius fortuna tractatur, non tamen in alijs. Licet enim in Tragedia Reginæ Scotorum, fælicitatem Reginæ Anglorum, quæ ipsam interfecit, considerare. Sed Chorus canet scelestorum miseriam, vel hic, vt Neronis; vel post mortem. Putat etiam Arist. neque sanctos viros in infælicitatem redactos in Tragedia ponendos, quià terrifici, ac miserandi nil habet: sed scelesti. Quapropter ad solos per potentes mediocres moribus Tragedia reducetur. Ego verò hos maximè in scena afferam, etiam sanctissimos: vt discant homines neque fortunæ, ne virtuti in hoc sæculo spem relinqui. Etiam Tragedi Iesu Christi quam & S. Greg. Naz. scripsit, ab omnibus representatur: & Petri & Pauli, & Dominicæ & Iustinæ. Nec verum est quod nil miserandi, nec terrifici habent. Immò magis terretur, ac miseretur, cum bonos pati considerat. Scelusque malignantium detestatur. Sic Herodes in morte

Ioannis

Ioannis, & pharisei & Pilatus in nece Iesu Dei, Tragedia Nazianzeni Fidem, Spem, Charitatem, auget & terrorem, ex sceleris detestatione. Arist. verò etiam à persona Damnificante misericordiam captat, ideircò Tragedias probat, in qua amicus amicum, aut filius patrem, aut matrem, aut fratres, aut è contra, occidit per errorem, vti Oedipus, vel ira vti Medea natos, vel necessitate, vt Abraham Filium Iussu Dei. Vel enim ignorant & occidunt, vel ira occidunt & necessitate; vel dum parant occidere, agnoscunt quod ignorabant, abstinentque à scelere; Sed iste casus non est tragicus sed comicus, vbi mors non sequitur. Nos autem licet vtrinque commiserationem approbemus, haud tamen Tragedia non erit, si ex altera parte tantum terror, cōmiseratio quē excitetur. Neque quia Herodes non vult occidere Ioannem, neque Pilatus Iesum, commiseratio est tanta: sed ex eo quod iniustè quis & propter virtutem patitur præter rationem, aut præter opinionem, quando fortunatus erat ditione multa.

Laudatur actio constans peripetia, quando scilicet contra quod speramus, res in turbulentos euentus rapiuntur: itemque solutione, vel agnitione; cum quid agnoscitur, vnde commiseratio augetur, sicuti in Oedipo. Sed hæc communia sunt Comediæ. Semper tamen ex magna fortuna, vel honore, lapsus describi debet, & variatio fortunæ. In hoc enim tota res exempli continetur.

De Forma Tragediæ.

Actio tragica vna est magis quam heroica, vnoque die absolui vt possit. Idcircò caret Episodijs longis. Item metro vtitur iambo, qui conuenit conferentibus sermonem personis: aliisque intermistis pro personarum qualitate, vt Seneca solet facere. Nec poeta vnquam quid narrat: excepto prologo, quem tamen latini non apponunt. Neque personas introducit: sed de se singulæ ad suum munus, & actum, quasi introductæ, & ope-

rantes texuntur. Præterea neque bello decernitur in Tragedia, sicuti in Epopea, quoniam hîc euentus ex virtute & actionibus consilio gestis, manat & expectatur: in Tragedia verò ex fortuna, quæ est secreta Dei prouidentia, affertur: potest tamen bellum à Nuncio aliquando narrari.

De Partibus integralibus Tragediæ

TRagediæ partes sex facit Aristoteles, *Fabulam*, *Mores*, *dictionem*, *sententiam*, *apparatum*, *& melodiam*. Sed dictio & sentẽtia cõmunis est omnibus poematis: ideo in fine de his dicemus. Apparatus pertinet ad poetam, vt mors repræsentetur & alij actus conuenientibus scenis. Hoc licet spectet ad ministrum, tamen poetæ est ordinare: qui nouit quid cui actui conueniat, vt crux, securis, nigra scena, vel alba &c. sed hæc sunt extra poema. Melodia verò interponitur aliunde, cum canit chorus, aut tibicen ad relaxandos animos, vel commonendos. Estque extrà poema. Mores sunt à poeta considerandi maxime, vt Senex, & Rex, & Femina, & Crudelis, & Mitis, & puer, & vnaqueque persona iuxta sui conditionem loquatur, tam sententia quam metro, breuitate, grauitate, irate, timide, vel &c. de his alibi.

De interlocutoribus & actoribus Tragediæ.

FAbula autem, quæ est ipsa narratio in actione consistens, octo personis agetur, aut decem, interloquentibus, & choro. Possunt aliæ quã plures addi vsque ad 20. sed repræsentantes non loquentes. Quod si loquantur, dummodo exercitum non faciant nequaquam dedecet. In Tragedia Christi patientis, & principes Iudeos, & Pilatum, & Herodem, & Satellites, & Ministros alios introducit Nazianzenus: nec tamen non placet. Immò varietas suauis. Licet Horatius quartum interlocutorem vix concedat. Quod in Dramatico cantico Salomonis ob-

ſeruatur. Sed Tragedia Chriſti plures habet fines, & vſus, quam communes aliæ: ideò aliter tractatur.

De Partibus actionis.

PArtiemur Tragediam in quinque actus, inter quos loquitur chorus. Actus autem in duas, tres, vel quatuor ſcenas: in quibus perſona vna, vel duæ, vel tres ad ſummum interloquuntur. In primo actu cumulum fælicitatis ſiuè à fato, ſiuè à virtute, in perſona ruitura iam, depingemus, vel actione, vel narratione pręteritorum. Nam, vti Salomon inquit, *exaltatur cor ante ruinam.* & quando videtur non poſſe cadere. Sic Iepte parta victoria nedum regno, dum triumphat, & à filia triumphante excipitur, incidit in neceſſitatem mactandæ vnicæ filiæ, Notat hoc S. Bern. in Paſſione Chriſti, quod non niſi quando triumphans ſuper aſello incedens per Ieruſalem, & à populo Rex acclamatur, & voces tanquam Dei in templo audiuntur, & Paſcha celebrat, repente ad necem captus trahitur.

In ſecundo actu, quoniam nunquam mala aut bona fortuna accidit, vt probat Cardanus, quin illius prędictio non pręcedat, introduces per ſomnium, aut per aſtra, aut per Prophetam, aut alio mirabili modo, mutationem fortunæ proximam pręuideri. Sicuti Balthaſſar Rex Babylonis dum hilariter conuiuat cum principibus, & vxoribus, videt articulum ſcribentem in pariete ſui ruinam. Rectè Dantes Hugolino comiti cum filiis in turre Piſana fame necando, ſomnium fatidicum tragicè pręponit. In hoc fient interpetationes, turbationes; alij adulabuntur dicentes eſſe nihil; alij dirum canent omen.

In tertio inſperata fortunæ mutatio continebitur, cauſæ occultæ prius, pateſcunt, vel, quæ videbantur fauere, contrariæ apparebunt.

In quarto mala dira aderunt, conſilia mortis, iudicia, conſiliarij iuſti ab adulatoribus, vel iniquis, ſecernentur. Et quomodo alij ſequuntur ius, alij Principis volũtatem:

alij clamabunt, *crucifige*, alij detestabuntur immanitatem.

In quinto mors sequetur innocentis, vel actione repræsentata, vel à Nuncio aliquo enarrata. Aliæ quoque mortes per narrationem intermiscentur, sed principalis palam fiet. Quod Horatius negat faciundum; quoniam ait, *Quodcunque mihi ostendis sic, incredulus odi.* In narratione quidem latent, quæ inuerisimilem faciunt euentum, vt cum Medea filios trucidans narratur; in actione patet simulatio. Neque enim tam dexterè fiet, quin falsa actio videatur. Et ex hoc minus mouemur.

At qui Christum crucifigunt, non hominem viuum, sed statuam quandam: crucique retro apponunt pannum; sub quo loquitur homo, videturque loqui crucifixus: aliquando homo viuus in cruce ligatur, & loquitur; videntur non ineptè agere. Scimus Tragediam esse verè crucifixi imitationem: nec, nisi vb. ineptissimè fit imitatio, indignamur. Consueuerunt sanctorum neces palam ostentari hoc tempore. Quod ad apparatus industriam magis attinet, quàm ad poesim. Licet apparatus poesis, realis, non verbalis etiam sit.

Optima erit mors, si miracula addentur, vt cometes, obscuratio solis, terremotus, prophetia morientis. Nam superis communicant dum moriuntur, ait Gregorius, & preuident homines. Sic Hector moriens Achilli mortem à Paride comminatur. Et filij Machabei, septem Antiocho Cladem & Gehennam, dum cruciantur, prædicunt. Vbi hæc non sunt verè, vti in Machab. fingi possunt, vti in Hectore.

De Choro.

POst quemcumque actum canit chorus flebili modo, nec nisi quæ in actibus tractantur. Est enim quasi vox communis, quæ, vt ait S. Petrus ad Symonem magum, speciem tenet prophetiæ. Laudabit itaque chorus prouidentiam Dei: considerabit mutationem fortunæ in pri-

moactu, nec in ea fidendum esse. In secundo prophetiam, ventilabit, ardua, arcana docebit. In tertio de iudicio & iustitia disceptabit, vel impijs canet. Mutationem rerum quatenus à Deo bonam dicet : *sed væ illis, per quos scandalum venit.* In quarto moraliter tanget ea, quæ in quarto dicuntur. In quinto mortes planget, & casus humanos, immanitatem detestabitur. Laudabit morientem pro iustitia : martyrium celebrabit : & in ipso finietur Tragedia. Loquetur per graues sententias, & aptè cohærentes, & doctè semper. Erit autem chorus vel mulierum honestarum, vt solent in ruinis conuenire ad lamentationes & in filia Iepte, & in Adone impudicæ solebant. Aut erit chorus sacerdotum, & hi sublimiuus canēt. Aut senum & hi prudentius loquentur. Pulcrum erit si vnus loquatur suauibus modulis, cæterique respondeant, idemque interdum repetant. Sicuti in Epithalamio Catulliano, & in Egloca de morte Daphnidis Virg. laudabimus musicam concinentem aptè. Nam vti dicebamus, alia bellicis, alia ecclesiasticis, alia nuptialibus rebus conuenit.

Considerantur alij modi Tragediarum.

HÆc dicta sunt idealiter. Alijs enim modis fieri solet Tragedia, & alijs exordijs, & medijs, & finibus. Omnes tamen in morte illustri terminantur. Et quæ non speramus posse aptè pręsentari, narrabimus per Nuncium aut aliàm personam. Neque enim totum consilium describi potest : sed neque Herodis semper conuiuium. Narrabit autem illud aliquis de Aula : quid actum, quid dictum à personis interuenientibus, & quomodo. Sermones erunt magnifici plenique sententijs, at prò dicentium conditione.

Sunt quidem aliæ Tragediæ simplices, quæ narrationem continent gestæ rei absque inuolucro. Aliæ implexę nodis multis, & peripetia, & agnitionibus.

Episodia intererunt, quæ narrationi necessaria sunt,

breuiaque, qualia in ſimplici epopea compilatæ hiſtoriæ, non in compoſita explicati exempli. Et non niſi ſine quibus vix actio rectè non poſſit præſentari, diximus ne excedant ſcenæ diem.

Tragedia tamen Chriſti, quæ fit vt vita eius, & mors animis chriſtianis figatur, tota ſeriatim agetur, & intra tres aliquando ſoles. Sciat partiri poeta prout decet. Sanctorum verò Heroum non niſi mirificentiores, & intra vnum ſolem fieri opto.

De Verſu & Cantu.

CОnueniunt iambici verſus elocutioni. Omne tamen genus capit pro varietate perſonarum. Non laudo quod canendo recitari ſolet, præſertim moribundis. Hoc introductum eſt vt populus audiat, afficiaturque. Sed reuera ſoli choro conuenit, qui quaſi ſeorſum conſiderat, & flebilem ſonum emittit, qualem in morte ſolent mulieres naturâ edere.

Vtrum Tragedia ſit nobilior, quàm Epopeia.

ARbitratur Ariſt. Tragediam nobiliorem epopeia, quoniam eſt magis vna actio & delectat etiam ex melodia, & apparatu. Item habet peripetiam & agnitionem. Sed nil probat Ariſt. vna enim & epopeia eſt. Nec quia Epiſodijs abundat, minus delectat, immò magis quoniam plura ac varia docet. Varietas autem amabilis. Præterea deſcribit euentus ex virtute & vitio, Tragedia verò ex fortuna. Illa plures perſonas, & Remp. idealiter fingit: iſta non niſi partem Reip. & euentum vnum Sicuti autem non eſt lapis nobilior, quia magis vnus quam planta, neque vermiculus, quia pauciora membra habet quam homo. Sic neque Tragedia propter hanc vnitatem Heroicis præpollet. Rectè Ariſt. diceret, ſi partes poematis non ſint quæ epopeia apponit. Secunda ratio nil

valet quoniam melodia & apparatus ſunt extra poema. Tertia nec valet, Nam & peripetia & agnitio poteſt ineſſe Heroicis, vt patet in Odyſſea. Preterea continet Epopea Tragediam, & aliquid plus vnde Dantes introducit Virgilium de ſua Æneada dicentem.

Come canta
L'alta Tragedia mia in alcun luoco, &c.

Sicuti autem elegia non eſt melior Tragedia, ſic neque Tragedia epopeiæ pręponetur. Habet alia multa vnde pręcellat epopeia.

DE COMEDIA.

Art. XI.

Quid ſit Comedia, & de illius materia, & fine.

Comedia verò exemplum eſt fortunæ virorum mediocrum, populariorũque, ex inopinatis malis ad inopinata bona deuenientium, metricè, morateque imitantibus perſonis agentibus, patientibuſque, conſictum. Proptereaque populari Reip. eſt familiare. Nec omnis actio eſt comica, niſi quæ aliquid mirificum continet, & inopinatum. Hinc diſcũt homines in tribulationibus & euentibus diris ſperare meliora. Et quibus artibus moribuſque quæ bona malaque ſoleant accidere. In illuſtribus perſonis non conſiderantur hi euentus, ſed mali tantum, quoniam bona illi potius adeſſe ſolent. Ergo inſolita quæ ſunt naturâ mirabilia de eis canemus. Humilioribus verò mala non deſunt. Bona ergo in eis ſunt rara, mirificaque. Nec quæ per virtutem comparantur, ſunt comediæ materia, ſed quæ fortuna. Illa potius epopeiæ conueniunt. Nam Odyſſea comica eſt, ſicut Ilias Tragica. Romani dum Popularis ſtatus valuit, comedia, cum principatus Cæſarũ, Tragedia vſi

ſunt. Seneca eas inuexit ſub Nerone, niſi quis Ennij Tragedias, quas non habemus opponat. Euripides & Sophocles excelluerunt apud Græcos Tragici, ſicut Plautus & Terentius apud Latinos Comici.

De Interlocutoribus.

CONſtabit perſonis octo aut decem; quorum mores exprimere oportebit tam exactè, vt iubilatio quædam ſpectatoribus exoriatur. Gaudemus enim imitatione, quoniam artem humanam, quæ imitatio naturæ eſt conſpicimus & bonum noſtrum intelligimus. Ex bono autem ſequitur lætitia, & voluptas, quæ ſenſus boni eſt. Deſcribemus ergo ſenes, patres familias, liberos, amantes, meretrices, Virgines, gladiatorem, cauponem, ſeruos, ancillas, & familiarem ſtatum.

Sicuti enim epopeia polyticam, ſic comedia Oeconomicam docet.

De moribus in comedia imitandis.

SEnes igitur fient malitioſi, quia plura experti ſunt, dubitatiui, & quaſi ſceptici, ſuſpicioſi; amantes, vt oſuri, vtile honeſto preponentes, inconfidentes, paruæ ſpei, inuerecundi, loquaces, antiqua tempora laudantes, iuuenum reprehenſores, queruli, imbecilles, ideoque miſericordes, non ex humanitate; auari, temperati. Iuuenes autem iracundi, hilares, affectionibus vehementes, ambitioſi, honeſtum vtili, & iucundum vtriſque preponentes; putantes ſe ſcire omnia; confidentes, ſperantes, ſimplices, humani, miſericordes, dicaces, nil timentes. Media ętas ex medijs miſcetur moribus.

Nobiles ſecundum politicam ſunt iactabundi, maiorum ſuorum ſimilibus inſultantes, potentiam & primatum affectantes, pro gloria, & voluptatibus omnia facientes. Vera tamen nobilitas virtuoſis actionibus non maiorum titulis ſe ornabit; honeſtum vitæ preponet; in-

iurias alienas vindicabit : in proprijs clemens erit. Non prouocabit contumelijs. Prouocatus vix rixabitur

Diuites ſuperbi, contentioſi, delicati, oſtentatores, contumelioſi: Præſertim ex vilibus ditati & nuper. Non enim lædere parcunt, quo ſe potentes & nobiles falsò oſtendant. Potentes verò fortunis præualidi, ſunt humaniores, honeſtiores, gloriæ veræ ſtudioſiores, & religioſiores, ſe Deo obligatos agnoſcentes ob ſecundam fortunam. Elati tamen, & ſuperbi. Qui autem ſapiunt, omnes terminant affectiones.

Meretrices procaces, auaræ, fucorum & mollitiei affectantes, alias meretriciæ artis, quas ipſæ exercent, inſimulantes.

Ancillæ timidæ, ſubdolæ, leues, ſubiectibiles, deſperantes, inconfidentes, cęlantes omnia arcana mulierum religiosè.

Serui aſtuti, illiberales, fures, ſolliciti, machinatores, corruptores familiæ, & adulatores iuuenum, quibus ſeruiunt, lenones, inſidioſi, in minimis multa ſyllogizantes, infidi ſenibus, fidi iuuenibus, excuſationum locupletes.

Miles iactator, ſuperbus, loquax, vulnera oſtentans, narrans geſta ſua, magnificans omnia, vbi nil eſt opus.

Notabis cauponis miſtiones, impuritatem, recoctarum venditionem, &c.

Lictorum & carcerariorum crudelitatem, ſitim ſanguinis, lucrum de alienis malis, arma, pauores, claues, minas, quibus miſeros affligunt, gaudentque malis alienis: mendacia in cunctis, auaritiam. Denique non eſt ars neque ætas, neque ſexus, quæ comico nota eſſe non debeat. Pedagogos ſordidos introducet, doctores legiſtas ineptos, aliud pro alio loquentes, vt Gratianos noſtri temporis, ſi ridendum eſt. Adduntur paraſiti, & qui ridiculum profitentur, vulgò Traſtulli, & alij huiuſmodi.

De partibus integralibus & essentialibus, & modis.

ACtio comprehendatur quinque actibus, vti Tragedia. Sine choro. Intra medium diem possit recitari. Semper peripetia, nodo, & solutione, quæ sæpissimè per agnitionem fit, constabit. Non enim mirabilis est, cum sit humilis, nisi sagacitas hominum intersit, admirationem faciens, & ex prudentia imprudentes affectus, aut infælices; & iterum ex desperatis fælices oriantur. Nos autem non mores quales sunt, dicemus, sed quales esse debent. Ideò probum senem alterum faciemus, vt exemplar proborum, alterum improbum pro sui conditione, & sic de cæteris, vt Oeconomica benè tractetur. Non tota actio præsentabitur personis, sed alia pars recitabitur ab histrione, alia actitabitur, quæ melius agi potest. Pascit autem comedia visum, & auditum. Vtrique satisfaciendum est.

De actibus, in quibus Connexio, & Solutio conficitur. Et de Agnitione.

TOta comedia, sicuti aliquando Tragedia, constat ex connexione, & solutione. Connexio continet actionis moralis praxim, & peripetiam, quæ est euentus contrarius voto agentium: & perturbationem actorum per rixas, vulnera, carceres, exhereditationes, & similia. Solutio verò continet agnitionem, & fælicem euentum ex infælici. Et cum duplicatur, comedia suauior est.

In primo igitur actu practicatur aliquid, vt amor iuuenis cum meretrice, studij literarij neglectus, dispendia, & ea quæ amantem sequuntur.

In secundo res incipit aliò verti, vt si riualis, aut pater impediunt; & incipit implexio.

In tertio ita contexitur, vt vix extricari posse videatur, & perturbationes incipiunt.

In quarto perficiuntur, & ploratur.

In quinto soluitur, & fit plausus, vt nuptiæ cum amatâ; vel libertas insperata, vel &c.

Præcedit tamen prologus in comedia, in quo proponitur actio representanda, & commendatur. Interdum & poeta excusatur, aut defenditur contrà maledicos, vti apud Terentium fit.

Agnitio autem fit aut syllogismo, à causis pręcedente, aut ab effectu: vel à signo. Signum tamen est proprium singularibus actionibus, & testimonium. Signum dico aut ex consuetudine, sicuti Rex ex insignibus. Aut ex natura, vt Achilles inter mulierculas ex armorum cupidine: aut ex aduentitio signo, & hoc vel in fixo, vt Vlysses in cicatrice; vel extrinseco, vt annulo à matre dato; vel ex crepundijs; vel ex monili. Aut ex reminiscentia, sicut Vlysses apud Pheaces plorat, dum canentem Antinoum gesta apud Troiam audit, subindéque agnoscitur. A testimonio autem, vt si hospes adueniat quæsitum puellam. Aut oraculum adsit, sicuti Merlinus Marfisam pugnantem cum Rogerio, sororem cum fratre pugnare canit. Representatio iucunda fieri posset recognitionum sancti Clementis. Denique quæcunque de signis & testimonijs diximus in Topicis, huic negotio deseruiunt. Agnitio enim est syllogismus sensatus, à signo, vel testimonio fidem vel suspicionem, & tandem notitiam prębens.

Exempla virtutis nedum fortunæ in comedia, & qua ratione.

QVoniam comedia exemplum fortunæ est. Fortuna autem, teste Liuio, virtuti fauet, vel imbecillitati succurrit, vnde stultorum gerere curam dicitur ab Ariosto: quod prouidentiæ Dei est, vt vbi deest ingenium ipsa suppleat; propterea comedias optimas faciemus si fortunæ exemplo, virtutis, & amoris exemplum aptauerimus. Itaque exemplum amicitię in Pylade & Oreste presentabimus, & ex illa bonum finem comediæ eliciemus. Exemplum fidelitatis Tyndari erga suum herum

ponit Plautus in Captiuis, & heri erga seruum: & ex hoc perturbationem serui damnari ad lapidicinas, quia se herum mentitus est, vt herum saluaret. Et ex hoc felicitatem serui agniti à Domino, quod sibi filius esset. Similiter in amoribus finem fidelibus amantibus fælicem faciemus, vt Guarinus in pastore fido. Subdolos verò in sua astutia deprehendi ostendemus. Gaudet enim spectator, vbi virtutem, non fraudem præualere tandem, licet serò, percipit. Deos haud introducemus in comedia præsertim prauè operantes, sicuti Plautus Iouem stuprantem Alcumenam, & Mercurium lenonis officium facientem facit. Tum quia vilibus actionibus ista non conueniunt: tum quia neglectus religionis exoritur. Nec Monachos licet scelestos introducemus, vt fratrem Cipullam, & Galassum, eadem de causa. In sacris verò comedijs, vbi sanctorum euentus præsentantur, ista licent cum decoro. Neque enim ridiculum hinc, sed pietas captatur.

De suggillatione, & Nimis, & ridiculo.

Expedit in comedia mores ciuium scelestorum suggillari. Propterea que mimos maledicos, & Thersites introducere, quibus licet omnia dicere. Non autem nominabit nisi publicos nefarios, quorum vituperio deterreatur cæteri à vitijs. Addetur & Ridiculus, etenim populus nisi rideat, ægrè spectat comicos. At imitatio exquisita admirationem facit, & risum.

Risum esse ostensionem lætitiæ, spiritu dilatante se ex apprehensione boni veri, vel falsi, vel aliqua ex parte: non autem ex apprehensione turpis, vt Arist. putat. Et dilatationem diligi: ideoque plusquam mouemur, pergimus dilatari ex ridiculis.

EST autem risus ostensio lætitiæ in ore hominis. Igitur est ostensio sensus alicuius boni. Proptereaque quodcunque bonum sentimus, siue vtile, siue honestum, siue iucundum, ridemus, dum illud nobis adesse putamus. Nam si alijs inest inimicis, haud ridemus, nisi quatenus nobiscum conueniunt in natura, & quod illi habent, nos habere, vel posse, intelligimus. Ergo & carentia mali sensibiliter considerati, risum præstat. Quapropter ridemus & in aliorum malis. Vt cum video cadentem filium Petri sine causa ex inconsideratione, rideo, non quoniam ille cecidit, nec quia ille non considerauit, sed quia ego non cecidi, & quia considero, & quia inde disco non cadere. Petrus autem non ridet sed indignatur, quoniam suum malum in filio suo deprehendit aliquo pacto. Possumus ergo inter ingentia mala nostrorum etiam ridere, quatenus aliquid boni nostri in illis conspicimus, vt Annibal plorantibus senatoribus Carthaginensibus risit, quatenus proprium valorem in illorum vili humilitate considerauit. Ridemus & post admirationem, quia iam aliquid magni didicisse lætamur: aut quia indignum admiratione illud, cuius considerationis gratia spiritus contrahebatur, iam sentimus. Et hoc in Comedia sepè accidit, cum Trastullus quid mirum proponit, & in futile migrat. Maximè autem si Gratianus doctor delinquat, quoniam in doctoris inscitia nostrum ingenium laudamus. Igitur sicuti risus ex apprehensione boni fit, & spirituum dilata-

tio est, ore ostensa: sic tristitia est spirituum constrictio ex fuga mali apprehensi, & quia risus amplificat & auget spiritum: tristitia verò cogit minuitque; idcircò appetimus ridere.

Insufficienter ergo & contrariè, & à cortice definit Arist. *Ridiculum esse peccatum, & turpitudinem sine dolore ac nocumento.* Nam ridenti non nocet, nec dolet, alijs autem potest esse dolorificum. Prætereà ridemus absque turpi & peccato ex sola boni appræhensione. Nec de turpi & peccato ridemus nisi per accidens, immò contristamur. Sed quatenus in illo nos haud esse sentimus. Bonum est enim in peccato non esse. Sed cur maximè risum effundimus, cum quis absque malo errat? Id circò profectò quod & nos non errare videmus, & si quando sic erramus, carere pæna simul posse concernimus: & eos, qui sic peccant, indolentes esse gaudemus. Ridemus valdè si cantarum merda plenum quis in alium effundat. Sed pueriliter quidem, quia nostræ naturæ dedecus non consideramus, sed solam nostri mali carentiam; qua parum moti, amplius moueri gaudemus, pergimusque spontè. Quapropter assuefaciendi sunt spectatores ad risum de bonis, non de malis suis & alienis. Animi leues puerorum & mulierum paruis bonis capiuntur, & imitatiunculis vanis, vt homunculorum fictorum, & saltationum, gesticulationum; quæ spiritum tenuem mollemque nil vltra considerantem facilè mouent, ventilantque: per motus autem cohibere se non vult, sed gaudet dilatari etiam sine causa. Populus verò eruditus veris bonis, & exemplis proficuis lætatur. De singulis verò affectionibus, & quibus excitentur obiectis, modisque, dictum est prius in Rhet. suntque poetæ necessaria.

APPENDIX.

Vtrum comedia aliis modis fieri poßit? & de Dantis poemate. Et cur comedia nuncupatur. Et de vniuersitatis rerum humanarum comedia.

QVæritur an comedia aliis possit fieri modis; quoniam Dantes poema suum comediam vocat in titulo, quod vix credidissem, nisi & ipse dixisset in textu.

Io ti giuro lettor per queste note
De la comedia mia, &c.

Sed fortassis sicuti Æneadam vocat Tragediam, sic poema tam admirabile, quo nullum melius adhuc in Mundo vidimus, comediam dicit. Etenim habet cum illa symbolum, incipit à malis, transit per mediocria ad summè bona, vt ab inferno per purgatorium ad paradisum. At quidem alterius rationis est comedia hæc, licet cum comedia Analogiam habeat: est enim exemplar totius vniuersitatis hominum; quorum gratia cum omnes res sint, de omnibus tractat rebus. Et principium medium & finem cunctorum hominum docet, pænas & præmia singulis virtutibus & actionibus conuenientes: iniquos damnat; bonos laudat: religionem roborat; secreta naturæ pandit. Tantaque varietate, ac vnitate simul constat, vt nihil melius audiri possit, neque admirabilius. *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci.* Et quia consideratio comediæ vniuersalis ab ipso Dante fit, ipse est persona loquens, videns & referens. Vocaturque ab ipso tiam poema sacrum, & vniuersale.

Se mai continga, ch' il poema ſacro,
A cui han poſto mano ecielo eterra,
Onde molti anni ſon venuto macro.

Arbitror legiſlaturæ, & philoſophiæ phyſicæ & moralis, & Mathematicæ & politicæ poemata ita in hoc vno conflata eſſe, vt non niſi vnum eſſe videatur. Habes in eo comedias, ſatyras, Tragedias, Elegias, epithaphia, elocutionis proprietates, vtilitates, figurationes, mutationes, fluentes quaſi naturâ, non arte compactas. Sed plebecula & grammatici inſulſi, qui vocabulis afficiuntur delicatis, non verè ſignificantibus, quod oportet, faſtidiunt Dantem: qui vt ante oculos ponat ſcientias, & rerum veritates in perſonis variis eas exprimit vocibus tam viuis, vt res potius quam voces, ipſæ voces videantur. Nos autem in canticis Mundum eſſe comædiam vniuerſalem docuimus, ſimiliter in Metaph. quod & Plato & Chryſ. dixerunt: cælum & terram theatrum, ſcenas verò ciuitates, & inferos, & purgatorium, & in fine Mundi fælicitatem, quæ ex tot actionibus, paſſionibuſque expectatur prodituram, iudicante Deo, & Angelis ſpectatoribus, quis melius ſuas partes in ſcenis proſecutus ſit, pænis præmiiſque diſtributis. Laruæ enim naturales animarum ſunt corpora; corporum verò laruæ artificiales veſtes, & dominatus, & functiones. Neque enim Rex eſt qui regit in Mundo noſtro, ſed qui ſcit regere, etiam ſi pauper ſit, vti Socrates: neque pictor qui pennicillos habet & colores, ſed qui ſcit pingere. Vacuatis autem ſcenis omnia iſta patebunt.

De Tragicomedia.

ART. XII.

TRagediam inuenerunt moderni, qui peccaſſe videntur Ariſtotelicis indoctis, quoniã Ariſt. de illa nil dixit. Sed cum in natura rerum contingat, vt quis perilluſtris

ſtris ex ſummis malis, & interitu ad fælicitatem maximam inſperatam migret, vtique exemplũ miſtum poteſt fieri, præſentarique. Aptiſſima eſt huic poemati hiſtoria Tobiæ, & Iſaac, & Iudith. Maxime autem Iob. quam Moyſes deſcripſit metricè, tanquam Tragicomediæ inuentor, vt Hebreos captiuos in Ægypto conſolaretur, quod talem exitum eorum mala eſſent habitura. Regulas nullas do, quoniam ex præ fatis miſcentur.

De epithalamijs, quoniam ad hymnodiam pertinẽt nil dicere amplius oportet. Commendamus amorem. Auguramur prolem inclytam. Dotes ſponſi & ſponſæ ex virtute dicemus. Inuocabimus, &c. Neque de epigrammatis, quibus ſonetti vulgares, & octauæ, & madrigales reſpondent. Cantiones verò pſalmis potius conueniunt, & hymnis. Palam enim eſt, quod omnis actio, & res poteſt deſcribi, dum admiratio, lepor, & ſales, & licentia nulla, adhibeantur. Quod enim paruum eſt, omni careat vitio, alioquin euidens nimis ſit. Puto etiam plurima poſſe genera poematum inueniri, qualia erant Romanis, Atellanæ, Preſtanæ, & Petrarcha Ballatas, adiunxit, & alij alia. Quod laudabile eſt, dum imitatio, lepor, & argutia, & documentum mirificum, habent. Alioquin eſſet formam in materiam non ſuam introducere.

DE ELOCVTIONE POETICA.

CAP. IX.

Quid iam dictum ſit, quæ dicenda reſtant de elocutione. Eiuſque partes eſſe Literam, Syllabam & Dictionem, & Orationem.

ART. I.

POſtquam de materia, & forma partium poematis & totius dictum eſt, de ſuprema forma ſeu perfectiona-

li causa quæ ornatus proprius est, dicere libet: hoc est de elocutione poetica, singulorumque generum peculiari. De sententiarum vitalitatibus dictum est in Rhet. quomodo videlicet fit Interrogatio, Apostrophæ, Ironia, Prosopopeia & similia. Item de figuratione orationis per allegorias, periphrases, antonomasias, &c. Item de mutuatione vocum per Metaphoras, Synecdoches, Metonimias Epithetha, &c. Quibus omnibus poeta maximè vtitur. Licentque illi magis quam cuiuis scriptori, tum vt carmen sonorum concatenata efficiant, tum vt admirabile. Nunc autem ipsius elocutionis partes, vnde vigor sonoritasque pendet, & metrica ratio, est sermo. Sunt ergo partes elocutionis quatuor, litera, syllaba, dictio, & oratio: De quibus loqui ad Grammaticum Spectat; omnis enim Elocutio in omni scientia & Arte, & inerti sermone, has habet partes. Hic autem dicemus eas prout poemati adaptantur tantummodo.

De litera, eiusque charactere.

Art. II.

Litera est minima pars vocis indiuidua. Homo quidem rebus extrinsecis mouetur, quorum motionibus affectus fit sciens illarum. Mox imitatur motiones illas flatu, qui per os spiratur, & expiratur, & ità configurat flatum, vt quid simile rei, à qua passus est, representet: vt à *tup tup*, quod lapis facit lignum percutiens, verbum *typto* ortum est. Et ab alia concussionis figura *batto*, ab alia *verbero*, quando fit loro. Sic de cæteris, vt in Gram. & physiologia diximus. Passionum quoque suarum expressionem imitatur, vt risum, gaudium. Sed istæ voculæ nil significant præter affectum, non autem res exteriores. Literæ ergo sunt particulæ vocis imitantis res. Vox enim est rei imitatio per instrumenta naturalia. Et quia aliter aliæ Nationes imitantur propter cæli varij, & organorum aliam dispositionem, idcircò alijs idiomatis etiam

ṽtuntur. Germanus enim plurimo frigore impeditus, voces nimis arctat in ore, Hispanus efflat extra propter caloris circumstantiam, & membrorum laxitudinem. Sic de cæteris.

Dum autem expiramus & simul significamus, literas figuramus. Quapropter aliæ dicuntur vocales, quia sola arteria vocali exprimuntur, vt, A. E. I. O. V. aliæ consonantes, quæ aliis organis spiritu arteriali concusso fiunt, vt b. c. d. F. G. &c. sed non rectè scriptæ literæ videntur in nostro idiomate, neque in alijs. Nam vocales cum solo flatu fiant, simplici linea debent constare. Quapropter figura. A. non est vocalis secundum naturam, sed ad placitum. Neque E. neque V. quoniam pluribus lineationibus fiunt. A. ergo quoniam aperto ore pronunciatur infrà; supra verò non tanto, sic videtur formanda. ∩. Deinde E. quoniam erigitur quasi linguæ ventriculus, & in narium meatus flatus eleuatur, sic rectè scribetur C. sicuti consonans C. non enim conuenit, vt C. simplici linea, cum sit consonans, E. verò duplici scribatur. I. verò rectè scribitur quoniam stringimus labia inferiora, & superiora, flatum intra nares acuminatum premendo, vnde simplici linea erecta sui figuram ostendit, & puncto adiecto sonitum intra nares quem efficit. O. rectissimè vna linea circulari scribitur, quoniam ore rotundo illud proferimus, V tandem non videtur lineis duabus exprimendum, quoniam vocalis est. Et quia ore extenso foras, fit, sic scribendum esset. V. fortassis. Indigemus etiam, I. consonanti, aliter enim pronuncio cum dico io, & cum dico Iod. Ergo erit vocalis simplex, I. consonans verò vel longior vt, j. vel sic I. Rectè Hispani faciunt triplex, j. nam qui quasi, g. pronunciatur, sic fit. I. similiter faciemus. v. vocalem sic. u. consonantem sic. V. & pronunciabitur Vau hebraïcè. In lingua italica vulgari indigemus. O. paruo, & magno sicuti est in Grçca, quapropter sic fiet magnum. O: paruum o. non perfecto circello. Aliter enim voce. *Popolo*. pronunciamus. o. primum ac secundum. Similiter de multis voca-

libus esset faciendum. Vsus tamen modernus vltra montanorum facit consonans. V. sic. Vocalem sic. u. quod in poetica vulgari nos dicebamus. Puto adhuc Diphtõga ex duabus vocalibus considerãda, sed quæ misceantur etiam in pronunciando. Aliter enim Musæ, Atque Benè, profertur. Sunt autem diphtonga Ae, œ, au & eu, in latinis; in vulgaribus adde ie, ei, &c. & omnes vocales cum omnibus diphtonga faciunt in vulgari: Galli tres & quatuor vocales conflant in vna syllaba, sicut Poloni quatuor consonantes. Arbitror Hæbreos optimè omnium vocales non per lineas sed per puncta expressisse, vt simplicem flatum ostendant. At quidem diximus literas esse particulas indiuiduas: quod verum est in latina, sed in Græca & Hebrea & Arabica tanquam plures syllabæ pronunciantur, pro. A. etenim dicunt Aleph, & Alpha, & Eliph. Item numeros, & dictionis significationes, continent literæ hebreorum, Græca numerum tantum, nostra non nisi vocis elementum. Ideò facilior est iunctura nobis, sed non doctior. In iuncturis verò vtuntur literis tanquam indiuiduis.

Consonantium verò emendare abusum nimis longum esset. Diuidimus illas in simplices, & duplices; quæ sunt duæ. Z. & X. quoniam quasi duplex. ss. illa, hęc quasi. sc pronunciatur. Simplicium aliæ semi vocales vt, s. r. quoniam quasi spiritu solo, & pauco proferuntur instar vocalium. Propterea cæterorum aliæ liquidæ, vt f. r. m. n. quoniam quasi liquescunt in textura. Aliæ mutæ, quoniam nihil dicunt nisi vocalibus additæ: sibi ipsis verò additæ nequaquam. Sunt autem b. c. d. f. g. p. q. t. Non tamen sufficiunt istæ literę vulgaribus nostris. g. namque est multiplex. Aliter enim pronuncio. ga. atque ge. & cum dico. gle. in gleba, & in mogle. Quapropter ponenda esset g. quæ semper coniuncta faciat sonum, sicuti cum. ge. ita quoque sit. ga. ne cogamur dicere. gia. alia verò sit. g. sicut. gain. semi hebraïcum, & fiat sic. 8. vt sicut facit. 8a. sic gé. ne cogamur interponere. h. ghe. dicendo. Item cum dico. *ghiara*, aliter pronuncio. g. quam

cum dico *praghera*. Igitur vel triplicandum. g. vt apud Arabes, vel saltem duplicandum. idem dico de c. vt aliter pronuncietur sicuti. ca. aliter. ce. ne cogar cum volo dicere chelim, addere. h. igitur prima sit sicuti c. secunda sicuti. K. Græca litera. Maximè autem duplici t. indigemus: quoniam cum dico gratia, pronuncio t. quasi c. vel. z. non tamen prorsus: cum verò dico, *natta*, pronuncio t. prorsus. Igitur in poetica vulgari posui t. simplex, & aliud medium inter t. & z. sic pictum. t. cæteræ literæ rectè se habent.

B. igitur pronunciatur vtrisque labijs se setangentibus parum prementibus spiritum: & sic posset fieri.) (. Apta est rebus abstrusis, & formidolosis pronunciandis. C. profertur lingua verberante planum, non tangendo interius superiorum Dentium, & sic fieri posset. E. valet ad enixè facta. D. dentibus superioribus linguam afficientibus. Valet ad magnifica, & ampla. F. dentibus superioribus labrum inferius mordentibus, rectè scribitur. ad fortia valet. g. molaribus superioribus & inferioribus conuenientibus, & linguæ gibbo ad gingiuas. Valet ad multiplicitates, & gyros. h. quasi vocalis est quoniam solo spiritu verberato per columnulam, & ad palatum fit. Valet ad vocalium auctionem. Vulgares tamen solum ad distinctionem vocabulorum consimilium, & ad. g. & c. variandas vtuntur: nec sufficienter. Latinos autem aliter pronunciasse Catullus testatur, qui Arium puellum non *insidias*, sed *hinsidias* pronunciare solitum ludificat. In pronunciatione, *Nihil* idem patet. L. pronunciatur acumine linguæ, ad summum palati elatæ, apta est rebus altis, & diuinis M. compressis inuicem introrsum labijs & flatu introacto. Valet ad verecundationes, vbi quid dicere timemus, aut horremus, aut intonamus. N. acumine linguæ ad palati partem non altissimam sed supra Dentes. Valet ad penetrationes, & negationes, & violentias. P. labijs compressis extrorsum ad eiectiones, positiones, situationes. Q. gibbo linguæ palatum vix attingente interius: at flatum comprimente, & exprimente si-

mul. Valet ad fæda, & grauia, & expansiones. R. linguæ acumine nil tangente, sed vibrante vsque tamen ad tactum tantillum palati. Valet ad mobilitates, & asperitates, & excursiones. S. ore paulo magis compresso, & lingua quasi in canalem adacta; & flatum exsufflante. Valet ad sibilos, & reptationes, & volatus, & natationes. T. linguæ acie in extremas Dentium superiorum partes percutiente, non in internas vti D. valet ad tactiones, compressiones, roboationes, concussiones, signationes. X. sicuti c. & s. simul. z. sicuti duobus. ss. proferũtur, & c. simul. Valent ad rerum duplicitatem, flexionem, & ad multitudinem. In his autem non oportet superstitiosum esse. Sed cum vocabula ponimus, eas literas iungere, quæ rem magis repræsentant. Vnde quoniam vocales ad res apertas, & latas valent, c. verò ad compressiones rectè Catullus ait, *Annales volusi cacata cartha, &c.* volens pluribus. a. &, c. exprimere cacantis non scribentis actum.

De Syllaba.

Art. III.

SYllaba autem est compræhensio literarum plurium quatenus sub vno flatu pronunciantur, faciuntque partem dictionis propinquam. Vt pa. gra. &c. potest syllaba ex vnica vocali fieri, quoniam dictionis pars gracillima est vocalis vna, habetque flatum de se. At non potest ex vna consonanti fieri, neque ex pluribus. gr namque pars non est, sed partis pars; immo neque; quia caret glutino vocalis, & flatu. Licet Arist. putet syllabam sine vocali fieri, quod non credo. Alioquin stirps, & plebs essent bissyllabæ. quod falsum est in omni idiomate. Eadem tamen vocalis potest esse litera, & Syllaba, dictio, & oratio, vt I. pars ergo propinqua dictionis est syllaba, remota verò est litera.

De Dictione.

Art. IV.

Dictio autem diuiditur in nomen, verbum, participium, aduerbium, pronomen, propositionem, interiectionem, coniunctionem, articulum. Arist. addit Casum, qui non est nisi nominum & verborum inflexio, nullam partem orationis faciens.

Omittit participium, pronomen, coniunctionem, interiectionem, ponendas quidem: cum longè magis distinguant quam casus. Nomen est dictio significans essentiam rei, vt diximus in logica. Verbum verò dictio significans actum, siue essendi, siue agendi, siue patiendi, siue operandi. Tot enim sunt actus. De quibus in logica, vbi & Arist. emendauimus. Participium significat essentiam cum actu simul; hoc est, vel existentem, vel agentem, vel &c. pronomen ponitur loco nominis, vt ego. coniunctio partes orationis, & sensus colligat, vt &, atque, &c. In lingua vulgari solam, *&*, habemus coniunctiuã, esset aliunde accersenda altera, ne semper eandem repetamus. Latini verò abundant his. Datur & coniunctio aduersatiua, quæ verba coniungit, & sensus separat, vti, *sed*, *at*, *ast*, quibus latini exuberant, vulgares solùm, *mà*, habent, quæ à ly magis deriuatur. Hispani *mas*, quà & loco particulæ *plus*, vtuntur. Melius autem Lusitani *mais* dicunt & distinguunt. Interiectio non significat actum, neque essentiam rerum, sed solum affectionem animi. Et valdè vtilis est poetæ, & vocatur potius oratio cõfusa vt in Logica diximus. Alia est explicans risum, alia gaudium, vt euax, alia minas, alia precantis affectum, alia plangentis, alia timentis, alia sperantis. Et denique quot sunt affectiones iam dictæ in Reth. tot intèriectiones fieri possunt. Non omnes habent latini, potest tamen poeta licenter addere, sitque autor grammaticis, non seruus. Præpositiones apponuntur casibus no-

minum, vel pronominum, & causalitatem, vel efficientiam, vel circumstantiam & locum, & motum exprimamus. Vt *propter Petrum laboro.* In *platea sedeo.* Vtilissimæ sunt contexendo sermoni. Aduerbia verò sunt qualificationes actuum, ergo verborum; idcircò his apponuntur. Qualificant enim actum temporalem, vel localem, vt *fui heri*; vel qualitatem, vt *curro velociter*; & quot sunt prædicamenta, tot sunt qualificationes, vti docuimus in logica, ergo & tot aduerbiorum genera. Mirificè differentias, & proprietates docent existentiarum, & actionum, & passionum. Poeta his vti sciat: nam tanquam epitheta sunt, & versus magnificant, & illustrant, & complent. Gerundia vix à participijs segregabis; significant tamen actuum cum rebus collationem. Vulgariter his parum vtuntur. Articulo latini non vtuntur. Græci & vulgares vtuntur tanquam signis essentiarum. Vnde quando verbo articulum ponimus, fit nomen, vt il correre, & genus masculinum, & femininum; & singularem & pluralem numerum habent, sicuti nomina, quibus apponuntur. Variantur apud nos per casus, & apud Græcos. Suntque casuum notæ: sed apud nos & Hebreos non datur flexio casuum: sufficiunt enim soli articuli ad ipsorum ostensionem. Græci verò art. & casu vtuntur, Vide quid diximus in Gram.

De Oratione.

ART. V.

ORatio autem est complexio dictionum ordinata indicans animi conceptionem, & scientiam de rebus, sicuti in logica docuimus. diuisimusque in simplicem, vt tu es homo, & compositam. quam in hypoteticam seu conditionalem, & in coniunctiuam, & disiunctiuam, & contemporalem, & correlatiuam distinguimus. Vt si veneris ad me, dabo cytharam. Et ego scribo, & tu curris. Et, vel Petrus est clericus, vel est monachus. Et dum ego

curro

curro tu sedes; & legentem magistrum, (vel qui legit) audiunt discipuli. De his ibi dictum est. Alia est oratio multiplex seu decomposita; quæ tamen dicitur vna, quoniam vnum negotium explicat, & ad vnum finem, aut vnum effectum facit in auditoribus, quia suadet vel ratione aliquid vt Rhetor, vel exemplo vti poeta. Ergo Ilias & Æneis vna sunt oratio, sic & oratio Tullij pro Q. Ligario est vna, quoniam vnius defensionem efficit ex non sola coniunctione vna, vti Arist. parum solers, docet. Differt autem contextus orationis poeticæ ab alijs, quoniam illa est metrica, aliæ solutæ. Prius ergo dicamus de dictionibus, quibus vtitur poeta, deinde de metro.

De Dictionum contexentium orationem, varietate, & vsu poetico.

Art. VI.

DIctionum aliæ sunt propriæ, aliæ mutuatæ, aliæ peregrinæ, aliæ fictæ de nouo, aliæ vsitatæ, aliæ minimè, vt dicebamus in Rhet.

De propriis dictionibus.

DIstinguitur dictio propria contra communem vno modo, vt ensis contra arma. Et poeta vtitur semper illo pro isto, & è conuersò per synecdochē, vt dicebamus de omni generatione totalitatis & partis. Distinguitur & contra improprium, vt parricida est occisor patris, sed impropriè dicitur etiam sic occisor fratris. Raro poeta his vtetur. Tertiò distinguitur contra mutuatum ab alius vocabulo rei, vt cum non est metaphoricum, neque æquiuocum. Aut contra mutuatum ab aliena lingua. Itaque quoniam vox propria his duobus modis intelligitur hic, & vt distinguitur contra inusitatam, manifestum est, quod historicis sit conueniens, & philosophis, qui rerum pro-

prietates attendunt. Attamen quoniam oratio debet esse perspicua, admirabilis, & apta rebus, de quibus loquimur, & elegans; manifestum sit, quod propria vsitata faciunt orationem lucidam; ficta, peregrina, & translata, obscuram. Commista verò admirabilem. Neque enim admiramur quod nil intelligimus, neque quod subitò patet. Omnia vocabula in grandiora, & consonantiora secantur, & in humiliora, & minus consonantia. Sicuti dicere *quanquam* grandius est, & consonantius, quam *& si*, vel, *licet*. Similiter *genitor*, quam *pater*. Item magnificatiua sic se habent ad diminutiua, vt in vulgari dicimus, *Franciscone*, & *Francischello*: in latina *Tantum*, & *Tantillum*. Sed magnificatiuis carent latini. Vtemur ergo in poemate grandibus consonantibus, & magnis. At vbi opus est diminuere, vel quia res paruipenditur, vel quia cara ostenditur, vt puelli sunt cari, diminuemus more Catulliano.

Salue Thalle mollior cuniculi capillo
Vel Anseris medullula, aut hinnula tenellula.

De mutuatis dictionibus.

VOces mutuatæ sunt multiplices, vt in Rhet. diximus. Sed metaphoricæ sunt mirificentiores, & iucundiores.

Quoniam in cogitatum alterius rei nos ducunt.

Et similitudinem inter res docent.

Et artem humanam ostendunt, quæ de necessitate scit facere virtutem. Hoc vltimum Arist. non considerauit. Duo prima balbutit ipse ac Cicero, & coniectatur. Non enim quia simile delectat vt aiunt, sed quia docemur quid aliud simul. Arist. transfert à genere ad species, & è conuerso. & inter species: & à proportionalibus. Nos autem synecdochem in prioribus implicari putamus. Trasferimus autem rectius ab animato ad inanimatum, & è contra; & inter duo animata, & duo inanimata, per similitu-

dinem quamcumq; maximè autem in diuersis ob proportionem. Quot autem sint similitudines in suo ipsarũ diximus prædicamento : tot ergo & translationes. At quidem de his in Rhet. Nunc autem illud notemus, quòd aliæ sumuntur à rebus pulcris, aliæ à turpibus, aliæ à magnis, aliæ à paruis. Pro rei autem conuenientia transferemus.

Oportet enim & moratam, & affectam, & congruentem rebus esse orationem poeticam. Igitur in comœdia dices, *castratam Remp. morte Africani*, & vbi aliquid vis exprobrare, & abiectum ostendere; non autem in heroïcis, & in tragicis, & vbi magnificare, & laudare cũpis. Sancti viri mortem vocabis quietem; sceleſti verò extinctionem per metaphoram Sic de singulis.

Rem, de qua dicimus, ante oculos ponunt metaphoræ, quoniam quasi in exemplo, & speculo, aut in lumine quodam nouo, illa præsentantur. Cum enim dico *prata rident*, statim in risu;ostentatione lætitiæ, tanquam in speculo, pratorum apertionem, & lætam floritionem concerno. Quapropter vtilissimæ sunt metaphoræ, maximè autem quæ à proportione enascuntur, & significanter geri aliquid ostendunt, non quæ nil agi. Si enim dico, *Paulus est æs spiritus sancti*, nil fortè ob oculos pono; sed si dico, *tuba sonans*, statim, quoniam actio in tuba continetur, eius vim in dicendo cælestia agnosco.

Et quoniam translationes sunt similitudines absque nota similitudinis, eadem ratio tenenda est in comparationibus. Poeta ergo amplificans, aut diminuens, aut ob oculos ponens, capiet comparationes à magnis, à paruis, à pulcris, à notissimis ad dilucidandum minus intelligibilia, sicuti inuisibilia per visibilia. Turpiter poetæ huius temporis in singulis propositionibus addunt comparationes, & plus temporis in comparando, quam in dicendo insumunt. Et quasi per obscuriora docent interdum. Quod non faciendũ: nisi vbi quid nouum declarare cupis, & admirationem præbere Similiter in descriptionibus rerum. Non enim cantum auiculæ de-

ſcribes longo ſermone: ſed famam, aut inuidiam, tanquam monſtra depinges cum Virgilio, &c.

Comparabit & deſcribet aliter miles; aliter Rex; aliter paſtor; aliter ipſe poeta; dum loquuntur in poeſi: vnuſquiſque autem à propria arte mutuabitur voces, & comparationes, & deſcriptiones, vt plurimum.

De peregrinis dictionibus.

DIcimus peregrinas dictiones, quæ ſunt ab altera lingua: quæ ſi plurimæ ſint faciunt barbariſmum, ſicuti plurimæ metaphoræ ęnigma. Vtemur ergo parcè, vt admirabile ſit poema, & lucidum; & per alteram vocem adiacentem noſtratem, peregrina in contextu innoteſcat: alioquin obſcuritatem faſtidioſam faciet. At vbi in propria lingua deſunt rerum vocabula aliquarum, à peregrinis mutuabimur, aut fingemus Sicuti Dantes & Petrarcha gallicanis vtuntur. Commodius autem Hiſpanis vtendum nobis eſſet, quoniam Hiſpana propinquior eſt Italæ, & Latinæ; cuius filia eſt noſtra vulgaris. Ab Arabibus mutuantur Hiſpani, non autem à Germanis: cum his enim commercium non habuerunt. Dicimus tamen caſtrenſi voce *faralio* germanicè, vt Arioſtus: quoniam recepta eſt à militibus. Et in ſua arte cuilibet autoritas ineſt nuncupandi res illius artis. Non tamen affectandum eſt vti peregrinis vocibus ſepè, nec oratiunculis, ſed vocibus commiſtis inter noſtras. Miror cur tantopere Vltramontani hoc tempore græcizent, ita vt plures græcas quam latinas in ſcriptis ponant: quodam turgentes ſpiritu inanis affectatęque nugacis glorio læ: & quidem vbi vocabula latina conſonantia, & propria non deſunt. Nec videas carthulam ipſorum, quæ ſtatim in græciſmum non prorumpat; quaſi dicens, & grecè noui, & omnia. Aſt vbi alienæ linguæ autores allegare oportet, vtique eorum lingua eos loquentes facere non dedecet. Sicuti Petrarcha allegans verſiculum cantionis gallicæ, & Dantes Arnaldum Danielem Gallum gallica loquentem lin-

gua introducit, quia poeta erat, & suis versibus æquum vt loquatur. Item Nembrot ignota lingua, quoniam linguarum confusionem inuexit. Virg. autem licet græcis vocibus vtatur, nunquam tamen oratione. Lucretio id conceditur, quoniam philosophiam græcorum canebat, & citabat. Plautus Punicum mercatorem punicè loquentem in scena affert: & Tomitanus Dalmaticè. Sed vbi intelliguntur à spectatoribus istud licet, vt imitatio peregrinæ linguæ quid miri faciat. Non tamen in Italia Britannicè loquentem histrionem faciemus: quoniam illa lingua penitus ignota hîc est: sed hispanum hispanicè, conuenit. Et quoniam in omni natione linguæ sunt varię aliquo pacto, sed tamen vna, quoniam à cunctis intelliguntur, scribet poeta lingua optima, vt apud nos Etrusca, apud Gallos Parisiensi, apud Hispanos Castellana: & in heroico poemate perpetuò eandem linguam seruabit: in comico verò vniuscuiusque personæ linguam. Ergo & Lombarda, & Calabra, & Sicula, & Etrusca, & Ligure potest comicus vti, si personas ex talibus prouincijs varias introducet: vti Tomitanus Rusticum rustica lingua, Patauij notam, facetè loquentem facit. Et Homerus, Ionica, Dorica, & Attica vtitur lingua etiam in epopæa, vel eligenda ex omnibus meliora vocabula, vel quæ in vna desunt. Vel &c.

De inusitatis.

VOcabula inusitata, quæ tamē à veteribus vsitata fuerunt, si meliora nouis ad significandum, non spernet philosophus, fugiet orator, quoniam affectus apparet. Poeta autem parcè accipiet, tum ad admirationem, tum ad numerum metri. Quod Virg. mirificè facit. Lucretius verò, quoniam plus indigebat, vel priscis propinquior erat. At si vsitata sint in tua prouincia Etrusca, vsitata tamē in Veneta, aut Lombarda, au Calabra, poeta commodè & licenter illis vti poterit, sicuti Homerus Laconica, Attica, Dorica, & Ionica lingua loquitur. Sic

enim poema prodest, plurimis communicat linguas, & commercia, ditat grammaticā, supplet, vel eligit meliora: & facilius & admirabilius explicat conceptiones. Dantes mirificè cunctis Italiæ linguis loquitur, vocabulis tamen ad Etruscam inflexis phrasim, similiter & latinis: maximè autem vbi quid ante oculos ponere valde optat.

De Fictis.

FIctum vocabulum non est sacerdotem vocare custodem, & cornua ramos, vti Arist. ait, id enim est potius metaphoricum: sed quod de nouo fingitur, ab alijs non dictum, sicuti qui primus dixit *bombadam*, & qui *staffam*. Ficta autem appropriatione inualescunt. fingēda sunt vocabula à rei proprietate, aut affectu secundum philosophiam. At secundum vsum meliora sunt quæ ex veteribus inflexis trahuntur, siue ex græcis. Quæ cum ex contextu innotescunt, poeta non aspernabitur, vt Horatius monet. Vbi autem propriam habemus abundanter, fingere non licet. Valent tamen multum in exaggerationibus, & in ponendo ante oculos rem istæ voces, si aliunde ex notis inflectuntur. Sic Dantes ait.

Veramente Giordan volto è retrorso.

Vbi retrorso est peregrina vox maximè ostendens monachorum deprauationem à recta via. Sic cum ait.

Colei ch' imparadisa la mia mente.

Vbi *imparadisare* fictum est, sed valdè ostendens felicitatem, qua ab amata afficiebatur. Nos è contra diximus *che l'isole fortunate doue gli antichi posero il paradiso, son le più sparadisate del mondo.* Et alibi Dantes.

S' io m' intuaßi, come tu ti immij.

Mirabiliter dixit propriissimè licet fictissimè. Ergo vel

à verbo noua nomina participialiter effingemus, vel è nominibus verba: & omni ex parte orationis omnem partem. Quæ autem ſic non finguntur, nequaquam recipiuntur. Ennius finxit *Taratantara*, ſed ipſe ſonus in hac voce ſeſe indicat, & rectè ab effectu more philoſophorum.

Diminuere & magnificare pertinet ad figmentum, item producere vt per apherеſim, & abbreuiare per ſyncopem. Poeta his vtitur ad rei opportunitatem, non ad placitum, temereque. In omnibus obſeruabit, vt vocabula potius res quam vocabula videantur: & tranſlationes & fictiones lucem, non obſcuritatē, afferant: ſint ergo conuenientiſſimæ. Item aſpera aſperis rebus, lenia lenibus, hiulca hiulcis: quod ex conſonantium & vocalium textura naſcitur, vt dictum eſt hîc & in Rhet. vnde Dantes de inferno loqui volens, ait rectè.

Se io haueſsi le rime, & aſpere & cioccie
Come ſi conuerrebbe al triſto buco, &c.
& in ſua cantione.
Coſi nel mio parlar voglio eſſer aſpro,
Come negli atti queſta bella pietra;
La quale ogn' hora impetra
Maggior durezza, e più natura cruda.

Quapropter ex arte loquitur non inconditè, vt Scioli putant, licet lingua eius antiquetur, vt Enniana. Si literarum vocalium & conſonantium vim & proprietatem conſiderabis, vocabula, quę res ipſas exprimant ad viuum facie: item & quæ magnifica, & quæ paruifica ſunt, illarum ſitus & textura declarabunt.

De carminis vtilitate, & compositione ad vsum, finemque suum, videlicet affectionis, accommodata. Et quare multiplex sit metri species.

CAP. X. Art. I.

QVoniam poeticus dicendi modus elegantissimus est, & magicus, aptus mouere hominis affectiones non modo obiecta illorum proponendo, sed sonis afficiendo: sonus autē in spiritu motum cōmunicat, & natiuum motum excitat, & fouet, & modificat, & figurat. Ex motu autem egreditur actio, idcircoque moralis est sonus, non autem sapor, aut alius sensus obiectum. Hoc balbutiuit Arist. in probl. sed non intellexit motiones spiritus: propterea in poetica oratione texenda multus inest labor, & industria. Iudicium autem spiritui audienti esto. Hinc versus inuenti sunt dici à vertendo, quoniam tandiu verti debent dictiones, donec sonum placitum auribus afferant. Et quia non percipitur in longa oratione, dum à principio ad finem suspenditur animus ad numeri perceptionem, nec in breuissima, quoniam tangit, non agitat, ventilatque spiritum, quantum est opus, vt afficiatur, nisi fortè ex sensu vnius vocabuli, non autem ex sono; idcircò ad quasdam mensuras versus redacti sunt, proptereaque metra dicuntur, vnoque absoluto, ad alterum reditur. Vocatur & carmen, quoniam est cantus imitatio, & quia à cantando inuentum est, & prius cantari cœperunt, quam legi; est tamen grauitate non lenocinio vocis, sed numerosè pronunciandum. Sunt autem carmina multiplicia pro rerum canendarum conuenientia. Vt Hexametrum heroico poemati aptum; pentametrum Tragœdiæ, & Elegiæ: Phaleucium, Asclepiadeum, Sapphicum, aliáque sunt plurima ex his composita.

De Hexametro, eiusque vsu.

Art. II.

HExametrum ſex pedibus conſtat, quorum quintus eſt dactylus, ſextus ſpondeus · reliqui quicunque ex his, vel miſti: ergo non excedit ſyllabas 18. nec minus eſt. 13. ſed tamen idem tempus conſumitur in pronunciando. 13. & 18. quoniam ſyllabarum aliæ ſunt breues non quidem ex literarum natura, vti deberet, ſed ex vſu pronunciantium Eadem enim ſyllaba, vt *Ma*, eſt longa & breuis, quatenus prima eſt mali i. *pomi*, & malitiæ. Breuis pronunciatur velociter, & vno momento, quod tempus dicunt. Longa duobus temporibus, ſicuti & notæ in cantu muſico. Et quoniam dactylus conſtat ex vna longa, & duabus breuibus, æquipollet ſpondeo ex duabus longis. At in quinto loco non afficit ſpondeus, quoniam plura momenta colligit in anguſtum, quando ſpiritus feſtinat in finem, & debet feſtinanter procedere, & plura momenta partiri potius quam aggregare. In ſexto verò ſpondeus aptus eſt, quoniam ſpiritus quieſcit, ergo longa menſura, qualis eſt quies. Poſſet quidem ex ſeptem fieri pedibus, dum tamen ſextus. Sit dactylus, at prolixitas imperceptibilitatem menſuræ iucundæ efficeret. In quinto ponimus ſpondeum, vbi quid graue, mirandumque aut horrendum canimus, vt animus non currat ſed ſiſtat conſiderationem. Vt *apud vir. cornua velatarum obuertimus antennarum*. Vbi poeta periculum & conatum exprimit. Et alibi, *magnum Iouis incrementum*: quid mirificum. Non tamen ſic tenet carmen, niſi raró quis & doctus negociorum. Hoc carmine heroïca facta canimus. Et nunquã mutatur, nec alterius generis carmini adiungitur, ne grauitas interrũpatur. Cõuenit & ſatyris, quoniã graue & minax eſt. Hanc mẽſurã in Italica vulgari, nec in Hiſpanica, nec in Gallica habemus: ſed poteſt facilè inueniri, & eleganter, vti in verificatoria Italica oſtendi: & in

nostris canticis plurima sunt vulgaria, metro latino cōposita. Vtuntur nostrates octaua rithma, qua peracta ad alterum redeunt. Versus autem horū maximus est endecasyllabus, respondens phaleucio, sapphico potius, dignus lyra, non heroe. Et in consonantijs vltimis habet iucūditatem, à Barbaris Saracenis, Italiam inuadentibus, introductam, quæ & in latinam olim serpebat, vt patet de carminibus Leoninis, quibus barbarum sęculum vsum est. Nos autem tanquam nostræ seruitutis indicium adhuc mensuram istam retinemus; neque Dantes aut Tassus, vel alius insudarunt à tanto dedecore vt nos redimerent. Arbitror tamen tertij rithmi genus, vel dodecasyllabum, quod vulgò Sdrucciolo vocatur, heroicis poematibus aptius esse. Vnde Dantes & Sannazarus melius faciunt in comedia, & in Arcadia. Siquidem & Buccolica, & Georgica hexametris vtuntur.

De Pentametro, eiusque vsu.

ART. III.

PEntametrum quinque pedibus constat. Tertius est spondeus, quartus quintusque anapestus, qui ex duabus breuibus & longa constat, dactylo aduersus. Duo autem primi aut dactyli, aut spondei. Hic versus hexametro additus conuenit elegiæ. Siquidem lamentatio grauis est, & flectitur in mollitiē, idcircò perficitur flebilitas in secundo versu, & sententia terminatur. Neq; enim decet periodum progredi vltrà ad secundum hexametrum.

De Asclepiadeo, ab inuentore sic dicto, eiusque vsu.

ART. IV.

ASclepiadeum recipit spondeum, duos choriambos, & in fine pyrrichium. Choriambus ex. 4. constat

ſyllabis, extremis longis, medijs breuibus. Pyrrichius ex duabus breuibus. Ergo celeriter currit hoc carmen, aptumque eſt lyræ, & choro, & negotijs celeribus exprimendis. Et quoniam non ſiſtit auditorem poſt tres verſus terminat ſententiam, addereque ſolet carmen ex ſpondeo, & duobus dactylis, in quibus pauſetur. Horatius quoque interdum tres choriambos interſerit, vt quoniam velociter incedit, & multam ſententiam breui docet, Curſus non terminetur abſque aliqua laſſitudine, & indigentia quietis. Quod etiam placidum eſt.

De Phaleucio, eiuſque vſu.

ART. V.

PHaleucium ſimiliter, ab inuentore ſuo dictum, in primo vel ſpondeũ vel trocheum recipit, in ſecundo Dactylum, cui adde tres trocheos. Qui conſtant ex longa & breui. Lyræ & mollibus, & delicatulis rebus aptum carmen, quo Catullus & Horatius ſepè vtuntur. Interſeritur in Tragedijs, vbi eſt opus. Choris quoque idoneum.

De Sapphico, eiuſque vſu.

ART. VI.

SApphicum, à poetride dictum inuentrice, habet trocheũ in principio in ſecundo ſpondeũ, in tertio dactylum, deinde duos trocheos. Lyricis & hymnodiæ, & choro, & amoribus conueniens. Poſt tres verſus ſibi optat Adonis metrum ex dactylo & ſpondeo compoſitum. Credo mulieres, qui Adonem plangebant, teſte Ezechiele, reſpondere ſic ſolitas dum vna caneret. Horatius autem non terminat ſententiam in Adonico, vt decet, ſed pertranſit, animoſque defraudat, & ſuſpendit. Non rectè quidem, licet eleganter loquatur.

De iambis, & aliis pedibus, versuumque modis.

Art. VII.

IAmbici versus ex Iambis pedibus constant, qui prima breui & secunda longa fiunt. Horum alij sunt senarij, alij ex quinque pedibus. In quarta vult semper Iambum Horatius. In cæteris autem solet spondeus interseri. Aliquando dactyli intermiscentur. Hoc genere vtitur Tragedia, quoniam collocutiones quasi ad prosam fiunt. Nec potest vbi affectiones per actionem exprimuntur, sonus attendi, affectionis vi absortus. Ideoque & comedia varios pedes capit, & Horat vsque ad 17. genera versuum facit. Terentius quam multos. Habent enim & pedes alios vt Molossum ex tribus longis: tribacchium ex tribus breuibus: bacchium ex breui & duabus longis: Antibach. è longis duabus & tertia breui: creticum ex longa, breui, & longa. Amphibol. ex breui, longa & breui. Peon ex longa & tribus breuibus Antipeon ex tribus breuibus & longa: dochimum ex bacchio, & Iambo; quo Cicero potius in oratione Rhet. vtitur. Hæc autem miscebimus ad auris iudicium, donec versus ritè constituatur.

Vnde est quod pedes ritè locati, non semper harmoniam efficiunt eandem. Et quomodo locandi.

Art. VIII.

ARbitror metrorum Iudicem esse aurem: quapropter vbi mensura seruatur, & sonus non placidus redditur, versus ille artem habet, sed non effectum artis. Vnde in pentametris si trisyllaba est vltima dictio, malè sonat, quamuis pedes bene locentur, si verò bissyllaba quamuis pro spondeis ponas trocheos aut Iambos in prin-

cipio, versus redolet mensuram, & dulce mouet spiritum. Similiter in Hexametris si quatrisyllaba est postrema dictio, inconditi videntur. Quoniam in penultima vbi quies incipit spiritus; quiescere non potest, cum debeat vnam dictionem vno flatu pronunciare. Idem accidet & peius, si duæ extremæ dictiones sint bissyllabæ: non autem si vltima trisyllaba, quoniam cursus dactyli non remoratur pronunciationem tertiæ syllabæ sed preoccupat. Remoratur tamen in secunda, quoniam incepit à longa non dum currens. In sapphicis Horatius affligit auditorem, vbi quinta syllaba est finis dictionis, quoniam interrumpit curriculum dactyli, multò autem magis si quarta est dictio monosyllaba etiam. Igitur D. Thomas in Ascelepiadeis quamuis metrum non seruet secundum regulam, tamen quià auribus & sententiæ accomodat, sacrum hymnum, leniter incedit, & mulcet. Horatius autem cruciat vbi in fine bissyllabam dictionem ponit, quoniam pyrrichij vis tollitur, dum in principio dictionis quies capitur. Neque potest non capi, nisi dictionem vltimam cum penultima iungas, & sensun confundas, ergo cum ait. *O & præsidium & dulce decus meum*) nil differt à prosa: licet Ouidius aiat. *Detinuit nostras numerosus Horatius aures*: mensuram non effectus mensuræ attendens. Ex his clarescit, quare Lucretius & Ennius in carmine quasi agonizant, & cum eis Horatius sepè. Virg. verò & Lucanus, & Ouidius splendidi, expediti, numerosi, gratique videntur. Grauiore tamen incessu Virg. leniore Ouidius, mediocri Lucanus.

Septem regulæ prò carminis structura iucunda [illegible]nanda.

Art. IX.

OBseruanda sunt hæc etiam in carmine.

1. Vt monosyllaba vocabula multa non coniungantur, sed per totum metrum spargantur, quoniam sunt offendicula quasi viantis animi, & lapides scandalosi.

2. Nec in fine ponantur, vt Horatius ſolet, niſi vbi caſum, aut metrum, aut graue quid occurrens, quod impetum motus frenet, dicere habes. Vt virg. *odora canum vis.* Dixit & *præruptus aquæ mons*: vt te in vi illa ſiſtat cognoſcenda. Sed aptius Ennius. *Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

3. Præterea nec plures conſonantes ſe conſequantur in fine vnius dictionis & principio alterius, vt *ſtirps ſchomingorum*, *&c.* impediunt enim & aſperitatem faciunt. Vbi autem exprimendum quid aſperum eſt, pones.

4. Præterea neque idem finis ſit dictionis præcedentis, & principium ſequentis. Vt *ò fortunatam, Natam, &c.* apud Cicer. faſtidio eſt idemptitas: varietas mulcet.

5. Præterea neque plures vocales congregantur, vt vix ſynalepha ſufficiat. Fit enim oratio hiulca. Interdum tamen implet verſum, eſt vbi oportet ſic facere ad quid hiulcum exprimendum. Vt Ouidius maris voraginem indicans dicit, *Iactari quos cernis in Ionio immenſo*) ex vocalibus & ex quinto ſpondeo repræſentans. Aliquando ad leporem pronunciandum, vt *proh, fundum*, dixit Plautus, volens profundum dicere, ſed tectè ad illuſionem, &c.

6. Præterea neque omnes dictiones ex eadem litera incipient, vt *Tute tite tate tibi tante tyramne tuliſti.* Faſtidio enim ſunt. Præterea neque vt verſum conſtituas, ſenſum infringas in locis non ſuis dictiones locando, ſicuti Horatius ibi.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æſtiua recreetur aura, &c.

Præterea neque implendi verſus gratia epitheta addes, aut voculas, vbi nil opus ſunt ad ſenſum exprimendum, & ſine quibus poteſt ritè intelligi ſententia. Statim enim apparet inſulſa & lutulenta dictio. Multò minus in comedia iſta decent, vbi pedum varietas poteſt ſupplere carminibus, quaſi proſa currentibus.

Sicut ex grauibus & acutis ſonis fit melodia, ità ex

longis & breuibus harmonia. Caue ergo ne breuem cogaris pronunciare quaſi longam, & è conuerſo. Hoc autem fit vbi in ſpiritus quiete eſt breuis, & in curſu eſt longa. Aut vbi oportet currere ſi cogatur ex ruptura dictionis, vel principiatione ſtare; & vbi oportet ſtare ex continuatione dictionis cogatur currere. Hoc ſecretum eſt magnum, nec Horatio tanto artifici animaduerſum; neque enim philoſophari tantum potuit. Nec Ariſt. philoſophia eouſque aſcendit, vt patet de his, quæ diximus in libro de ſenſu rerum. Hoc idem in vulgaribus carminibus aduertere licet. Nam niſi decima ſit longa, & ſexta, vel quaſi longæ pronuncientur, ſonus numeroſus non fit. Rectè dixit Iob, *lingua ſapores & auris verba deiudicat.*

Neque ergo celeritas tardetur, neque tarditas feſtinetur, vt dictum etiam ſuperiori in articulo.

Sit coquus poeta in carmine; medicus in ſententia.

APPENDIX.

DE varijs carminibus vulgaribus locuti ſumus in vulgari poetica ſcripta anno 1596. Oblataque Cynthio Card. Aldobrandino, quam Poeta Bracciolinus habet, & alij multi, Nos hanc præferimus, illamque vt immaturum partũ, & diu à nobis non viſum, ideſt ſexdecim annis & quaſi expoſitũ olim, abijcimus. At fur gloriæ ridiculus Thraſonicus quidã Hiſpanus in hiſpanã traduxit linguam tanquam ſuum; & quia allego carmina poetarũ Italorum: ipſe allegat. Et ait: Non miremini quia allego poetas Italos & non Hiſpanos: quoniam exempla in illis clareſunt. Vide hoc furtum Neap. a. 1618. Fiunt ex 11. ſyllabis, & ex 12. addita breui carmina vulgaria Italicorum, quos Hiſpani poſtea, ac Galli imitati ſunt, ex 11. Syllabis: & 12. addita breui vndecimæ breui. Et ex nouẽ iam prodiit, & ex 8. habent Hiſpani. Ex 7. Itali ruptos, vt dicunt, verſus. Ex ex quinque quaſi Adonis menſuram.

Et compoſitio attenditur ex complexu carminum, & deſinentiarum correſpondentia in duobus, aut tribus,

aut mistis, aut medijs in versibus. De quibus dicere ad versificatoriam spectat Grammaticorum. Hic sufficit tradidisse regulas ex literarum & dictionum, exque structuræ conditionibus, ad omnes linguas, & inuentiones, secundum nostræ philosophiæ dogmata præstantiora.

FINIS POETICÆ

THOMÆ

CAMPANELLÆ

ORD. PRÆD.

RATIONALIS PHILOSOPHIÆ:

PARS QVINTA.

Videlicet:

HISTORIOGRAPHIÆ LIBER VNVS,

iuxta propria principia.

PARISIIS,
Apud IOANNEM DV BRAY, viâ Iacobæâ, sub Spicis Maturis.

M. DC. XXXVIII.

Cum Priuilegio Regis.

THOMÆ

CAMPANELLÆ HISTORIOGRAPHIA.

QVID SIT HISTORIOGRAPHIA, & quomodo ſcientiis baſes ſupponit: nec tamen prima, ſed quinta pars Rationalis Philoſophiæ ſit.

CAP. I. ART. I.

HIſtoriographia eſt Ars rectè ſcribendi hiſtorias (ſicuti ſonat nomen,) ad ſcientiarum baſes fundandum.

DECLARATIO.

OMnis enim ſcientia in his, quę à ſenſibus accepimus, fundamentum habet: ſenſus autem noſtri & alieni quaſi narratores teſteſque Animo ſcientiarum inuentori conſtructori ac doctori, ſunt. Ex eorum enim narratione, quia res ſunt, hocque & illo modo, ad inueſtigandum propter quid ſunt, & â qua, & de qua cauſa, & cuius inſtar, procedit: mox iudicat, & decernit, & definit,

& determinat. Iudiciáque & definitiones facit, speculatiuarum scientiarum doctrinalium exordia, quæ erant fines inuentiuarum: sententias, & decreta Moralium: determinationes, operabilium; iuxtà cognoscitiui, Appetitiui, & Potestatiui, Primalitatum extẽsiones ad obiecta; quemadmodum in physiologia declarauimus. Quapropter philosophi non intelligũt neque determinãt, *quid res est*, nisi sensu suo & aliorum præñouerint *quia est*. Et cum aliquid insensile proponitur, iudicant de illo ex historia sensilium per similitudinem analogicam, aut ex auditu prout potest, sicut cæcus de coloribus: in quibus & sepè fallitur. Politici & œconomici, & Morales, nisi prius mores proprios & aliorum ex sensibus notauerint, haudquaquã ad deliberationes vnquam peruenient. Vnde quoniam mores corporei non sunt, iuuenibus scientia moralium parum aptatur: physicarum verò magis. Rhetor & iudex in historia fundant quæstiones, & iudicium, vt docuimus in Reth. propterea narratio in oratione præcipua est. Nec medicatur Medicus nisi ab ægro & astantibus morbi & symptomatis historiam didicerit. Poetæ etiam & fabulosi narrationem fabulæ faciunt basim, super quam figmenta construunt & carmina; illamque in prologis ante ponunt. Theologi insuper ex reuelata narratione, & sacris historiis, ad Theologyzandum eleuantur. Quaptopter non cuiuscunque hominis est historiam scribere: sed sapientis. Licet historia præcedat sapientiam, vt basis: hanc tamen basim supponere & adaptare ædificio, sapientis est Architecti: propterea nos historiam ante logicam & grammaticam ponimus & primam omnis philosophiæ partem facimus: historiographiam verò quintam philosophiæ Rationalis partem iure inscribimus: non enim nisi doctus historias scribet, prout decet ad finem. A Grammatica, enim elocutionem, à Logica locos descriptionis per cathegorias accipit. Nec expers philosophiæ qui naturalem; nec moralium, qui ciuilem, nec Theologiæ, qui sacram scribit historiam.

Quid Historia sit: eiusque conditiones sigillatim.

ART. II.

HIstoria autem est narratiua oratio decomposita, verax, pura, aperta, sufficiensque fundamentis scientiarum.

DECLARATIO.

DIcitur quidem *oratio* genericè.

Narratiua ad differentiam optatiuæ & deprecatiuæ, & aliarum, quæ non narrant res, sed animi affectus passionesque exprimunt; nec scientiam fundant, nisi quatenus notiones secum implicãt, vt dictum est in logica. Item ad differentiam dialogisticæ & discussiuæ: quæ inquirunt & arguunt: & Rhetoricarum, quæ suadent laudant, accusant: &c. per se non narrant.

Dicitur *decomposita* ad differentiam cathegoricarum, quæ ex solo subiecto & prædicato & copula fiunt, aptè ad aliquid significandum, non autem ad narrandum quid quid sciri historicè oportet; seruiuntque potius scientiarum principijs, & decretis; quam fundamentis. Compositę quoque ex duabus, vt copulatiua, disiunctiua, illatiua, & aduersatiua, aliæque in Logica enumeratæ, itidem scientijs aptæ sunt. Decomposita ex his propriè historia est. Licet ex duabus & vna quoque aliquando sit, quando potius enunciatio quam historia est.

Dicitur *verax*. Si enim falsa, non est historia, sed vel deceptio simplex, vel fabula ordinata ad aliud, quam verba sonant, insinuandum. Et sicuti per ly *decomposita* differt, a Logica oratione: sic per ly *verax* a poetica, & vulgari.

Dicitur *simplex*, hoc est, pura. Quoniam non habet sensum alium, nisi quem verba primò exprimunt, & in

hoc differt à parabola; quę aliud dicit, aliud significat. Solius tamen sacræ historiæ est alios sensus admittere mysticos vt suo in loco dicemus, & causam: quanquam, solus historicus dogmata statuat probetque. Simplex quoque elocutio sit, non æquiuoca, non metaphorica, non figurata, sicut in poësi & Rhetorica; alioquin fidem non facit, nec claritatem scientiæ oportunam. Vnde iudex testes examinando, ex quarum narratione iudicium exprimendum erit, non minus veracitatem quam simplicitatem in sensu & verbis etiam per vim extorquet. Quantæ quęstiones ex priscorum historijs ęnigmaticis, præsertim Græcorum exoriantur & dubietates, scit, qui historias perlegerit; præsertim in nominibus heroum, & regionum & actis.

Item dicitur *Aperta*: potest enim simplex in sensu esse, sed ęnigmatica aut confusa, vt sequi debentia præcedant; & ordo, & stylus, & grauitas nimia, sunt causa obscuritatis. Ergo vsitata sint vocabula, non peregrina, nec ficta, nec impropria: Ordo seruetur, vt priora prius dicantur, secus atque in poemate fit. Breuitas necessaria est: quoniam tanta est rerum, historia, vt non sufficiat hominis vita ad legendum, præsertim ea, quæ à centum annis ad nos vsque post noui hemispherij inuentionem, excreuit. Quidquid ergo non facit ad cognitionem rerum necessariarum ad scientiam, resecabit: & omne illud sine quo potest historia intelligi. Res memorabiles magni momenti pertinentes ad rerum notitiam & mutationem & exempla ideatiua, tantum colliget; paruas, & subauditas & ideata pertransibit.

Propterea enim additum est, *vt sit scientiarum fundamentis sufficiens.* Quapropter non miscebit ciuilis historicus Physica; nec Astronomus moralia gesta; mox declarabimus. Cumque sit historia prima lux; si fumigabit, offendet oculos, non iuuabit ad visum. Sensus quidem proprius vniquisque de præsentibus hic & nunc contestatur; prærerita autem & absentia ab historicis petimus, alijsque testibus: sicuti enim proprijs sensibus fidem ad-

hibet Mens, ità & alienis. Alioquin sicut vermis in caseo, nil sciret, nisi quæ ipsum casei partes tangunt. Omnis narrator siuè per epistolam, siuè ore tenus, siuè motibus, historicus est; propriè tamen qui de pluribus contestatur in scriptura secundum artem.

De boni Historiographi conditionibus.

Art. III.

TRes quidem boni historiographi sunt conditiones, prima vt sit sciens rerum, quas enarrat, ne deceptus decipiat. Secundò virilis animo, timori & blanditijs ad mentiendum non succumbens. Tertiò sit bonus amans dicere verum. Sic enim non erit deceptor, vt per primam non deceptus. Quapropter defectu primæ Procopius & Lactantius qui antipodas non extare scripserunt, historici non sunt, nec proinde fide indubitata digni, sed opinatores. Historicus quæcumque scit suorum sensuum testimonio, tanquam scita profert: quæ ab alijs accepit, aut ipse opinatur, tanquam accepta, aut opinatiuè referet. Nec disputabit, an ita sit: est enim testis historicus, non iudex. Quæ refert, ex alijs fide dignis accipiat & contestibus; qui scire potuerunt, & sibi ipsis non contradicunt. Propterea Tacitus & Iustinus cum de Moysis actis & genealogia mentiuntur, historicè non loquuntur. Ipsi enim non interfuerūt, nec ab historicis, qui res Iudaïcas nouerant per traditiones eorum, qui affuerunt, edocti sunt.

Nullo pacto Testis oculatus non deceptor nec deceptus, reprobari ab opinanti potest vt in Metaph. probatum est. Ergo nec Apostoli testes ab opinatoribus Iudæis, & Macchiauellistis. Nec Recentiores possunt vetustas historias arguere, nisi per alias vetustas, æquè probatas, & quibus rei & loci & temporis conuenientia magis arridet. Quare cùm Scaliger histori à Eccl. Mahometanus historias Moysis, & Christi fabulosè contexit, non est

pro historico habendus; nec pro diuino scriptore. Veritas enim veritati non contradicit. Nos enim Christiani, vt dicunt quidam Mahometi sequaces non corrupimus postea scripturas. Nam nos ac Iudæi hostes nostri eandem scripturam veterem historialiter, & cum hæreticis hostibus eandem noui testamenti, habemus. Quomodo autem conuenire possunt hostes ad tantum negotium demoliendum?

In 2. conditione admonetur, ne patris, & amicorum amore, vel pecunia corruptus, aut blanditijs, mentiatur. parum enim sufficit scire, nisi prout se habent scita, narres. Quare Poggius apud Sannazarum sugillatur, dum suos Florentinos laudat. *Nec malus es ciuis, nec bonus historicus.* At Costus contra me, *Nec bonus est ciuis, nec bonus historicus.* Scelestè Iouius sepè adulator, nil verendum historico mentiri, ausus est scribere: quoniam hinc ad centum annos mendacia non agnoscentur. Nunquid ad decipiendum scribimus? Hoc etiam in historia naturali falsum. Natura enim sibi concors in futuro redarguet preterita mendacia Aristotelis, & aliorum: in Ciuili vide quanta mentiuntur centuriatores, & Lutherus, precipuè dum Petrum Romæ nunquam fuisse contendit, contra historias patrum, & traditiones omnium ecclesiarum: & quàm bellè ad Baronio redarguitur.

Si potest Iouius mentiri de his, quæ suo in tempore acciderunt, ab alijs contemporaneis historicis accusatur, & in fine sæculi ab Enoch & Ælia, si prouidentia Dei, non deficiet. O miseri mendaces conuertimini ad cor.

Qui autem in historijs etiam Deo adulari audent, mendacia miracula confingentes, ab ecclesia merito damnantur. Nunquid parum vobis videtur derisores esse hominum quia & Deo derisoriè audetis adulari tanquam nebuloni vestrique simili? Quam impudenter Cid fictitius celebretur ab Aragonensi, qui historias antiquas contestantes legerit, agnoscet. Nec Plato expers timoris est vilis, cum Deorum gesta & fabulas approbat, ne Græcis odiosus fiat: multoque magis Arist. qui etiam picturas

adulteriorum

adulteriorum & vitiosarum actionũ in sua concedit Rep.

Prodest veritas artificibus cunctis in historia, & toti generi humano, quemadmodum quidquid Græcia mendax audet in historiis vt suos fictitios celebret Heroas, confundens tempora, & gestas res, vt gloriam nationum absorberet, innumera mala nedum difficultates peperit: quas æquiuoca Xenophontis & Ioh. Annij labores, dissoluere non potuerunt.

Mirum quomodo quis Flores sanctorum scribit Hispanicè, cunctas sanctorum hispanorum laudes aggregat, Italorum verò non nisi parua miracula, vt patet in vita S. Franc. de Paula, vbi omittit mirificentiora, vt transfretationem, quam non tacet in S. Raymundo hispano, & de S. Catherina senensi, subticet eius apud Pontificem gesta in Auinione, & Romæ, legationesque & prçclariora quæque: ergo non flores colligit sed frondes, præterquam vbi suis vult bonus videri. Bzouius sæpè irascitur, aut adulatur.

Tertia conditio necessaria est, Vir enim malus mendacijs delectatur; nec veretur fallere totum orbem. Vnde Berosus non nisi publicos scribas electos à Rep. facit historicos. Sed hi etiam adulabuntur. In Iudaïsmo olim soli prophetæ scribebant. Libros enim regum Samuel, & Gad, alijque viri sancti: Machabeorum bonus alius vir. sanctorum Christianorum Symeon Metaphrastes sanctus: sed parum sine reuelatione diuina prodest vbi scientia deest, etiam probitas. Ioh. Villanus probus sanè vir scripsit quasi fabulam de origine Florentina de quodam Floreno; quam Tacitus Romanis tribuit, Anius antiquioribus, sed prout exsculpere potuit. Ex vocabulis argumentatio suspitionem facit, non testimonium, nisi aliunde confirmetur.

Disconuenientia temporum, locorum, personarum, & historicorum eiusdem vel prioris temporis, & aliarum circunstantiarum essentialium, falsitatem historici arguunt: at Nomenclatura, & phrasis, & inimicorum oppositio, & locus ab autoritate negatiuus, & aliæ circun-

ſtantię accidentales, non ſatis euertent hiſtoricū, vt in Topicis & prædicam. docebamus. Quapropter non fortiter Canus expellit Beroſum: nec Turrec. Epiſtolas S. Clem. & priſcorum Pontificum eliminant: incidit ſuſpicio etiam in Apoſtolicas, non autem redargutio. Traditio antiqua ſuſpiciones ſuperat.

De Triplici genere hiſtoriarum.

CAP. II. ART. I.

TRiplex eſt hiſtoria, videlicet.

Diuina, quæ viſitationes Dei, reſque eius geſtas inter homines, & mundi exordium, & miracula, narrat ſanctorum eius: qualis Moſaïca.

Altera *naturalis*, qualis Pliniana de cunctis naturalibus, & Ariſtotelica de Animalibus.

Tertia *ciuilis*, quæ res geſtas inter homines narrat, qualis Liuiana, Sabellicana, &c.

De Hiſtoria Sacra.

ART. II.

HIſtoria ſacra eſt fundamentum Theologiæ. Altera eius pars narrat, quæ à Deo didicit homo, vt Prophetarum ſermones, Apoſtolorum Epiſtolæ, lex Moyſi, & pleraque Euangeliorum fragmenta. His regulas nullas damus. Cum enim à Deo acceperint veritates, modum etiam narrandi ab eo habent.

Noſſe autem quæ ſcriptura eſt à Deo, & quæ conficta, Apoſtolici examinis eſt credibilitatem verò docuimus quibus notis examinare valeamus in Theol. in Antimachiauelliſmo. Vbi notas decem poſuimus diuini ſcriptoris; 1. miracula; 2. martyrium 3. Prophetias præcedentes, in eo completas; 4. & conſequentes ab eo ſcriptas,

euentuque comprobatas, 5. vitæ sanctitatem: 6. deificationẽ eorum, qui eius inhærent instructionibus, 7. conuenientiam dictorum eius cum rerum natura, 8. aliisque sacris scriptoribus. 9. Moralium vtilitatem. 10. concordiam dictorum suorum iterum inter se. Ex his quomodo pseudoprophetas redarguas agnosces, & hæresiarchas.

S. Antoninus & meliores patres in genealogiis, & temporibus multa non cohærentia depræhendunt: Sed cæteræ notæ nos admonent quid sentiendum. Vide hoc examen in 18. lib. Theologicorum nostrorum.

Altera pars narrat gesta hominum diuinorum, & quæ Deus ipse factus homo, & antequam fieret, hoc est mundi conditionem, legislaturam, visitationem, prophetarum missiones, eius Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, Missionem spiritus sancti, Apostolorum gesta. Qui nec à nobis regulas accipiunt: & sunt examinandi, sicut priores. Tertij generis sunt qui scribunt Sanctorum vitas, & ecclesiasticam historiam, quales Surius, Baronius, Eusebius, Ruffinus: quos vel testes, vel testium fide dignorum recitatores esse oportet, stylo breui, claro, graui, nil inane aut fabulosum subolente: quæ necessaria sunt Theologiæ firmandæ, imbuendisque moribus scribere, allegatis testibus; cætera resecando, præter illa, quæ historiæ intellectum aperiunt. Mirifici in his sunt scriptores librorum de Regibus Hebreïs, &. 4. euangelistæ. Neque enim Mundus caperet qui scribendi essent libri de Christo, inquit Ioh. testis oculatus: nihilominus omisit quæ cæteri dixerunt: & quæ parum narrare intererat. Ab his ergo exemplum capiant Recentiores. Nimium ornatum fugiant, & sexquipedalia verba: testis enim veritatis quò simplicior, cò fide dignior, Spondanus in hoc mirus.

Fuit apud veteres consimilis historia: Varro enim Deorum scripsit genealogias & facta; quem Boccaccius imitatur. Ouidius quoque in Metamor. Biblia gentilium quasi contexit. Sed cum falsitatibus & fabulis scateant, corruerunt. Remanent nunc quasi fabulæ: à quibus ab-

stineat historicus. Filij Agar (vt inquit Baruc. 3.) fabulatores Macomettani & Iudæi Talmutistæ, quędam similia contexunt. Ex Biblijs nostris fabulas exortas per profanorum abusionem comperio; siquis Metamorp. cum Biblijs collatione facta examinet. Et quæ in symposio de sexus partitione commemorat Plato.

Vnicum habent sensum scriptores tertij ordinis. Primi & secundi mysticum addunt ex diuina institutione, quæ etiam naturæ concordat. Sicut enim poma & fruges pręteritæ similes sunt futuris; sic Resp. Regna, Monarchiæ, Heroes, vt patet in paralellis Apoteli matis Plutarchi. Item in reuersionibus Solium, & Lunationum, & magnarum in cælo synodorum, quæ inferioribus correspondent. Vide Metaph.

De Historia Naturali.

Art. III.

Historiarum naturalium, alia vniuersalis, vt Pliniana, quæ cælestia terrestria, elementa & elementata narrat sigillatim, stylo magniloquo, breui, non affectato non figurato. Solum quia sunt, & quomodo sunt docet; non reddit causam propter quid, nisi historicè. Hæc historia per X. prædicamenta procedit describendo essentiam rerum, locum, situm ad alias res, tempora rerum, qualitatem, numerositatem, quantitatem, colorem, Figuram, Actus, actiones, & passiones. Et cum per hæc minimè satisfaciat, addit quibus rebus similes sunt eę, de quibus loquitur, & quibus dissimiles, & quæ illis accidunt. Sic Dioscorides herbas plerumque describit. Plinius siderum situs docens & Nili inundationes in cancro & meteorologica, reddit causas; sed recitando quas ab alijs philosophis accepit. Propriam rarò sententiam, & tanquam historiæ partem annectit

Alia est particularis historia, vt Aristotelis de Animalibus. Hæc similiter describit per X. prædicamenta: &

per similitudines, dissimilitudines: & loca & habitationes, prolificationem, & coïtus, & partus, & numerum natorum. Idem obseruat Theophrastus in historia de Plantis: & Guliel. Randolensis de Piscibus: & Agricola de metallis. Imperatus noster Plinium æmulatur: solertissimus in historia. Higinius stellarum historias texens fabulas introducit, non vt fabulosè tractaret, sed vt memoriæ per sensatas fabulas tot stellarum nomina, & imagines remotas, confusasque distinctè imprimeret. Et caussas verisimiles inde suboleret. Galilei nuncius de nouo cęlo stellisque historicus est: neque enim cur circa Iouem quatuor spatientur planetæ, duoque circa saturnum, dicit, sed quià sic inuentum est. Modus inueniendi scientificus fuit, inuentorum narratiuus. Ex his autem tanquam noua basi, astronomica consurget scientia de systematis mirifica. Thyco etiam causas reddit, sed hypotheticas: hæc historia mirifica est vtilissimaque scientijs plurimis.

His etiam historia philosophica adnectenda est. Sic enim Galenus librum suum, de Placitis philosophorum inscriptum à Plutarcho, inscribit. Vbi omnes de omnibus philosophorum doctrinas consarcinant: nil disputando, an veræ sint, sed referendo, quià sic dixerunt. Optimè quidem & scientijs basem fæcundantes.

Quapropter ridiculi sunt, qui vocari philosophi volunt propterea quod Aristotelis, aut alterius, aut plurium philosophorum, sententias & textus memoria tenent, recitantque: sicuti poetæ vocari vellent propterea quod Virgilij Æneidem callent totam, aut poetas alios probatissimos. Similiter, qui recitant D. Thomæ Theologica, se se Theologos vocitant imperitè. Philosophus enim est qui rerum naturas perscrutatur, & causas per dicta prædicamenta & hinc scientiam proprio ex ingenio conficit: aut ab aliis non bibit per infundibulum, sed ruminat, examinatque cum libro Dei, auctoris naturæ, qui est mundus: & an cōcordet, agnoscit, & in rebus ipsis philosophatur. Sic poeta qui poemata pangere nouit, non recitare

tantum, & Theologus qui Theologizare ex sacris historijs, & libro naturę didicit, non qui Scoti verba aut alterius compilauit. Quapropter moderni scriptores Theologici & philosophici, qui recitant exscribuntque quæ dicta sunt, historici fures potius, quam quod profitentur, sunt: mutant ordinem & vocabula, & stylum, putantque sic latere furta. Vtque dicant vnum verbum de suo ingenio, totam de nouo Theologiam exscribunt quasi propriam. Stultorum nostri temporis graue munus. Liceat, vt ad rem redeamus, rerum nouarum inuentoribus nomina fingere noua. Et impropria, etiam vsitata, omittere, proprijs inusitatis & nunc fictis vtendo. Cætera patent. Autorum dicta eorum verbis referant vbi lis præsertim inest.

De Historia humana.

Art. IV.

Historia humana basis est politicis, ethicis, oratoribus, poetis: cum enim nouerimus quid veteres benè, quidque malè egerint, & quibus artibus Remp. & rem familiarem, & se ipsos, natosque, nos similiter discimus quæ nobis prosunt obsuntque: & regulas ex tot experimentis eliciemus, & scientias reformamus. Et leges: & quomodo cum singulis nationibus agere oporteat, intelligemus, sicut *qui mores hominum multorum vidit & vrbes* apud Homerum. Vnde qui historias ab origine mundi vsque ad nos callet nationum omniũ, is vixisse ab origine mũdi vsque ad nos in toto terrarũ orbe gloriari potest.

Siquidem historia alia vniuersalis est, quæ ab origine mundi vsque ad nos omnia omnium nationum exordia, progressus, gesta, interitus, mutationes, mistionesque narrat: qualem Sabellicus & Torcagnota describunt, & Pineda, titulum falsum licet pręponens. Alia particularis vnius nationis, vt Ioseph Iudaïcam, Liuius Romanam, scribunt. Alij vnius modò ciuitatis vt Corius Me-

diolanensem, Villanus Florẽtinam, Sansouinus Venetam. Sed alia totius temporis vnius Reip. vel regni, vt Florentina: alia vnius temporis vt Thucidides bellum Pelopon. & Guiccardinus quæ acciderunt ex aduentu Caroli 8. Regis Francorum in Italia. Alii vnam actionem, vt Xenophon expeditionem Cyri minoris, & Salustius bellum Iugurtinum, & Catilinarium. Alij vnius hominis vitam, vt Curtius Alexandri; Tranquillus Cæsarum, 12.

Obseruabunt hi exordia & progressus secundum tempora & locos & occasiones & causas rerum dicendarum. subticebunt quæ possunt intelligi per se; & quæ ad instructionem non faciunt. Omittent minima, & inscriptiones singulas trofeorum & verba amantium, & similia ludicra, quæ M. Guazzus immiscet. Episodia non facient, nisi qui historias nationum omnium scribit, & in eodem tempore alia alibi euenta magna, quæ simul narrari oportet. Non recitet poemata, nec orationes eorum, quos memorat, sed sensum breuem, vbi oportet, sicut Tacitus facit. Prodigia cælæstia terrestriaque non finget, sed quæ acciderunt fideliter narrabit, breuiter, sicut Mat. Euangelista: & cometas, & eclypses, & mutationes magnas nationum, & Cęli, mores temporum, ritus, sacra, pręlia, mutationes regnorum, & causas dicet, vt sciamus quibus temporibus quomodo viuebant; & cur mutata est hominum vita: nec de cibis & medicinis & armis, & monetis, structuris fabricis & artium inuentionibus tacebit: pauca & lucidè de singulis, vt omnibus prosit artificibus. Propterea oportet etiam Astronomum esse; qui scribit historiam pręsertim vniuersalem: vt ab initio ad nos in chronologia inscribat eclypses & coniunctiones magnas. Et quid in cœlo & quid in terris exorbitantiarum factum est quocumque tempore.

Oportet sanè historicum callere Geographiam, vt vbi & quomodo quæ gesta sunt narrat, intelligant. Item chronologiam, ne tempora confundat. Item familiarum primarum genealogias, & nationum origines. Omnia stylo breui claro non affectato scribet, vt posteris quæstiones

quàm poteſt non relinquat. Neminem laudet nec vituperet, cum teſtis ſit, non iudex. Aliorum tamen dicet ſententias de ſui temporis hominibus.

Qui autem vnius vitam deſcribit, hoc magis curet, ne orator non hiſtoricus appareat, ſicut qui vitam Alex. 6. Platinæ appoſuit. Deſcribet genus, natiuitatis diem, & horam, & ſub quo principe. Deinde phyſionomiam corporis; deinde actus ſigillatim, & euentus, & geſta præclariora ſiuè mala ſiue bona, vt optimè Tranquillus. Et Diogenes Laertius. Qui & philoſophorum dogmata & grauia dicta, ſicuti Plutarchus Heroũ mores & grauia geſta probè lucidè & breuiter deſcribit; nec in quibus peccarunt, tacet. Quàm imperitè Regius vitam S. Franciſci noſtri narrat, nil de geſtis, & phyſionomia, & negotijs ab initio ponens, ſed ſolam miraculorum multitudinem quaſi filo ligans, qui legit agnoſcat.

Eulogia, epithaphia, poetarum ſunt, propterea in poetica & Rhet. de his meminimus. Nunc ad hiſtoriographos pertinentia, cum dictis in topicis & præfatis in opuſculis, non plura requirantur.

Videtur etiam mixtum genus hiſtoriæ eſſe deſcriptio Strabonis, Ananiæ, Buterique: qui prouinciarum & ciuitatum ſitus, campos, & quæ victui humano & habitationibus habent vtilia, & quæ noxia: ſimulque origines & mores, & bella quædam, & Reges, breuiter interſerendo deſcribunt. Quod & Plinius fæcundiſſimus mirè fecit: & P. Mela ex parte. Horum hiſtoria ex humana & naturali connectitur; eiſdemque regulis ſubiacet, miſtis.

De Partitione hiſtoriæ, diſpoſitione, & apparatu.

ART. V.

QVi vnius vitam ſcribit, partietur hiſtoriam in tres partes, videlicet.

Vna contineat naturalia, vt natiuitatem, mores, corporis

poris dotes.

Secunda dicta grauia.

Tertia Facta vel per capitula à principio ad finem, quę fuit, fecit, dixit, & contigerunt.

Qui naturalem historiam, iuxta rerum genera libros faciet, alium de lapidibus, alium de plantis: vel per decadas, & libros speciales, singulos lapidem suæ speciei declarantes, sigillatim vt Adamantem, porphir. &c. Qui vniuersalem humanam, per millenaria Mūdi quinque aut sex partietur, & quodlibet millenarium in decem centurias annorum: centurias per decadas: Decadas per annales. Alij enneades faciunt, vt Sabell. & Plotinus, sed ratio sic nos admonet, vt luciditas, vagationisque amputatio perquirentibus arrideat. De stylo dictum est.

Qui particularem per centurias, annales, &c.

Transleget prius omnes historias hoc ordine. Habeant præ oculis Cosmographicas tabulas, & Cronologiam probatam; in tabulis delineatam, vt in Eusebio, & Sansouino: legant primo Moysi historiam, vtrumque testamentum, vetus ac nouum, & notent seorsum res, origines, & tempora, & loca, & legant Iosephi antiquitates, simulque legant fragmenta antiquitatis post diluuium Berosi, Fabij Pictoris, Catonis, & aliorum, quos Annius colligat, exponitque. Post modum secundum tempora & Monarchias magnas, subsequatur Herodotum, Iustinumque, Diodorum, & Strabonem. Dehinc Liuium, Polibium, Salustium, Cæsarem, Plinium, Tacitum, Tranquillum. Mox Cæsarum vitas & Pontificum; in quibus te Baronius molestià exonerauit, curiosissimus pariter fidelissimus, ex Patrib⁹ & historijs omnia colligās. Mirus est eius Abbreuiator Spondanus in Epitome illius & in Additione historiarū post an. 1070. Christi. Illud idē fecit Bzouius quāuis circa finē perfectior se ipso in latinitate, non tamen à prolixitate, ira, & adulatione, recessit. Procedes ergo per hęc tēpora. Sigonius non est inutilis. Lege mox omnium nationum historias priuatas, vt Gallicanam; & Hispanam & Germanicam, & Britannicam, &

Ethyopicam, (nam & hanc inueniens) & Turcicam & Mauritanam. Oporteret ab Accolis noui Orbis ſuas traditiones accipere: Nam ſcriptura caruerunt. Item quæ Chinenſes, Iapponenſes, & Tartari, Traprobani; Perſæ, Narſingani, aliçque Nationes, tradunt ſcripto, vel memoria, de ſuis originibus, & geſtis, confarcinare. Quorum multa Ieſuitæ, & nauigentes ſcripſerunt. Sed Regum hæc cura foret: preſertim Hiſpani, qui in altero hemiſpherio, & in Oriente commertia, & Regnum habet. Nondum hiſtoria completa eſt vniuerſalis, ſed partialis, quidquid iactent ſcioli: Rectificanda etiam hiſtoria naturalis eſt. A Plinio enim vſque ad nos plurima emerſerunt de naturę ſinu genera, & arcana in toto terrarum, & Cæſarum Orbe: vtinam quis Baronius fiat mundi & non Chriſtianæ ſolius nationis. Qui autem legit vt addiſcat, eum ſeruet ordinem, apparatumque, oportet; In executione enim & cognitione media præcedunt concluſionem ac finem: In appetitione, finis media præcedit; & ex illo ad iſta aptanda argumentamur, &c.

FINIS.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Grace & priuilege du Roy, il eſt permis à IEAN DV BRAY, marchand Libraire à Paris, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, & diſtribuer vn liure intitulé, THOMÆ CAMPANELLÆ *Philoſophia Rationalis, in quinque partes diſtincta; continens, Grammaticam, Logicam, Rhetoricam, Poëticam, & Hiſtoriographiam*: & defences ſont faites à tous Libraires & Imprimeurs, & autres de ce Royaumes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient de le faire imprimer, vẽdre, ny diſtribuer, contrefaire, ny en extraire aucun traicté, ſans le conſentement dudit DvBRAY, & ce pendant le temps & eſpace de ſept ans, finis & accõplis, à compter du iour & datte de la premiere impreſſion dudit liure, à peine aux contreuenans de mil liures d'amende, confiſcation des exemplaires contrefaicts, & de tous dépens, dommages & intereſts; ainſi qu'il eſt plus amplement contenu aux lettres dudit Priuilege. Donné à Paris, le 26. Aouſt 1635.

LE GROS.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 30 Auril 1638.

INSTAVRATARVM SCIENTIARVM PER F. THOMAM CAMPANELLAM, iuxta propria dogmata, ex natura & scriptura Dei Codicibus.

TOMI X.

IN I. Tomo continentur Philosophiæ Rationalis partes 5. Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poëtica, Historiographia.

In 2. Philosophiæ Realis part. 4. Physiologia, Ethica, Politica, Oeconomica, cum textu & qq. His additur Ciuitas Solis, cum qq. & lib. de Regno Dei. Ad Polit. Ecclesiast. & Disput. 8. pro Teles. contra Perip.

In 3. Philosophiæ practicæ part. 3. Medicinalium 7. De Sensu Rerum & Magia. 4. Astrologiæ 6. & de fato siderali vitando 1.

In 4. Philosophiæ vniuersalis 1. Metaphys. part. 3. lib. 15.

In 5. Philosophiæ diuinæ 1. Theologicorum lib. 3. pro cunctis Nationibus.

In 6. Theologię practicæ part. 4. videl. pro Conuersione Nationum libri attitulati, Reminiscentur, &c. ad Christianos, Iudæos, Gentiles, & Mahometanos. Item contra Atheistas: Item contra Hæreticos, & Perthomistas, Cento Thomisticus. Cum Expos. in 9. Rom. Et Disput. pro Bull. Pontif. contra Iudiciarios.

In 7. Praxis Politicæ volumina 4. Scilicet, De Monarchia Christianorum ad Principes. De Monarchia Messiæ ad Sapientes: cum Appendice de Iure Catholici Regis in nouum Orbem. Item de Monarchia Hispanorum. Item Panegyricus pro eodem ad Italos Principes & Remedium contra Timorem ab illa.

In 8. Arcanorum Astronomicorum lib. 4. & simul de symptomatibus Mundi per ignem interituri secundum naturã & scripturam. Item articuli profetales ex diuina & humana sapientia de instanti mutatione seculorum.

In 9. Poëmatum part. 3. Philosophia Pythagorica carmine Lucretiano instaurata. Item elegiæ, & Epigrammata varij generis. Item poëmata in lingua Italica, partim Metaphysicalia, partim Politica, ad Philosophos & Amicos. Item elegiaca de propriis & suorum ærumniis. Item ars verificatoria de metro Latino applicando vulgari linguæ. Multáque poëmata hoc ritu exarata.

In 10. Miſcellanea opuſcula, videl. Diſputatio ad vtramque partem de motu Terræ & quiete, vel Solis, vel Telluris. Dialogus politicus contra Hæreticos noſtri temporis. Diſticon & Dialogus pro Rege Gallorum & Cardin. de Richelieu. Item pro eodem contra murmurantes, Carolus Magnus. Item de præcedentia, præſertim, Religioſorum. Item de Conceptione Virginis. Item an Monarchia Hiſpanorum ſit in augmento, vel in ſtatu, vel in decremento. Item quot modis poſſunt pauci in bello vincere multos. Item de Titulis. Item de reſidentiæ & aſſiſtentię Cardinalium & Epiſcoporum Iure. Item libellus de Epiſcopo. Item quæſtio. Vtrum vtilius, & commodius ſit viuere ſub principatu Ecclesiaſtico quàm ſeculari. Item de ampliſſima libertate Romana ſub papatu. Item vtrum Imperium Roman. hoc tempore mutari debeat, & poſſit, & à quo. Item de regimine Eccleſ. ad conuertendum mundum ſub vno grege vnoque Paſtore, non obnoxio contradictionibus Principum. Item Commentaria Philoſophica & Grammaticalia in Poëmata Maffei Barberini, id eſt, Vrb. VIII. Item Orationes 3. de Laudibus D. Thomæ. Item Oratio ad Regem Galliæ, & ad Regem Hiſpaniæ de Regno Neapolitano. Item Diſput. cur Galli cum ſint potentiores numero, viribus, pecunia, & neceſſariis rebus ad victum & veſtitum ſuper omnes Nationes, non dominantur: Hiſpani verò imbecilliores, è contra. Apologia pro Antonio Perſio de potu calido. Apologia pro Teleſio de origine, & vſu venarum, neruorum, & arteriarum. Item de peſte Colonienſi. Item cur in magnis articulis temporum viri præclariſſimi benefactores generis humani occiduntur titulo læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ, & in ſequenti ſeculo reſuſcitantur, & coluntur. Item cur antiqui Reges non coarctauerunt gloſſis autoritatem Melchiſedecheam Papæ, ſicut plerique recentiores. Item orationes politicæ pro ſæculo præſenti, vna ad Batauos: 1. ad Venetos: 1. ad Sabaudum. 1. ad Genuenſes. 1. ad ſummum Pontif. Item Aphoriſmi politici pro ſæculo præſenti. Item à quibus deſiderari pax debet ſecundum politic. Item politica conſultatio contra prædeterminatores, ad Venetos. Item conſultatio ad tollendam famem de regno Neap. cum lucro Regis, & Vſurariorum emendatione. Item de exigendis tributis cum populorum gaudio, & lucro Regis. Item de regni nouiter occupati ſtabilimento. Item de Papatus Bono ad principes, Orat. 3. Item de libris propriis lib. 1. ſunt, & alia opuſcula Latino, & Italico idiomate, metro & proſa.

Indicem locupletiorem cum explicata ratione contentorum in præfatis Tomis, edidit Venetijs. Iacob. Gaffarellus, eruditiſſimus & ſolertiſſimus ſcientiarum cultor.

FINIS.